UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Tabvlae Navfragii, Sev Echo Concionvm Aliqvot, Qvae Blattarvm Inclementiam euasêre, de Festis ac Dominicis

Qvarta Navfragii Tabvla Seu Echo Concionvm Aliqvot, Qvæ Blattarum inclementiam euasêre, de Dominicis & Festis

Bosquier, Philippe

Coloniae, 1618

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-56172

Visual Library

Th. 3307

QVARTA

NAVFRAGII TABVLA

Seu

ECHO CONCIONVM

ALIQVOT, QVÆ BLATTA-

rum inclementiam euasêre, de

Dominicis & Festis.

AVCTORE

V. P. Fr. PHILIPPO BOSQVIERO

CAESARIMONTANO FRANCIS-

cano Obseru. Prouinc. Flandriæ.

Ioan. 6. Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud Ioannem Crithium sub signo Galli.

ANNO M.DC. XVIII.

Apographum Licentiæ prælati.

FRater Ioannes Neyen Ord. Minorum Reg. Obseru. Reuerendissimi Patris Generalis Ministri, super Belgicas Prouincias, nec non Coloniæ, Argentinæ, atque Hyberniæ, cum plenitudine potestatis Commissarius Generalis. Venerando admodum in Christo Patri Fratr. Philippo Bosquiero Prouinciæ nostræ Flandriæ Sacerdoti, Prædicatori, Confess. & S. Theologiæ Professori salutem in Domino.

Quandoquidem video passim magno doctorum adplausu recepta, quæ hactenus opera seu Latinè seu Gallicè edidisti, imò & ipsum Pontificem summum Paulum V. Oratorem tuum Terræ sanctæ gratum habuisse: idcircò Venerande Pater, non solum tibi licentiam, pergendi & noua cudendi, aut vetera recudendi facio, sed & paternè te hortor, imò, & ad meritum obedientiæ, præcipio, vt scribas atque edas, quæcunq; tibi expedire videbuntur, ad gloriam Dei Opt. Max. Ecclesiæque Christianæ vtilitatem, carique mihi erunt, quicunque tibi hac in re voluerint esse fautores. Vale & ora pro me. Datum Bruxellis, sub meo chirographo, officijque mei sigillo, 23. Iunij, 1607.

Fr. IOANNES NEYEN Ord. Gen.

Apographum Licentiæ R. P. Ministri Prou. Flandriæ.

FRater Ioannes Lambillon Ord. Minorum Prouinciæ Flandriæ Minister, Venerando P. Fratri Philippo Bosquiero, Sacerdoti, Prædicatori, & Confes. eiusdem Ordinis & Prouinciæ, salutem in Domino Iesu. Quandoquidem hactenùs non infœliciter ingenij tui fœtus in lucem edidisti, & adhùc totus in hoc es (vrait ille) *Condis & componis* multa alia, posteritati, vti speramus, profutura, cupisque vehementer, vt quæ edis, etiàm à nobis, ad Obedientiæ salutaris meritum, autorentur; Nos pijs tuis conatibus impensiùs fauentes, tibi licentiam facimus prelo tradendi *Quartam* tuam *Naufragij tabulã*, & tuam *versionem Concionum Rmi. P. F. Cornelij Mussi* Minoritæ, Episc. quondàm Bitontini, *super Canticum Mariæ vulgò dictum Magnificat*, dùm tamen etiàm Censuræ legitimi librorum Censoris subieceris. Vale in Domino Iesu, & ora pro me. Datum in Conuentu nostro Auesnensi 1617. 14. Ianuarij, sub sigillo meo maiori.

Locus sigilli.

Frater Ioannes Lambillon, quà supràm manu propria.

Appro-

Approbatio.

HAs Venerandi ac Docti P. Fr. Philippi Boskieri de Obseruantia S. Francisci, Conciones quarundam Dominicarum ac Festiuitatum Sanctorum, ex demandato Admodum R. P. Magistri Inquisitoris hæreticæ prauitatis, Doctoris eximij Cosmæ Morelles, legi, doctaſq; reperi, & singulari studio congestas. Cum itaque nil Catholicæ ac Romanæ religioni, ac bonis moribus contrarium contineant, idcircò vt in lucem cum fructu edantur, dignas esse iudico. Apud Prædicatores Colon. Anno 1617. 14. Nouemb.

Fr. Rodolphus Clutius, SS.
Theolog. Baccalaureus,
Ord. Præd. recidit.

F. PHILIPPVS BOSQVIERVS Cæsarimontanus, Franciscanus Obs. Prouinc. Flandriæ, Lectori suo beneuolo

Pacem & Veritatem.

QVoniam (lector beneuole) nonnulli, nescio quo genio, bono ne an malo, ipsi viderint, mihi sanè ipsi aut Negligentiæ, aut Ignorantiæ vehementer suspecto, in excudendis, aut castigandis & recudendis quorundam Seraphici Ordinis nostri Autorum scriptis plerisque multis, tacuerunt in librorum frontispicio, ipsos Autores ex Ordine Franciscanotum esse, sed ne quidem eorum proprijs nominibus FRATRIS prænomen (perpetuam illam iam olim hactenus Religiosorum hominum cuiuscunque classici & probati Ordini notam) præfixerunt, quod in Fr. Petri Galatini volumine de Arcanis Catholicæ Veritatis; in F. Andreæ Vegæ Hispani, & Magistri Salmanticensis; doctissimis illis & copiosissimis de Iustificatione libris Coloniæ in fol. 1572. editis; in F. Ioannis Feri operibus plerisque omnibus, in Fr. Marci Vigerij Cardinalis Decachordo, etiã nouissimè Duaci per Balthasarè Belle-

Bellerum recuſo; & in Fr. Iohannis Pechani Cantuarienſis Eccleſiæ Archipræſulis quinque libris Bibliorum Collectaneis edendis omnium Ord. Franciſcani hominum, video peccatum eſſe; Sed & præterea nonnunquam contingit temporum lapſu, alijs aliorum lucubrationes falsò adſcribi, vt D. Hieronymo quædam, quæ ſunt Sophronij; D. Auguſtino, quæ ſunt Bedę aut alterius; Iohanni Gerſoni Imitatio illa Chriſti, quæ eſt Fr. Thomæ de Kempis. Ciceroni in Salluſtiũ reſponſio vel ab ipſo Quintiliano adtribuitur, quæ eſt alicuius declamatoris, ac fortaſſe Porcij Latronis (ſi Sebaſtiano Corrado in Quæſtura credimus.) Egoque ipſe, tantulus inter Scriptores, nouiſſimè duplici iniuria ſum ab Antonio Poſſeuino in Apparatu eius ſacro Coloniæ 1608. edito, affectus, vna, quum *Monomachiam* meam, ſeu Conciones 40. de tentationibus Chriſti in deſerto alteri adſcripſit; altera, quum de me vno ſcriptore duos fecit, & ex vnius eiuſdemque hominis ſcriptis, altera cuidam *Boſquiero*, altera cuidam *Boskhiero*, quaſi alteri Scriptori, adiudicauit, deceptus ſcilicet vir alioqui doctus & bonus, varia cognominis mei ſcriptione, qua modò *Boſquierus* nouè (more Patris & Patruorum, & aliorum quorundam cognomiorum tam Aueſnis, quam in Gallia:) modò priſcè, imò nouantiquè & Græco ſignificatu, *Boskhierus* (vt ferè maiores quidam mei) ſcribere ſoleo: Sic enim Antonius ille Poſſeuinus in illo opere, quod nunc dixi, litera P. ſcribit:

Philippus Boſcherius *Hannon. Cæſarimontanus Conuentus D. Franciſci Lucemburgi Prouinc. Flandriæ*

Guardianus, scripsit opus prænotatum, Orbis Terror, seu concionum de Finibus Bonorum & Malorum, libris duobus. Edidit Balthasar Bellerus Duaci anno 1603. Cùm antea euulgasset duos libros quibus Parabolam filij Prodigi patrio sermone explicat, Qui prior Mõtibus anno 1596. editus, alter Atrebati anno 1597. prodierunt. Notas in Monomachiam Christi incruentam Lanè, anno 1598.

Philippus Bosquerius *emisit Monarchiam* (Monomachiam dicere voluit) *Iesu Christi & Luciferi incruentam, seu Concionum XL.* (pro. 40.) *de tentationibus Christi in deserto, Notas. Duaci apud hæredes Petri Belleri: & librum inscriptum Ara Cœli, seu Conciones de Honorario à Magis Orientis, Iesu infanti oblato. Antuerpiæ apud Gasparem Bellerum ann. 1607.*

Litera vero H. sic: *Henricus VVillot Ord. Minorum, Belga, ex Oppido quod dicitur A Fontibus Episcopi, in finibus Tractus Leodiensis, scripsit Notas ad Monarchiam Christi incruentam, &c.* Monomachiam dicere voluit, quam tamen VVillotius ille nullam edidit, Magister in Theologicis meus charissimus & doctissimus, doctior sanè, quàm vt Monomachia illa mea ipso digna sit: Quoniã (inquam) illa ipsa sic se habent, operæ precium magnum mihi fore visum est, si hic nomina librorum, quos iam edidit gratia Dei mecum, & quos pro meis agnosco, quosque deinceps in lucem Deo benè fauente sum daturus, recenserem, & quibus quisque locis, & apud quos editus est, indicarem. Sic enim & Ordinis mei Honori, & rerum veritati, & iustitiæ optimè consuluero, faciens scilicet, vt deinceps nemo bonus in suspicionem plagij falso

falso apud posteros veniat, neminem innocentem & doctum, mearum si quæ sunt, nugarum, aut minus accuratè scriptorum immeritò pudeat; nemo corniculæ, seu Aesopicæ seu Horatianę, instar, plumis alienis, aliquandò à grege auium repetendis, superbiat.

Mea igitur sunt, (ita fateor, & agnosco, bone Lector) quæ sequuntur, Gallica, Latina.

GALLICA.

* *Tragœdia noua*, cui Nouaculæ nomen, aduersus luxum vestium, versu Alexandrino. Edidit Carolus Michael Montibus Hannoniæ in 8. ætatis meæ circiter *26*.

* *2. Oratio funebris*, in Ducem Arschottanum. Edidit Petrus Auroy Duaci Catuacorum in 8. ætatis 50.

* *3 Academia peccatorum*, seu conciones de prodigi Euangelici poteruia & luxu. Edidit Carolus Michael, Mõtibus Hãnonię in 8. ætatis circiter *34*.

* 4. *Flagellum Academicum peccatorũ* de prodigi eiusdem per famem virgationem. Edidit Gulielmus Riuerius, Attrebati in 8. ætatis circiter *35*.

* 5. *Seruitus peccatorum*, seu de Prodigo iàm subulco. Edidit idem Riuerus ibidem in 8. ętatis circiter *37*.

* *6 Pœnitentia eiusdem prodigi*, Edidit Oliuerius Varennius Parisiis in 8. & cum eadem recudit vniformiter tria prius memorata volumina, & corpus vnum exquatuor fecit, quod Ludouico 13. Gallorũ Regi, Philippi III. Hispan. Regis Genero

dicaui, eiuſque Maieſtati in manus ipſe dedi, in ipſis Luparæ penetralibus, 12. Martij, ipſo D. Gregorij, ætatis circiter 50.

* 7. *Conſolatio deſperantium*, ſeu Concionesn. de magna Dei in Prodigum Euangelicum, & peccatores omnes ſeriò pœnitentes comitate; & eſt quinta pars Academiæ peccatorum. Edidit Ioannes Bogardus Duaci in 8. 1616. ætatis meæ circiter 55. Prodijt etiam latinè reddita in Germania, vti & quatuor præcedentia in Prodigum Euang. volumina. Edidit Coloniæ in 8. meus Crithius 1617. incerto adhuc, & mihi ipſi incognito, tum eius quam cæterarũ partium, Interprete, cui magnam nihilominus habeo gratiam.

LATINA.

* 1. *Monomachia Chriſti & Luciferi*, ſeu Concionum 40. de Tentationibus Chriſti in deſerto, Edidit Gulielmus Riuerius Attrebati in 8. ætatis circiter 37. Recuderunt correctiorem & auctiorem Petrus Borremanus, Duaci Cattuacorum; ſimiliter & Ioannes Crithius meus, Coloniæ.

* 2. *Theatrum Patientiæ*, ſeu concionum 40. de Paſsione Domini, Notæ. Edidit Balthaſar Bellerus, Duaci in 8. ætatis circiter 40. Recudit Ioannes Crithius Coloniæ eodem titulo. Item Petrus Borremanus Duaci correctiorem & auctiorem, ſub nomine Codri Euangelici. Nouiſſimè etiam meus Crithius ſub Codri quoque nomine.

* 3 *Orbis Terror*, ſeu de Finibus Bonorum & malo-

malorum, Morte & Iudicio. Edidit Petrus Bellerus, Duaci Catuacorum in 8. ætatis circiter 42. Recudit semel & iterum Franciscus Iacobus Mertzenich Coloniæ, sumptibus Ioannis Crithij.

*4. *Orator Terræ Sanctæ*, seu Philippicæ sacræ aduersus Turcarum Barbariem, & importunas Christianorum discordias, proposito Psalmo *Deus venerunt Gentes*, &c. Dicatus est Paulo V. Pont. Opt. Max. Edidit Petrus Borremanus, Duaci in 8. ætatis circiter 44. Recudit meus Crithius Coloniæ.

*5. *Ara Cœli* seu Echo Concionum 30. de tribus Magis, pueri Iesu adoratoribus; proposito Euangelio, *Cùm natus esset Iesus in Bethlehem*, &c. Edidit Petrus Borremanus, Duaci Catuacorum in 8. ætatis circiter 45. Recudit meus Crithius, Coloniæ,

*6. *Legatus Apostolicus*, seu Echo concionum xxxix. de Baptistæ Magni, aduersus incæstum, reliquaque Herodis peccata, dicendi libertate, ex varijs euangelistis. Dicatus Philipp. III. Hisp. Regi. Ludouici XIII. Gall. Socero. Edidit meus Crithius, Coloniæ in 8. ætatis circiter 50.

*7. *Tabulæ Naufragij*. seu Echo Concionum aliquot de Dominicis & Festis. Edidit meus Crithius, Coloniæ in 8. ætatis meæ 52.

*8. *Secunda Naufragij Tabula*, seu Echo Concionum aliquot de Dominicis & Festis. Coloniæ, edidit Crithius in 8.

*9. *Tertia naufragij Tabula*, seu Echo Concionum aliquot de Festis. Coloniæ edidit Crithius in 8.

10. *Quar-*

*10. *Quarta naufragij tabula*, seu Echo Concionum aliquot de Dominicis & festis. Edidit Coloniæ meus Crithius in 8. 1618. ætatis meæ circiter 56.

*11. *Vegetius Christianus*, seu de tota arte militari, ad Turcam citò, tutè, iecureque debellandum. Coloniæ edidit Crithius 1615.

*12. R. P. F. *Ioannis Houdemii Franciscani* Passio Rhythmica, Christias facta, in libellos sex distincta, castigata, argumentis libellorum biforijs aucta, & Ordini D. Francisci vindicata. Edidit Matthias Birthon, Luxemburgi in 12. ætatis circiter 42.

*13. Chrysostomi Italici, id est, R. P. F. Cornelij Musi Franciscani, Episcopi Bitontini, Conciones aliquot eloquentissimæ, Romæ habitæ, in Canticum B. Mariæ Deiparæ Virginis, *Magnificat anima mea*. Latinè ex Italicis factæ. Edidit Coloniæ meus Crithius in 8. 1618.

Hæc iam edita: supersunt verò, vita comite & Deo adiutore, edenda

GALLICA;

*1. *Supplementum parabolæ prodigi*, seu lætus eius ad suos receptus, per Conciones, toti Aduentui seruituras distinctus.

*2. *Maria Ceruiensis*, Comædia verso Gallico de R. P. F. Iacobo Lescailleto Franciscano celeberrimo, à morbo desperatissimo, ope Matris Virginis Ceruiæ curato.

LA-

* 1. *Vltramontana*, seu de Finibus Bonorum & Malorum, Cœlo & inferno.

* 2. *Carcer, & mors Baptistæ Magni.*

* 3. *Conciones 40. de Christi Crucifixione.*

* 4. *Prodigus Allegoricus* de Christo expositus 24. Concionibus Athi declamatis, ternis Octauis V. Sacramenti,

* 5. *Legationes vltimæ Oratoris Terræ sanctæ.*

* 6. *Quinta tabula naufragij, &c.*

* 7. *Speculum vitæ B. Francisci, & sociorum eius,* accuratè recognitum, & notis marginalibus illustratum.

* 8. *Paradoxa Euangelica Concionibus explicata.* Quæ, iam olim & nunc recenter dedi, vides (beneuole Lector) quæque dare in posterum velim, data boni consule, & vt tu sperata quoque consequi, ego dare possim, me precibus tuis apud Deum iuua, & Vale.

Datum Auesnis, Festo Omnium Sanctorum. 1617.

Edictum

Edictum Autoris.

EGO F. PHILIPPVS BOSKHIERVS Ioannem Crithium Ciuem & Bibliopolam Colonienſem, vnum ſolumque Liberorum meorum reformatorem, id eſt, Librorum iam editorum recuſorem, & quartæ naufragij tabulæ de Dominicis & feſtis, quam nunc edo, Typographum, tota quam latè patet, Germania ſuperiore, eſſe volo; iureque Patris in liberos & Autoris in libros, ſic edico & ſancio, lex eſto. Si quis contra auſit & faxit, libros liberoſq;, eius obſtetricio prodeuntes, alioqui meos, abdico & pro ſpurijs, nothis ac non meis iam nunc habeo. Ita eſt.

Frater Philippus Boskhierus Cæſarimontanus.

INDEX

INDEX VARIARVM CONCIONVM, QVAE in quarta Naufragij Tabula continentur.

I. IN die Cinerum. pag. 1.
II. Feria secundæ Paschæ. 12
III. In festo S. Audomari Episcopi. 62
IV. Dominica Pentecostes. 143
V. Dominica infra octauam Venerabilis Sacramenti, quæ est 2. post Pentecosten. 223
VI. In octaua Venerabilis Sacramenti Eucharistici. 286
VII. Dominica XIV. post Pentecosten. 358
VIII. In festo Annuntiationis B. Mariæ Virginis. 522
Oratio in Christi Natalem, ad Monachos San-Hubertinos in Arduenna. 573.

IN DIE

IN DIE CINERVM.

Leodij, in S. Martini Insulani Paroeciâ, *1606.*

Thema: *Memento, homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* partim ex cap. 3. Genes. partim ex Ecclesiæ Rom. Missali.

Dicendum hodiè mihi
1. *Valdè flebilem esse hominum, maximè Christianorum, corruptelam;*
2. *Ecclesiam Catholicam, ab eâ corruptelâ dupliciter filios suos hodie reuocare. AVE.*

I.

Valdè flebilem esse hominum, maximè Christianorum, corruptelam.

FERVNT, duos fuisse Philosophos, humoribus (vt loquuntur) planè dispares, sed philosophandi fine pares, Democritum scilicet Abderitem, & Heraclitum Ephesium; ex quibus ille, ridere semper solitus sit; iste, flere; vterque tamen ob perditissimos ac stultissimos hominum mores. Heraclito nostra omnia, miseriæ; Democrito

ineptiæ videbantur. Malim tamen philosopharisendo, quàm ridendo, cum quòd flere sit magis hominis grauis, & ab opinione stultitiæ alienius, quàm ridere: (vnde & Gelasinus ac risor ille Democritus à ciuibus suis vulgò demens habitus fuit) tum quòd à Christo *lugentes beati* prædicantur. *Matth.5.* Denique quòd Christum ipsum agelastam vocamus, risorem non item. Fleuit enim sæpè, non solum puer in cunis, vt nos omnes, sed vir factus, vt videns ciuitatem Hierosolymorum, &c. vt Lazarum suscitaturus; vt pendens è cruce, &c.

Cæterum *suus cuique mos*, & *suum cuique pulcrum* fuit.

Sed vestram fidem Auditores: Vterque, hoc æuo nostro corruptissimo, si ab inferis cum Lazaro &c. excitaretur: ô quàm ille in multis defleret iam perditos mores, alius contrà quàm effusè rideret. Fletu, opinor, Heraclitus totus liqueseeret; Democritus, risu os totum deformaret, ac discinderet.

An non enim quæso ridiculum, imò verò flebile potius, adolescentes sexennium & amplius audisse Philosophos, Theologos Louanij, Parisijs etiam in Sorbonâ; rediisse tamen çquè rerum omnium ignaros atque idiotas, atque erant cum abierant, & omnes quçstiones à suo Curione sibi propositas, per verbum (*nescio*) soluere?

Clericus enim *indoctus per verbum nescio soluit*, ait vulgare prouerbium.

Tales planè Christiani, ideoque ridiculi, qui 40. 50. annos totos audiunt in Missa Prophetias, Euangelia, Conciones; legunt, *in lege Domini meditantur die ac nocte*; neque tamen tantillo meliores euadunt, imò deteriores multi, quã cum baptizati sunt.

1. Timoth. 3. *Semper discentes, & nunquàm ad scientiam veritatis peruenientes*, neque ad praxim ipsam, siue

siue actionem, in quâ virtutis omnis laus consistit.

Cicero initio lib. 1. Offic. putat, filium suum debere *abundare præceptis institutisque philosophiæ*, ex tribus; primò, quòd Cratippum celebrem philosophũ audiret; secundò, quòd annum iam eundem audîsset; tertiò, quòd id Athenis, id est, in vrbe omnis scientiæ parente. Quantò verò magis nos?

Nos enim non Athenis, sed in *Ecclesia firmamento veritatis*; non Cratippum, sed Christum omnis sapientię fontem; non vno anno, sed tot annos iam audire, neque adhuc sapere, an non flebile? Imò torrente lachrymarum, & quidem sãguinearum, si fieri posset, illud sit deplorandum.

Nonne, flebile dicam? an ridiculum? eos, quibus nihil crebriùs obcinitur, quàm misericordiæ opera, quàm illud illustre Dei *memento*, id est mentionem primam in Iudicio futuram, de operibus misericordiæ & cultis & neglectis; interim sic operum misericordię præ cæteris nihil meminisse, ac barbaris sępè immisericordiores esse, ac si de eâ nil audiuissent, vel nil omninò crederent.

Maximè verò ridiculi in Christianis, ac flebiles dies isti duo, hesternus scilicet, atque hodiernus. Hesternus, vobis ridiculus quidem, at Philosophis, seriis, & probis viris valdè flebilis: hodiernus contra vobis flebilis & lugubris; Philosophis verò, grauioribus, probis, lætus & iucundus, à mutatione aliquâ saltem exterâ, in melius; ridiculus verò idem, à tam subitâ illâ totius insolentissimæ bacchationis hesternæ mutatione, in modestissimam compositionem, vt flectẽdorum hodiè genuum, & capitum submittendorum cinerum adsperfioni; item lachrymãdi, orandi, & quid non?

An non heri, vel Democrito ipsi alioquî omnia ridẽti flebilis esse potuit, properata & intempestiua ad

ientacula penè triceſies eodem die iterãda ſurrectio; ad ſectandam ebrietatem; ad bacchandum; ad incurrendam *voluntariam* illam omnem *inſaniam*?

An non vel Heraclito ipſi omnia deploranti, ſi comparauerit heſternis hodiernos mores, tàm ſubita mutatio, riſum quamlibet nolenti extorquebit?

Romani tollent Equites, Peditesque cachinnum. Horat. in Arte.

Certè ferunt, Turcarum Legatos inprimis mirari in Chriſtianis, ac quærere: *ecquâ tandem lege cautum ſit, aut permiſſum, heri adeò inſoleſcere; hodiè verò tàm derepentè adeò ſapere?* Aliquandò enim eos mutationem tantam tamque ſubitam videre contingit, cùm apud Chriſtianos Principes legatione funguntur?

Et audiui, relatu amici, non indocti hominis, Heroldum, quem vocant, Turcicum aliquãdo fuiſſe, qui viſis bidui huius moribus Chriſtianorum, ſuis retulerit, *neſcio quid myſterij noui, apud Chriſtianos biduo illo fuiſſe, quod ſcilicet Bacchanaliorum die inſanuiſſent penè omnes, oua inuicem certatim iactãſſent, &c. contrà ſequenti die, ad mentem omnes rediſſent, triſtes templum adiuiſſent, capita cinere conſperſiſſent, denique quouis vel Philoſopho, vel Sacerdote ſapientiores apparuiſſent.*

O quàm meritò neſcio quis, vel Heraclitus, vel probus dicat tali die: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei?* Ierem. 9.

interfectos in- quam, qua
1. *Gulæ ſuæ gladio?*
2. *Gladio alieno, quem tamen ſtrinxerint gula & ebrietas?*
3. *Gladio peccatorum, quæ varia heri commiſerunt, &c.*

II.

Ecclesiam Catholicam, ab eâ corruptelâ, dupliciter filios suos hodiè reuocare.

Hactenus de stultitia hesterna Auditores. Benè habet, aut non omninò malè, si saltem hodiè conuertimur; si Ecclesiam audimus aientem: *Memento homo*, &c. & dupliciter filios alia ac meliora docentem, verbo scilicet, & facto.

Est enim docendi genus verbo tantum: est & signo tantum: est vtroque.

Nutu signisque loquuntur, ait ille.

Plenissimum autem docendi genus est, quod fit verbo, & facto: item præcepto, & similitudine, siue exemplo. *Alterius sic*

Altera poscit opem res: & coniurat amicè. Horat. in Arte.

Frigida planè omnis Oratoris dictio, nisi etiam actione congrua roboretur.

Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus:
& quæ *Ipse sibi tradit Spectator.* Horat. in arte.

Solenne ergò Deo, Prophetis, Christo, & Ecclesiæ, verbo & facto pleraque multa docere, id est, cæremonijs, & spectaculorum piorum exhibitione, vt animi potentius visu, quam auditu rapiantur.

D. Gregor. homil. 31. in Euange. *Christus aliquandò verbis, aliquando operibus loquitur: aliquando aliud verbis, atque aliud rebus: aliquando autem hoc verbis, quod rebus.*

V. Beda lib. 3. in capit. 11. Marci. Quomodo Dominus multa in parabolis dicere, ita etiam nonnulla in parabolis facere solebat. Vide ibi pulcra.

D. Augusti..... *Miracula Christi, & opera, & verba sunt; opera, quia facta sunt; verba, quia signa sunt.*

*Genes.*41. Pharaoni præsignarunt famem futuram, post frugum copiam, vaccæ septem pingues à macilentis deuoratæ.

*Daniel.*2. Statuæ excelsæ per lapilli contactum delectio, Nabuchodonosori ruinam regni ostendit.

Daniel. 4. Idem præfigurauit somnium Regis, de procera illâ arbore præcisa.

3. *Reg.*11. Propheta Silonites, conscisso pallio suo nouo in 12. partes, ostēdit Ieroboamo regnū Salomonis discissum iri, eique decē tribus obuēturas, &c.

Iere. 16. Ieremias lagunculæ coram populo cōminutione, innuebat futurā Iudæorum desolationem.

Idem aliquandò incessit catenis oneratus, &c.

Ecclesia hodiè nos docet verbo: cùm ait: *Memento homo*, &c. & facto, ceu ceremoniæ spectaculo, cum cineribus sacris capita nostra respergit.

Neque satis scio, an vtilior vlla toto anno ab Ecclesia fiat lectio, quàm ista sit, præter illam, quæ de tota passione Christi est.

Cognitionem enim sui, & illud celebre *nosce te ipsum*, Delphici templi valuis aureo charactere inscriptum refricat. *Hac de re vide nostram Academiam peccatorum, tom. 4. concion. 3. part. 1. in fine, & p. 2. 3. & conc. 4.*

* 1. *Verbis illis: Memento &c.* admonet nos pia mater
  1. *Principij* & originis nostræ, ad humiliationem;
  2. *Finis*, ad pœnitudinem & metanœam, de hesternis, & pristinis stultitijs nostris.

* 2. *Facto*, id est, cinere, admonet operum, seu modi pœnitentiæ, vt luxu vestium, cultuque nimio deposito, sacco, cinere, sordibus, humidormitionibus Deum placare conemur, &c.

Harum enim rerum sunt homines admodum obliuiosi, alioquî cæterarum nimium memores.

Scribum

Scribunt in marmore lasi, vbi obliuionis artem malim: cùm verò alios ipsi læsêre, facilè obliuiscuntur, vbi arte memoriæ opus sit.

Ferunt Themistoclem, cùm ludum præteriret, in quo diceretur artis memoriæ esse professio, contempsisse, ac dixisse: *At ego malim artem obliuiscendi*: ego verò Christianis vtramque optem, vt melius recordentur, quorum tam facilè obliuiscuntur, obliuiscãtur, quorum non expedit reminisci.

Fuêre quidem, qui se homines esse admonerentur, aut admoneri quotidiè se vellent; at Ecclesia non tãtum admonet, vt perpetuum nostrum *memento* sit, (vt sic vocem) quod homines simus, id est rationales, quòd gloriæ est, quia commune cum Angelis; sed quod cinis, & quod mortales, quod est commune cũ iumentis & brutis, & ignominiæ est, ad fastûs nostri, ac cornuum submissionem.

Aelianus lib. 8. var. hist. cap. 15. Philippus Macedo magni Alex. pater, victis in Cheroneâ Atheniẽsibus, puero delegauit hoc officij, vt ei quotidiè manè ter proclamaret: PHILIPPE, HOMO ES: neque ipse prodibat, (vt fertur) neque quemquam conuenire se volentium antè admittebat, quàm eam quasi lectionem ter audiuisset, Rex à puero.

Non nescius erat scilicet, *Victoriã* (vt ait Cicero orat. pro M. Marcello) *naturâ insolentẽ & superbã esse.*

Solebant olim quoque Romæ triumphantibus in curru, adiungi, qui, in medio fastu pompaque triumphali, illis crebrò dicerent: *Hominem te esse memento.* D. Hier. in epist.

Quò prosit, Hominem se cogitare ac mortalem, vide in nostro Orbis terrore Conc. 2. part. 1. 2. & 3.

Maius aliquid mo litur, & melius dicit Ecclesia, cũ hodiè singulis ait: *memẽto, quia puluis es, aut cinis, &c.*

Cinerem enim scire se esse, multò est potentius ad

humiliationem, quam scire se esse hominem.

Neque verò tantùm ait cinerem nos esse, aut fuisse, sed in cinerem quoque reuersuros, seriùs aut citiùs. O vile hominis tam principium, quàm exitium.

*1. *Cineri* an non melius iacere, quàm in altum iactari, vt seruetur moles tota? ita homini melius non assurgere, vt saluus sit.

*2. *Cineri* an non decentius sacco seruari, quàm serico? & homini quoque modestè vestiri, panno quâ auro, conuenientius.

*3. *Cinis* idem omnium omninò lignorum: & hominum omnes, saltem mortui, pares.

Paucis viuis hæc Abrahæ vox, ad Angelos hospites suos, vsurpatur: *Loquar* (.i. audebone loqui) *ad Dominum, cum sim puluis & cinis? Genes.*

Istam iactant potius: *Et mi genus ab Ioue summo.* Et has:

Si genus excutias, Equites, ab origine primâ,
Vsque per innumeros, inueniemur auos. Ouid.

Quid verò tu aliud, quàm ego, aut ego quâ tu? quid Rex aliud à subdito? puluis ac cinis, initio, ac fine, omnes sumus.

Quid superbis terra & cinis? Eccl. 10.

Senec. lib. 3. natur. quæstion. *Quid clientulo tuo irascaris? sustine paululum, venit mors, quæ vos pares efficiat.*

D. August. lib. de nat. & grat. *Respice sepulchra, & discerne, si potes, victum à Rege.*

Par cinis myrrhatorum, mitratorum, mitridatorum ac Mithridatum, & inopum mitris ac diademate carentium.

Scitè quidam, seu Diogenes Cynicus, seu (vt alijs placet) Rex quispiam Brachmanorum, retudit Alexandri fastum, ista speculatione: Interroganti enim, quid

quid ita mortuorum ossa intueretur? respondit: *Calvariam & ossa Philippi, patris quondam tui, quæro; sed inter plebeiorum non discerno.*

Alphonsus Aragonum Rex satis intellexit, qui rogatus, *quæres Reges ac priuatos; diuites ac pauperes; claros obscurosque, denique omnes omnino æquaret;* respondit: *Cinis.* Lib. 4. de reb. gestis Alphons.

Pauonem, qui latè explicatis versicoloribus Iridis quasi specie, plumis suis, adeò superbit, ferunt, tandem inspectis pedibus deformibus, humiliari; cur non etiam homo diuitijs, genere, honoribus, quasi plumis, &c. arrogantior, facile dimissior ac melior fiat, inspectis ortus sui principijs, quasi pedibus, & fine ac cinere, in quem redit?

Agathoclem ferunt, Tyrannum illum Siculum, & ex homine libidini, & latrocinijs dedito; deinde gregario tantum milite? deinde Centurione; deinde Tribuno militum; in demortui tandem Regis locum suffectum, & Regem creatum, quod patrem figulum habuisset, vsum semper fuisse in mensa vasculis Samijs, scilicet, vt continua primæ tenuitatis suæ memoria faceret submissiorem, aut superbire prohiberet.

Fama est, fictilibus cœnasse Agathoclea Regem,
Atque abacum Samio sapè oneràsse luto.
Fercula gemmatis cum poneret aurea vasis,
Et misceret opes, pauperiemque simul,
Quærenti causam respondit. Rex ego qui sum
Siciniæ, figulo sum genitore satus.
Fortunam reuerenter habe, quicumque repentè
Duces ab exili progrediêre loco. Ausonius lib. epigram. epigram. 8. hoc tit. *Exhortatio ad modestiam.*

Addunt alii, nec malè, fecisse hoc etiam ad inflãmandos suos ad capessendam virtutem, atque ostendendum, iter ad honores patere etiam sordidissimæ

conditionis hominibus; magno sanè pudore, nescio quorum. suam vel originem, vel pristinam tenuitatē dissimulantium, imò studiosissimè occultātium, cum ad maiora prouecti sunt.

Sic enim sibi nocent, nec aliis prosunt, profuturi alioqui vtrisque; sibi, modestiæ studio indè aucto; aliis, quasi calcaribus additis, ad virtutem consectandam.

Agathoclem imitari videntur Pontifices nostri Summi, adhuc sigillantes sua annulo piscatoris, & mero plumbo, quasi ei perpetuò memores, se pauperis piscatoris Petri esse successores.

Cæterùm (Auditores) etsi Pontificibus hodiè, Regibusque verè dicatur, æquè vt nobis, & subulcis: *Memento homo, quia pulvis es*, &c. non eò dicitur, vt à subditis contemnantur, sed vt ipsi ortûs finisque sui non obliuiscantur.

Ipsos oportet iam Maiestatis suæ obliuisci, nos verò subditos meminisse.

Si quis subditus Regem &c. contemnit, quia cinis fuit, & iterum erit; posit Rex, & quiuis superior, quod fecit Amasis Aegypti Rex, imitari.

Herodotus lib. 2. hist. siue in Euterpe, sic de illo ad verbum. *Aprie sublato, regnauit Amasis* (med. longa, apud Lucan. 9.) *è tribu* (*seu præfectura, vel prouincia*) *Saitana, & vrbe, cui nomen est Siuph. Eum inter initia Aegyptij contemnere, nec vllius sane momenti ducere, vt qui plebeius fuisset, nec insigni familia ortus. Eos vero postea Amasis ad se solertia, non asperitate perduxit. Erant ei cum alia bona infinita, tum verò peluis aurea, in qua tam ipse, quam omnes conuiuæ, semper pedes abluebant. Hanc ille confregit, ex eaque dæmonis* (al. numinis) *statuam fecit, & in appositissimo vrbis loco statuit. Aegyptij simulachrum adeuntes magnoperè venerari. Id Amasis fieri à popularibus edoctus, conuocatis Aegyptiis ape-*

aperit, ex illa pelui, in qua pedes abluere consuêssent, factum esse simulachrum quod tunc tãtopere venerarẽtur. Itaque se aiebat perinde atque peluim esse factum. Etsi enim antehac fuisset plebeius, in præsentiarum tamen esse ipsorum Regem, eoque iubere, vt sibi honor haberetur, atque reuerentia. Hunc in modum ad se traduxit, ita vt æquum censerent ei seruire. Hæc ibi.

Sacræ templorum nostrorum imagines nihilominus venerandæ, etsi ex ligno anteà humi iacente, & prostituto, fuerint factæ; nec Christi crucifixi, aut Christophori alicuius effigies ideò minus honorãda, si quã cõtigerit ex corpulento illo ligno esse factam, ex quo semper in orbem acto alæ molares cohærẽt, & similiter voluuntur.

Memento tu *homo* subdite, quid sint nũc Reges: Tu Rex, Prælate, &c. *memento*, quid fueris, erisque: *quia puluis es, & in puluerem reuerteris*, & quotidiè reuerteris.

Palea.

* 1. D. Augustin. serm. 147. de Temp. *Christus locutus est, non solum verbis ad aures eorum* (qui tunc fuerunt,) *sed etiam specie ad oculos eorum: parumque erat se præbere cernendum, nisi etiam offerret pertractandum atque palpandum.*

Idem tract. 24. in Ioann. *Quia ipse Christus verbum Dei est; etiam factum Verbi, Verbum nobis est.*

FERIA

FERIA SECVNDA PASCHAE.

Leodij *1614*. in S. Martini Insulani Parœciâ, & alibi, *1616*.

Thema: *Tu solus peregrinus es in Ierusalem, & hæc ignoras?* Luc. *24*.

OPinor (Auditores &c.) vtrisque, & vobis Auditoribus, & mihi Oratori vestro, suum incommodum hodie ferè idem accidisse, quod vulgò solet, & conuiuis edacibus ac bibacibus, & Conuiuatoribus prodigis.

* 1. *Vobis* quidem, quod conuiuis illis voracibus, etsi nulla culpa vestra. Vt enim illis, hesterno mero ciboque egregiè adhuc saturis, ferè contingit nausea, & omnis cibi potusque, quamlibet sapidissimi & optimi, etiam nectaris & ambrosiæ fastidium, & quædam diætæ (quam vocant) atque inediæ necessitas, ad hesternam illam tantam repletionem vacuandam, vt lupis ferunt accidere triduana ieiunia, post multum cibum tolerantibus: sic vobis fortè longa, de Passione Domini, concione à nobis proximè habita adhuc fatigatis, hodiernus sermo futurus iucundior. Sic saltem solent crapulati.

Certè aliquando fuisse ferunt pœnitentem nescio quem, Christianum quidem illum, sed pessimæ notæ, & crassiore atroque sale baptizatum, vt est in prouerbio, qui cum, circa Pascha, Catholico ritu, peccatorum confessionem faceret, atque (vt fit) seriò interrogaretur à Confessionis auditore, an Quadragesimale ieiunium integre toleraſſet, aut saltem ieiunasset aliquot quauis hebdomada diebus; respondeſit,

rit, vno tantum die se ieiunium tota Quadragesima coluisse; cumque Sacerdos valdè mirabundus adiiceret, credere se, id feria sexta hebdomadis pœnosæ ab eo factum, quod is dies, aut potius Rex dierum, præcipuo rigore à Christianis veris coleretur, negauerit, & feria quarta Cinerum dixerit factum, idque non tam religione in illum diem, aut sacri ieiunij studio, quam ciborum fastidio, & quasi dietetice ac medicinali regula accidisse, quod scilicet pridie illius diei, id est, Bacchanaliorum festo profanissimo, deuotius Baccho Ventrique sacrificans, nimio se cibo potuque ingurgitasset, vti proh dolor: etiam alij plerique nimis multi tunc solent.

Ludrica, inquis, atque exsibilas: Fateor: ludicra, sed respondeo cum Bellarmino: *Ego quidem non libenter soleo, præsertim hoc loco, res ludicras rebus seriis immiscere: tamen cum ex rebus ludicris, res seria colligi possunt, cur non liceat vel semel in anno, & tali opportunitate oblata, in medium aliquid minus seuere adferre?* Rob. Bellarm. in concio. aduersus Bacchanalia, M.S. à meo fratre Gulielmo Bosquiero.

Ergo ita se habent, qui, quouis conuiuio, metam sobrietatis longè lateque excesserunt. Est scilicet fastidij mater, nimia cuiuscunque rei abundantia.

Meritò ergò etiam vereor aliquid tale de palato cordis vestri.

Nam non ita pridem à me (die scilicet sancto Paraseues) tractatione forsitan nimis copiosa Passionis Dominicæ, quasi Solis mensa omnifarijs cibis spiritalibus referta vobis à me proposita, prolixitate conuiuii quadrihoraria, aut quinque horaria fatigati fuistis, ac importunitate mea, Conuiuatoris scilicet prodigi (sed quis aliter possit illo die? tali, & tam inexhausto argumento? cui aliquandò, an-

anno scilicet 1599. Audomaropoli, in ipsa Cathedrali, tractando, ne Quadragesima quidem tota satis mihi longa fuit: imò ne altera quoque Quadragesima Thudini, in eiusdem argumenti continuatione versanti, anno 1610. ad absoluendum suffecit? *non enim satis esse potest, quod dicitur*, ait D. Leo ser. 10. de Pass. & quod semel fit annuè, magnificè id fiat oportet.) coacti penè fuistis ad fauces vsque impleri, id est audire vsque ad tædium: vt facilè sit, vos hodiè, nondum bene concocto, digestoque illo pastu, ad hodiernum nauseare, parumque alacriter meaudire, etsi Dei beneficio, optimè condita, & nuperis illis nihilo insipidiora, (quod velim, & studeo) à me offerri contingat.

* 2. *Mihi verò* contrà acciderit (metuo) quod Conuiuatoribus ipsis valdè liberalibus, aut etiam Prodigis (quales ferè solent esse homines auariores, qui quia rarò epulum proponunt, cùm fortè fortuna cõtingit proponere, proponunt vberrimum, & ipsi Solis mensæ, aut Sybaritarum conuiuijs inuidendum; vndè & apud nostrates natũ illud prouerbiũ: *il n'est chere, que dauaricieux*, id est, nullius meliora aut veberiora esse conuiuia, quam auarorum: tàm profusi enim solẽt illi tunc esse, vt eos diceres velle vno die sua, & veterum decora alta parentum, perdere, imò etiam proteruiam, quod aiũt, facere; sed postero die, imò toto anno reliquo, assumpta à cognatis simila solis iam furfuribus, & aqua victuros:

Viuent siliquis, & pane secundo.

Veniat deinde hospes alius quiuis, nihil inueniet apud illos, ipso solo frigidius. *Nemo domi.*

Parcimoniam nimiam nimia prodigalitas facit.

Sera in fundo parsimonia. prou.)

Ego enim certè (fateor) vltimâ ad vos Concione de Passione Domini, tam effusus fui, & prolixus, vt me

me ipſe exhauſerim, non literis fortaſsè, & dicendi materia:(quomodo enim? Nam *ipſa materia* Paſsionis,ait Leo ſerm.10.de Paſſ.Domini, *ex eo quod eſt ineffabilis,fandi tribuit facultatem:*)ſed viribus,ſed voce & faucibus corruptis,& rauim(vt videtis)patientibus dicendi organis.

Non potero ergò(vereor)hodiè, quod ſentio,eloqui, pro triumphi reſurrectionis Chriſti dignitate, & Euangelij hodierni tam amplitudine, quàm prolixitate.

Sed benè habet (Auditores &c.)vt Omnis commoditas ſua fert incommoda ſecum: ſic contrà omnis incommoditatis,commoditas quædam eſt comes.

Incommoditas ergò hæc mea, fortè incommoditati huic veſtræ futura eſt commodiſsima.

Nam, ſi nauſeat iam anima veſtra, aut ſi parũ hodiè eſuritis;etiam adeò parum eſcarum,ac ferculorũ, à me iàm tenuis fortunæ homine,id eſt, voce & viribus defecto,eſtis habituri, vt vel tantillum reſpuere non poſsitis, faxit verò Deus, vt ſit modicum & bonum,ac vtriſque ſalutare, vt fiat quod vulgò dicitur: *Vnum,ſed Leonem. Porro vnum eſt neceſſarium.*

Dicendum ergò hodiè mihi
1. *An Chriſtus hodiè aſſumſerit ſpeciem peregrini: ſi non,quomodo talis dictus, & creditus, à duobus iſtis viatoribus;*
2. *Duos iſtos Chriſti diſcipulos videri varijs imperfectionibus laboraſſe;*
3. *Perfectiones tamen eorundem præponderaſſe, quæ hic memorantur.*

AVE.

I.

An Chriſtus hodiè adſumpſerit ſpeciem peregrini: ſi non, quomodo talis dictus, & creditus à duobus iſtis viatoribus.

Ecce

Ecce nobis iam iam vel in ipso portu scopulus (Auditores, &c.) id est, quæstio: An Christus hodiè peregrini speciem adsumserit, vt quondam Raphael Tobiæ iunioris comes?

Ita videri facit
1. *Scriptura duplex*;
2. *Vulgi fama atque opinio*;
3. *Pictura*;
4. *Ratio*.

* 1. *Scriptura* duplex.

* j. Ex Euangelio iam recitato, vbi dicitur: *Tu solus peregrinus es in Ierusalem* &c.

Item: *Et ipse finxit se longius ire*, id est, præparabat se viatoris festinantis instar, ad iter longius, & iuisset, nisi vim feciſſent comites fortuiti, vt intraret.

* ij. Marci 16. *Post hæc* (id est, post illam apparitionem, qua priuatim Magdalenam dignatus fuerat) *duobus ex his ambulantibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam*: id est, nostris istis duobus viatoribus Emmauntinis, Cleophæ scilicet, Emmaunte domum habenti, & (vt creditur) Lucæ Euangelistæ: *Aliâ*, inquit, *effigie*.

At quæ effigies alia esse commodior nunc potuit, si aliam à sua assumsit, quam peregrini, vt scilicet viatoribus istis assimilatus, quasi auis auibus concolor, consolaret, & gratior, & ad fiduciam eorum ac lætitiam accomodatior? Ergo.

* 2. *Vulgi fama*. Vulgò scilicet ita dicitur, ita creditur.

Vox populi, vox Dei. prou. ita maximè, si optimorum è populo.

D. Bonauent. c. 7. vitæ D. Francisci. *D. Franciscus semel, die sancto Paschæ... memor illius, qui discipulis euntibus in Emaus, ipso die in specie peregrini apparuit, ab ipsis fratribus eleemosynam petijt, vt peregrinus & pauper.* * 3.

*3. *Pictura.* Ferè enim cum Iesus pingitur medius duorum istorum, exhibetur specie viatoris ad S. Iacobi Galicienſis fanum, aut aliò, euntis, aut indè redeuntis, pileo circumcirca conchyliato, & columellis osseis vermiculato, penula decurtata, tibijs quasi ocreatis, aut potius peronatis, & baculum manu gerens, quæ omnia sunt peregrinorum insignia.

*4. *Ratio.* Quia non est agnitus ab eis, homo alioquî ipsis vel vnguibus suis notior, post triennalē scilicet, aut circiter, cum eo conuictum, aut perfrequē-tem inter conciones & miracula conspectum.

Non solum toto cultu vultuque mutatus fuisse videtur, sed & vocis sono, ac toto genere styli.

Cùm enim ego tuque ostiū pulsans, respondemus cuiuis ianitori, qui tamen antè probè nos nôrit, EGO SVM, etiam tacito nomine, & nondum visa pulsantium facie, tamen agnoscimur ab illo, &, pessulo remoto, ostioque aperto, mox introducimur.

Vox quidem, vox Iacob est, aiebat cœcus ille, sed minimè surdus senex. Genes.

Apud omnes populos commune, illud omnium responsum EGO SVM, datum visitatâ cuiusque voce à ianuarum pulsatoribus, quemlibet aliàs notum satis indicat: at nec ipsa Christi prima salutatio, & quæstio: *Qui sunt sermones isti, &c.* nec facilè trium horarum lectio, seu sermo ab eo ad eos viua voce habitus, de scripturis Biblicis, Christum ipsis indicauit.

Trium facilè horarum, & fortè ampliùs (inquam.) Nam si (vt Beda ait) stadium est octaua pars miliarij, sexaginta illa stadia (quot sc. quasi curriculis distabat Ierosolyma ab Emmaunte) septē millia passuum, & quingentos continebant, id est, septem miliaria & dimidium: vt verò Munsterus scribit, *Stadium est locus, in quo equi & homines exercentur ad cursum, siue*

vbi athletæ certant. Habet autem ſtadium paſſus centum & viginti quinque, vt Plinius tradit. Sicque octo ſtadia faciunt mille paſſus, qui faciunt vnum miliare Italicum. Germani verò pro ſuis miliaribus communibus quadruplicant miliare Italicum, faciuntq; ex triginta duobus ſtadijs vnum miliare. In Heluetia verò non raro ſurpant 40. aut 50. ſtadia pro vno miliari, nullâ certâ ratione itinerum diſtantias metientes. Sebaſt. Munſterus lib. 5. Coſmogr. mihi pag. 1065.

Memorabile illud hic non tacendum, quod ſtadium vnum Hercules vno ſpiritu confecerit.

Nec illud, quod vel pictor, vel ſtatuarius, neſcio quis, ſummus tamen artifex, ex pedum numero, & pedis magnitudine, Herculis ipſius, metatoris Stadii illius famoſiſsimi Olympici, totam ſymmetriam, & magnitudinem diuinârit, expreſſeritq;, vt ille *ex vngue Leonem*. Sed hæc aliàs.

Brocardus verò Monachus ſic ait: *A Ieruſalem decem numerantur leucæ, contra Occidentem ad caſtellum Emaus, vbi Dominus in fractione panis cognitus eſt à diſcipulis. Is locus hodiè Nicopolis dicitur.* Brocard. in Terr. ſanct. deſcriptione cap. 9. mihi pag. 37.

Ergò (ad rem vt reuertar) non modò Chriſtus induiſſe vultum ac cultum peregrini, ſed & dictionem totam ac ſtylum mutaſſe, videri rectè poſsit.

* *Adde*; & Sozomenũ lib. 6. hiſt. trip. de Emmaunte & hâc hiſtoria loquentem, dicere, peregrini formâ apparuiſſe.

Sed contra eſt, quod dicitur: *Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent*: & paulò poſt: *Et aperti ſunt oculi eorum*: vnde fatendum, in ipſis diſcipulis potius errorem iudicii, quam in Chriſto vllam mutationem fuiſſe.

D. Bonauent. comment. in hunc locum, & ipſiſsima Lucæ verba, Oculi eorum tenebantur. *Ex quo apparet*

paret (inquit) *euidenter, quòd Christus secundum veritatem non mutauit sui corporis effigiem, nec figuram, sed secundum solam apparentiam : nam in oculis discipulorum alius apparebat. Vnde Gloss. super. 19. capit. Genes. Quòd discipuli percussi erant à miseriâ* (acrisia mel.) *quâ quidem fit, vt res aliquo modo videatur, & aliquo modo occultetur .... Nec fuit mutatio in corpore glorioso, nec fuit deceptio ex parte Domini, sed dispensatiuè Dominus oculos eorum velauit.*

Erasm. paraph. in Luc. 24. *Se itineris socium præbuit, sed ignotâ specie, non quod haberet idem corpus, quod habuerat ante mortem; sed quod, ita volente Iesu, impeditus sit illorum obtutus, ne quem cernebant, agnoscerent.*

Non enim verisimile est, Christum hic *Magos* imitatum, ita olim vocatos, *qui falsas imagines sibi adsingebant .... qui perstringebant hominum oculos, vt alij esse viderentur, quàm essent.* Suidas in voce Μάγος.

Respondendum ergò ad

*I. *Vocari* à duobus illis viatoribus peregrinum, non quia vultum cultumque peregrinum haberet, sed quia genium & morem, ignorantis scilicet & incurioſi rerum, quæ locis illis quæ pertransit, aut geruntur, aut gestæ sunt.

Rerum alienarum ignoratio, propria est peregrinorum.

Ea phrasi prouerbiali dixit Horatius lib. 1. epist. *Quære peregrinum, vicinia tota reclamat*, de quodam scurra plano siue sycophanta (est enim dictio Græca πλάνος, significans tum erronem, tum impostorem) qui ponte sua cadens, tanquam crure fracto, miserâdis vocibus prætereuntes implorabat, vt se humo tollerent. Peregrinus autem quispiam ac doli ignarus, si quando alleuaturus accessisset, à scurra ludibrio habebatur. Itaque quibus iam ciuibus aut vicinis noti

erant ludi eius & simulationes; cùm deinceps sicuti deret, dicere poterant: *Quære peregrinum*, aut hospitem, id est, ignarum fraudis tuæ, quam satis nôrunt domestici & vicini. Et contigit profectò illi scurræ, iusto iudicio Dei, vt cum aliquandò crure verè fracto, tolli precaretur, nemo subueniret, omnibus sycophantam solitos ludos agere arbitrantibus.

Vide Eras. in Chili. prouerb. Tollat te, qui non nouit.

Est ergò *Tu solus peregrinus es, &c.* idem ac si diceretur: adeone tu hospes es, & tam parum versatus Ierosolymis, vt hæc nescias, alioquî nota lippis & tonsoribus?

Quod autem Marcus dicit, *in alia effigie* viatoribus istis apparuisse, non est sic accipiendum, vt alia effigies fuerit ab visitata, sed alia ab illa, qua Magdalenæ apparuerat, Hortulani scilicet: id est, Cleophæ & Lucæ adpariturus, Hortulanum iam exuerat, induerat formam vsitatam. Quamquam & id quoque hic notandum, nec ipsi Magdalenæ fortassis apparuisse, vera hortulani specie, eadém de causa, ob quam hic negatur forma peregrini visus fuisse, sed ideò quoque dici forma hortulani Magdalenæ apparuisse, quod & ipsa iudicio errans, talem sibi visa sit videre, aut potius audire, quem tamen vel nondum omninò, vel valdè obiter, intuita fuisset; nam paulò pòst dicitur *conuersa*, vt scilicet audiuit se suo Mariæ nomine compellari: sic enim ait Ioannes cap. 20. *Dicit ei Iesus: Maria. Conuersa illa, dicit ei: Rabboni (quod dicitur Magister.)* Antea ergò vel illum tantum loquentem audierat, non etiam adspexerat, aut valdè negligenter, ad quem posteà se proprio nomine compellantem studiosè se vertit, defixeque adspexit, & agnouit.

Et profectò, fuit facile Magdalenæ, virum ignotum sibi procul in horto humaniusculè loquentem, nec

nec satis consideratum, credere hortulanum, horti dominum, quod Christi sepulchrum in horto esset. *Erat autem in loco, vbi crucifixus est, hortus: & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus fuerat. Ibi ergò propter Parasceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum,* ait Ioan.c.19.

Ergò nec hic, nec ibi, verè alia atque alia effigies fuit, & tamen alia atque alia vtrobique verè dicitur fuisse, quia & hic & ibi ab oculis ac iudicijs errantibus, alia atque alia, etsi falsò, credita est, hic Deo oculos duorum viatorum tenente, ibi Maria initio parum considerante.

*2. & 3. *Vulgi* famam & picturas, res esse liberrimas, & sæpè erroneas, aut si nō planè erroneas, loqui tamen & sequi literæ primū corticē, & primū conceptum, vel etiam sic velle exprimere, qualis tunc esset Christus in duorum istorum discipulorum mente.

Pictoribus atque Poetis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas. Horat. in arte.

Poesin si esse picturam loquentem definire licet? licet & definire picturam poesin mutam esse. *Tacitum pictura poema.*

Poeta est pictor loquens, & pictor est poeta tacens. Vide S.Basil.orat.de Barlaam, & S.Gregor.Niss.vbi cōmendat pictorem, fortia facta martyris coloribus artificiosè depingentem.

Vtrisque autem fingere vsitatissimum est, & elegantissimum, dummodo nihil nimis prodigiosè: dūmodo non *Delphinum siluis adpingat* (aut adfingat) *fluctibus aprum.* Hora.in arte.

Vnde illud: *Pictura est veritas falsa.* Matth.Tympius in mensa sua Theolo-philosophica, tit.de rebus varijs, quæst.128.

*4. *Agnitionis* impedimentum posse esse etiam

diuturnum, vt in Tobia, ergà Angelũ Raphaelem, tota peregrinatione tam lõga accidit; posse quoq; esse, tã à parte sensuum visus & auditus obnubilatorum, obsigillatorum, & obturatorum, quàm à parte vel visæ rei, vel vocis auditæ, aliter atque aliter figuratæ. Hic autem accidisse à parte sensuum ipsorum, non rei sensatæ, vt loquitur schola, id est, sensibus obiectæ.

Nihil in Deo laruatum, vt meritò dicere sit illi illud Aeneæ, ad Venerem matrem: *Tu quoque falsis*
Ludis imaginibus? cur dextræ iungere dextram
Non datur? ac veras audire, & reddere voces? Virg. 1. Aen.

Tu quoque? q.d. *Sicut Iuno, & cæteri Dij nobis inimici?* Seruius hic.

Sicut *Satanas, qui se transfigurat in Angelum lucis*, in Regem, Eremitam, &c.

Ergo in solis siue auribus, siue oculis Apostolorũ, error fuit.

At quomodo id factum? an { 1. *Miraculo?* / 2. *Naturæ vitio?*

* 1. *Miraculo*, fortasis, vt Genes. 19. *Angeli*, Lothi hospites, *eos qui foris erant* Sodomitas, *percusserunt cæcitate à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent.*

In circuitu impij ambulant. Psal.

Sic percusi, qui ad capiendum Elisæum exierant. Videntes enim & non audientes eum, non agnoscebant. 4. *Reg.* 6.

Sic illi, de quibus dicitur: *Iesus transiens per medium illorum ibat.*

Sic Romani milites, quibus dixit in horto: *Ego sũ*, vt qui nec iam osculo Iudæ indicatum, nec iterum eos adloquentem agnouerint. Nam si agnouissent, cũ iterum peteret, *Quem quæritis?* non respondissent, *Iesum*

ſum Nazarenum, ſed *Teipſum*. *Teipſum quærebam*, ait ille.

Sic & Paulus ipſe, cum in diſcipulos Domini ſæuiturus, quaſi fulmine ictus, equo deiectus eſt, & *apertis* deinde *oculis nihil videbat*. *Act.*

Sic & Magus ille, quem Paulus percuti à Domino cœcitate impetrauit. *Act.*

Sic aliquando anxiè quærimus, quod præſentiſsimum habemus, & tenemus manu, &c.

Fuit qui equum, quaſi perditum quæreret, cui tamen inſidebat: alius qui ocularia, qui calamum, qui calathum &c. quæ naſo, aure, brachio geſtabat. Ego id putem Acriſiam dici, id eſt, abſentiam iudicij vel delectus. Budæo in Comment.

D. verò Auguſtinus putat ἀοράσιαν dici.

D. Auguſt. lib. 22. Ciuit. Dei, cap. 19. *Cum aliquid non videtur, quamuis adſit, à quibus alia quæ pariter adſunt, videntur: ſicut illam claritatem* (Chriſti ſc, rediuiui) *dicimus adfuiſſe non viſam, à quibus alia videbantur,* ἀοράσια *Græcè dicitur: quod noſtri interpretes Latinè non valentes, in lib. Geneſeos cœcitatem interpretati ſunt. Hanc enim paſsi ſunt Sodomitæ, quando quærebant oſtium iuſti viri, nec poterant inuenire, &c.*

Vbi Ludouicus Viues eius commentator: *Eſt enim* (inquit) ὁράω *ideo, &* ὅρασις *viſio: hinc per priuationem* ἀόρασία *viſioni contrarium, &* ἀόρατα, *quæ à Platone, Ariſtotele, & cæteris Philoſophis dicuntur inuiſibilia.* ἀορασίας *neſcio an ſit aliquod Latinum verbum.*

Hinc illi rhythmi neſcio cuius autoris:

Dic oraſis Græcè, quod viſio dico Latinè,
A quo compoſitum noſcas aoraſia Græcum.
Sed vis ſit merito quotiens, aoraſia pone.

* 2. *Naturæ vitio*, vt ſit, vehemeuti vel { 1. *Timore*; 2. *Amore*; 3. *Deſiderio*.

Talibus enim sæpè æstimatiua virtus, & iudicium discretionis, derepentè obnubilantur, & obiecti præsentis species aliò transfertur.

Hebetesq; visus vix diem insuetum ferunt. Senec. in Hercule furente, Act. 3.

Perculsi autem erant isti duo vehementi

1. *Horrore* horridæ mortis Domini sui;
2. Timore crudelitatis Iudæorum, qui in Pastorem sic fuerant debacchati, ne fortè etiam in oues debaccharentur. Nam *qui me* vel odit, vel *amat*; idem odit vel *amat & canem meũ*. Bernard. ser. Et aufert mentem metus, vnde Varroni: *metuo* idẽ quod *mentem quodammodo motam moueo*. lib. 5. de ling. lat.
3. *Difficultate* credendæ Resurrectionis Domini à morte, maximè post tot taliaq; vulnera;
4. *Opinione* magnâ furtim ereptiâ Iudæis corporis Christi, quod in monumento non *inuentum* iactabatur, ab ijs qui viserant iterumq;, iterumq;.

Difficilia creditu, sæpè etiam quum sunt præsentissima, non agnoscuntur aut creduntur.

Verbi causâ: Surrexerit tibi à mortuis, recenter mortuus pater, aut ex certissimo naufragio redeat, appareat, te tangat salutans, te adloquatur; ægerrimè etiam sic credis ipsum esse: dicis tecum: Ipse est, non est: imò est: vel *non est hic, sed similis illi est*, vt de cœco nato, *Ioan. 9.* vel *Angelus eius est* vt de Petro ex vinculis Herodis elapso. Act. 12.

Tarda solet magnis rebus inesse fides.

Maiora

Maiora veris monstra vix capiunt fidem. Senec. in Troad. Act. 2. Vt contrà sæpè

Quod nimis miseri volunt, timent aut sperant,
Hoc facilè credunt. Idem in Hercule furente, Act. 2.

Prona est timori semper in peius fides. Ibid.
Credula est spes improba. Idem in Thyeste, Act. 2.

Nec sunt miracula gratis, aut citra necessitatem multiplicanda.

* *Denique*; Cur adeò præcisè vt viator apparuerit, qui tunc erat comprehensor?

* *Tamen* in cultu eius ac vestitu mutationem fuisse haud dubium. Nam certè vestitus tum adparuit; Vestes autem vsitatas non gestabat, tum quia milites partiti erant vestimenta eius sub cruce, & tunica vni sorte tota obtigerat, nec eas receperat; &, si miraculo ad tempus tantillum eas recepisset ac gestasset; vel ex vestibus mox agnosci potuisset. Sed de his satis.

II.

Duos istos Christi discipulos videri varijs imperfectionibus laborasse.

Quam verè dictum, *Nemo ex omni parte beatus?*
Et: *Vitijs nemo sine nascitur?*

Et vulgò: *Grano cuicunque sua palea*; aut legumini cuiuis sua siliqua?

Medio de fonte leporum,
Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat.

Habēt, vt corpora etiam pulcerrima nævos suos, sic animi vitia sua.

Scilicet, vt sic cuique, vnde cornua submittat, seque humiliet, & omnes alter alterius onera por-

temus, conſcii & in nobis eſſe aliquid, ab aliis diſſimulandum, & oneroſum.

Etiam poſt laudum humanarum plauſtrum, addere ſemper eſt aliquod (SED) vel (NISI) vt dicitur noſtrate prouerbio.

Vt ſit pauo verſiculoribus plumis ornatiſsimus & ſuperbiſsimus, *ſordes* tamen *in pedibus eius*, ac deformitas tanta, vt, oculis illò deiectis, deijciat ipſe mox animos illos ſuos magnos, & rotam illam, quæ ab illis: ne dicam, quàm prauè cantet, imò quàm horrendum ſtrideat: vnde & verſus:

Angelus in pennâ; pede latro, voce gehenna.

Iob. *Et in Angelis ſuis reperit prauitatem.*

Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in eam lapidẽ mittat. Ioan. 8.

Id vel in duobus iſtis viatoribus Emmauntinis, tantis Chriſti diſcipulis hodiè videre eſt.

Laborant enim ſcilicet
1. *Incredulitate ſummâ;*
2. *Exactione iniquiſsimâ;*
3. *Candoris in mortuum Dominum penuriâ;*

* 1. *Incredulitate* ſumma. Nec tot prædicationibus Magiſtri, de reſurrectione ſua tertio die futura; nec mulierum ac ſociorum affirmationibus, de vacuo monumento, & rediuiuo Domino, habent vllam fidem.

Nec modò non credunt adhuc factum, ſed nec vnquam ita fore. *Nos ſperabamus*, inquiunt; quaſi dicant, ſperare iam deſiimus, futurum deſperamus. Sperauimus hoc tantum. Inanes omnes ſpes noſtræ.

Parum abeſt, quin iam putemus, à Domino nobis data verba, & hîc, & alibi etiam ſæpè. Fides enim quæ in ſummis claudicat, in paruis ruit.

* 2. *Exactione* iniquiſsima promiſsi diuini. Nam, vt Do-

vt Dominus promiserit resurgere tertio die; fuerat tamen saltem Solis occasus tertij diei expectandus, & clausas iam ianuas fuisse oportebat, antequam promisso defuisse censeretur. Dixissent saltem: vt nondum surrexerit, tamen adhuc speramus surrecturum.

Vt dies iam sit inclinatus; ignoratur *quid serus vesper vehat.*

Huc pertinet, quod Iulio Cæsari velut exprobranti vaticinii vanitatem à Spurinâ responsum est; *Venisse Calendas Martias, non etiam præterijsse.* Sueton. in Iulio Cæsare. cap. 18.

Et: *Multa cadunt inter calicem, supremaque labra.* Vide Gellium lib. 13. Noct. c. 16.

Quis tam rigidus mercator, & (vt loquuntur) tam punctualis exactor, qui, si mihi octiduum, æri alieno dissoluendo dederit, exigat octauo die adhuc claro, non etiam vesperam patientissimè, aut nonum & decimum diem insuper expectet, antequam in ius me vocet, aut diem dicat?

At hi duo vel *ipsâ die ibant in castellum*, ipso resurrectionis die adhuc claro, & penè meridie desperationem iam tum suam profitentur.

Ipso (inquam) penè meridie. Nam quatuor ferè miliaria illo die confecêre ante solis occasum: aduesperascit, & inclinata est iam dies, inquiunt illi Domino, cum sint in hospitii sui ianuis, quod iter horarum facilè quatuor spatium requirebat, maximè tristibus ipsis, & Domino Iesu toto itinere sublimissimè philosophante de scripturis Moysi & omnium Prophetarum, ac fortè sæpè (vt fit) subsistente, ac stante in mirabilioribus ac difficilioribus.

Adde tempus consumptum parandâ cœnâ, sternendâ mensâ, benedictione faciendâ à Christo, & fra-

& fractione panis; & post illa omnia inde iterum Ierosolymam, ad suos collegas redire eodem die potuisse. quod Euangelista ait factum.

Ergo exigebant nimis immaturè multò ante elapsum tertium diem, Domini resurrectionem, & quasi vani promissi eum accusabant. Proh! præproperos exactores.

Quid est, si hęc non est fœda exactio, & in Deum contumelia? Nos sperabamus, id est, iam desperamus, cum tamen nondum dictus dies clausus sit.

Antè diem clauso componat vesper Olympo, quam eâ de re desperetis. *Nos sperabamus.*

Si moram fecerit, expecta eum? quoniam veniens veniet, & non tardabit. Abac.

Differ, habent paruæ commoda magna moræ. Ouid.

Quod ratio nequit, sæpe sanauit mora. Senec.

* 3. *Candoris* in Dominum mortuum penuria.

Non falsa quidē illi, aut infamia in illum, etsi (vt opinantur) absentem & mortuum, iactant, sed tamen fame eius & veritate longe inferiora.

Ita scilicet longè ab oculis positorum, aut vixdū benè mortuorū, nescio quæ vel obliuio, vel neglectus nonnullis mox irrepit.

Tamen hominium memoria neque morte ipsa deleri debet.

De Booz magna cum laude ait Noemi. *Benedictus sit à Domino, quoniam eandem gratiam, quam præbuerat viuis, seruauit & mortuis.* Rut. 2.

Audite singula fere eorum verba Liptotica (vt sic dicam) & minora veris.

Roganti Iesu, *quæ*, & de quo loquātur? respondēt, *De Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta*, &c.

Singula verba minus magnifica fuisse quā oportuit,

tuit,non ſubauditis?

* j. *De Ieſu.* Non Chriſtum appellant , Meſsiæ ſcilicet cognomento,ſed Ieſum, quod puri hominis eſt nomen,quodque meri puriq́ue homines plerique geſſere,vt Ioſue filius Naue, Ductor bellicoſiſsimus, qui pop.Iſraelitarum in terram promiſsionis introduxit;& Ioſeph ſapientiſsimus ante illum,in Aegypto dictus *Saluator Mundi*, ab illa annonæ prouidentiſsima procuratione;& filius Syrach,doctor peritiſſimus;& Ieſus Ioſedec Sacerdos ſanctiſsimus ſecundum opinionem vulgatam. Nam certè Galatinus noſter,etſi figuram veri Ieſu fuiſſe concedat, tamen nomine Ieſu vocatos fuiſſe negat,& pernegat. *R. P. F. Petr.Galatinus,Minorita,lib.3sde arcanis Cathol.verit. cap.*20.

* ij. *Nazareno.* Bethleemiticum vocari, fuiſſet honorificentius. nam inde Regem Iudææ promiſſum naſci oportebat,vbi olim & Dauid ipſe,natus erat.

Quin etiam verius fuiſſet. nam etſi in Nazareth erat prænuntiatus,& conceptus,nutrituſque; tamen, Bethleemi fuerat natus: à loco autem natiuitatis patria cuique adſignatur.

Denique fuiſſet minus pudendum. Nazareth enim tum quoque (vt quædam nunc vrbes aliunde) malè vel à nequitia,vel ab ineptia audiebat: A *Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* aiebat ille: quaſi dixiſſet: poteſt in Scythia naſci Anacharſis? aut Cumis,vrbe improuida,Vlyſſes aliquis,vel Heſiodus,vel Sibylla?

Puder aliquando nonnullos, fateri ſe,vel audire, eſſe in Arcadia aut Boœtia, hic vel ibi natos, tantum ne eodem luto hærere,aut in eadem naui eſſe videantur: malint ciues vel Romani,vel Athenienſes , vel Montenſes,quorum vrbem vulgo appellant *domicilium Sapientiæ*(gall.*le ſeus de Mons*)credi ac nuncupari quaſi gloriæ earum vrbium nobiliſsimarum participaturi;

paturi;quamuis reuera *aliena laudat, qui genus*,& patriam,aut vrbem *iactat ſuam*, in quæ nihil contulimus,& quæ non ipſi elegimus.

D.Franciſcus noſter huc ſpectans fortaſſe, concionem habens apud caſtrum Græcij, de natiuitate Regis pauperis,populo circumſtante,*cum eum nominare vellet, puerum de Bethleem*, (non de Nazareth.) *præ amoris teneritudine nuncupabat*. D. Bonau.c. 10. vitæ eius.

* *Deinde*;ambiguum Ieſu Nazareni nomen, & infamiæ proximum, propter quendam alium Ieſum etiam Nazarenum,de adulterâ ac pollutâ natum,idololatram,magum,legiſque ſubuerſorẽ,& tandem ob ſcelera ſuſpenſum,agentem in viuis decem & cẽtum annis ante Pilati &Chriſti tẽpora,nempe ſtante tẽplo ſecũdo,regnãte Hircano Machabæo,Simonis Machabæi filio; diſcipulũ autẽ Rabbi Iehoſuæ filij Perahiæ, vt narrant Talmudiſticæ hiſtoriæ in cap.Helec. vnde quamplurimi ac penè innumerabiles, propter hiſtoriæ ignorantiam,& forte Rabbinorum recentiorum prauitate decepti,turpia omnia illa de Ieſu gloriofiſsimo Saluatore noſtro dici putant,ait *R.P.Fr. Petr. Galatinus,Franciſcanus,lib.1.de arcanis Catholicæ veritatis,cap.7.*

* iij. *Qui fuit*.Non,qui eſt,aut adhuc ſupereſt.

Deus enim *in æternum eſt,& vltra.*

Ego ſum,qui ſum;Ens perpetuum;Ens magnum; *Ens entium* omnium;principium ipſorum & finis, quæ ei comparata entia non ſunt,vel ſenſo Ariſtotelis.

Qui eſt,miſit me ad vos,ait ad Moyſen,& filios Iſrael.*Exod.*3.

Ego ſum,aiebat Ieſus exercitui ſe captanti.*Ioan.*18.

Inſcriptio templi Delphici(Eĩ) id ſignabat.

Et in portâ templi Salomonis ſemper ὄν, id eſt Ens,Deum vocat, quod ſolus Deus verè ſit.

Ioan.

Ioan.7. *Si non credideritis, quia ego sum; moriemini in peccatis vestris.*

Vide Theatrum nostrum Patientiæ, al. Codrum Euangelicum, Concio.20. parte 1. pag.242. edit. Crithij.

* iiij. *Vir.* Fuit *Deus Filius*, aut *Filius Dei*, dictum oportuit.

Græcè est ἀνὴρ, id est vir; id est, magnanimus, minimè seruilis, nec in dictis, nec in factis. *Fuit* quidem *vir*, à vi & virtute, hominibus ab humo & mollitie ita dictis. altior (inquiunt) sed hoc tantum, fuit vir similis cæteris, quasi aut non intelligant, aut non credant Deum hominem factum, & pro homine mortuum.

Laudis est dici Virum. Nam *multos quidem esse homines, paucos autē viros*, ait Herodot. in Polyhimniâ.

Et erat profecto Vir, seu Homo: nam *si ille non esset homo, non* liberaretur homo, (ait Aug. in Psal.63.) nec glorificaretur homo: sed erat & Deus. Nam nisi idem fuisset Deus homo; hominem neque redimere, neque glorificare potuisset.

Semiplenè ergo, parumque candidè Magistrum suum laudant.

Curionem suum qui videret, aut vrbis suæ consulem, si rogatus, quis esset, Sacerdotem tantum diceret illum aut ciuem, silens vtriusque magistratum; an tibi is plenè vtrumq; depinxisse ac laudasse videretur? Neque ergò isti satis plenè Doctorem suum laudauerunt, infima tantum illius enuntiantes.

A digniori fit denominatio, scilicet: maximè cum de aliis & quidem absentibus, est sermo.

Fuit vir. Ita, *Si virum eum dicere fas est: erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum hominum, qui cum voluptate quæ vera sunt, recipiūt.* Ioseph. lib.18. Antiquitat. cap.9.

Quid? *Fuit vir?* Hoc tantum? An non interfuistis cum cæteris, Baptismum Baptistâ ad ripas Iordanis

nis præstolantibus, quando & ipse sub Baptistæ manu positus, tamquam vnus ex illis, Spiritum-sanctum specie columbæ accepit, vnaque locupletissimum istud testimonium à Patre, quod omnes audierunt: *Hic est filius meus dilectus?* &c. Si non interfuistis, saltem tantæ rei famam audistis.

Non interfuistis quidem (scio) cum idem, ab eodem, de eodem, est in Thabor *monte* illo *sancto* repetitum. nam ex viuis, soli Petrus, Ioannes, & Iacobus adfuêre, ex mortuis vero Moyses; ex medijs, Elias. *Matth.17.*

Sed si neutri earum actionum interfuistis; tamen & discipuli Christi iam tamdiu, & Iudæi, vel ex condiscipulis, vel ex popularibus vestris, de vtraque non audiuisse non potuistis; aut certè vos etiam admodum *peregrini in Ierusalem*, in Gente ac scholâ vestra, fuistis.

Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est. 1. Ioan. 5.

Cur igitur tacitum: *Fuit Deus*, aut *Filius Dei?* dictũ tantum à vobis *fuit vir?*

Inuidiâ non dicam, aut nequitiâ (absit) sed obliuione aliqua humana fortasis, aut stupore, qui à nimio metu & luctu.

Timor & hebetudo mentis ceciderũt super nos. psal.)

Annon fortasis etiam quadam & absentis crediti, & mortui (vt fit) negligentia, & quadam nimia rusticitate? Quidni?

Vndecumque acciderit, tamen hic quoque grauiter erratum est.

Vt enim *de Carthagine*, sic de Christo, & eius incarnationis œconomiâ, omnino *silere melius puto, quam parum dicere.* Sallust. in Iugurth.

Frigida illa laus, & adeo diluta, speciem ferè & vim habet vituperij.

Phauorinus

Phauorinus apud Gellium: *Turpius est*, ait, *exiguè atque frigidè laudari, & insectanter grauiterque vituperari*; quia qui maledicit, quanto id acerbius facit, maximaque mole, tãto minus fidem capit: sed qui ieiunè laudat, destitui à causâ videtur, & creditur eius, quem laudare vult, se nihil posse reperire, quod iure laudare possit, aut velit.

* v. *Propheta*. Non *Propheta ille* cum articulo, de quo Moyses tam emphaticè quondam prædixerat, & de quo Iudæi tantâ solicitudine ex Ioanne, per solennes Legatos aliquando quæsierant; non *plusquam propheta*, quod vel Baptistæ à Christo liberaliter tributum est; non princeps aut dictator prophetarum, non Messias, sed *propheta* quasi vnus è multis scilicet.

Fuit Propheta, fuit & ipse ex grege Prophetarum. *Nos numerus sumus.*

* vj. *Sperabamus*. Iam spe omni excidimus. Tantum non dicunt, ab illo decepti sumus.

Quid, quæso, sunt ista (Auditores) nisi vel minimi candoris in absentem Magistrum, & (vt rebantur) mortuum, vel negligentiæ summæ argumenta?

His ergo quasi paleis duo grana ista fœdabantur.

Sed benè habet. Habent duo isti viatores, alia multa præclara, quæ istis, iustâ lance & Arithmeticâ. præponderent, & quibus nævos istos suos eluant. Vni duo possunt opponere; vt taceant, quod excusari quoque sic possunt, tacuisse se de Dei filio, non quia dubitabant fortasse, sed *quia suspectum comitem habebant; vnde sic commendationem* Magistri *temperant, vt calumniam excludant*, ait quidam ex nostris, vir bene doctus. *R. P. Anton. à Konigstein, concione in hanc feriam.*

Nolite omni spiritui credere, &c.
Iesus autem non se credebat illis.
Fronti nulla fides. Sæpè lupus sub ouillâ pelle:

& hostis, sub amici facie: & Diabolus, sub Angelo lucis, &c.

III.

Perfectiones tamen eorumdem præponderasse, quæ hic memorantur.

Elucent tamen contrà, in iisdem, præclara ista, & summa;
1. *Studium proficiendi;*
2. *Religio;*
3. *Detractionis odium;*
4. *Caritas & Gratitudo in Doctorem;*
5. *Caritas in condiscipulos.*

*1. *Studium* proficiendi. *Non turpe est nihil scire, sed nihil discere velle,* fertur nostrate prou.

Multum profecit, qui ipsum sapere vel tantilli fecit, vel sapienti aurem aperuit.

Idem (ô Rex) meo quidem iudicio, esse videtur, vel ingenio suo sapere, vel rectè dicenti obtemperare, ait ille, *Herod.*

Pars sanitatis, velle sanari, fuit. Senec. in Hipp. Act. 1.

Parum differt à Sapiente, philosophus vel amator sapientiæ.

Iam propè veritatem est, indagator veritatis; & in Sapientiæ suburbio, eius libens auditor.

Erraturus non videtur, qui ducem poscit, & ex eo, seu Deo seu homine, quærens ait: *Notam fac mihi viam in quâ ambulem.* Psal. 142.

Hoc autem in istis vides. Hoc primũ. Quilibet eorũ inops consilij erat, exspes, & incredulus, &c. Quid opus facto? Adeundum, vbi sit auxilij & cõsilii copia.

Adeundæ scholę, Ecclesiæ, Circuli, domus & cellę doctiorum.

Auidè audiendi docti quicunque, etiam ignoti & peregrini.

Audiens sapiens, sapientior erit.

Fecerunt isti. Adierunt Emmauntem, castellum seu vrbem, quam posteà expugnata Iudæâ, & vastatis Iero-

Ierosolymis, Romani, ex euentu victoriæ, Nicopolim vocauerunt, sub Principibus M. Aurelio & Antonio instauratam, id est, victoriæ ciuitatem. *Vide D. Hier. in epitaphio Paulæ, & Sozomenum hist. Tripart. lib. 6. & Gulielm. Tyrium de bello sacro lib. 7. c. 24.*

Hîc notate rudiusculi, hoc nomen *Emmaus* geminata litera m, scribendum, neque esse indeclinabile, nec eiusdem desinentiæ cum nominibus Laus & Fraus, vt vulgus putat. Etiam Plinius lib. 5. nat. hist. nomen hoc per secundam declinationem flexit, vt quod non in aus, sed in us desinat. Præterea Lucas Euangelista tribus syllabis ἐμμαοὺς nō ἔμμαους dixit. *Vide Ioan. Despaut. balbi mei oris figuratorem primum, & opt. lib. 2. Grammaticæ institut. mhi pag. 56.*

Emmaus autem (vt Italorum disertissimus ex nostris interpretatur) idem est, quod *Desiderium Consilij*; vel (vt Biblia Complutensia (*Matris augentis consilium.* Edit. Plantini.

Fortè enim tunc illa vrbs (vt Montes nunc nostri) vulgò quoque habita fuit, *domicilium Sapientiæ*, aut Consilii.

Habent enim vrbes proprias suas dotes, ferè singulæ; & gentes; ac sæpè nominum suorum certas rationes.

* i. *Dotes.* Hinc illa Italorum elogia: *Bon Soldati Cremonesi*, id est, Cremonenses boni milites: *industriosi son Lucheſi*, id est, Lucani industrii; *brauosi Siciliani*, id est, Siculi ostētatores, seu minaces; *superbi marinari Genouesi*, id est, Genuēses impauidi nauitæ; *I fideli son da Vrbino*, id est, Homines bonæ fidei Vrbinates; *Vsurari son da Nola*, id est, Fœneratores fere Nolani, &c. *Vide* scholā *Italicā Cathari. Dulcis parte altera in calce.*

* ij. *Nominum* rationes. Vt Legia vestra, à Romanorum cæsis Legionibus; ita dicta.

Eburones quoq; fortè dicti estis, à firmitate & candore, qualis in ebore est.

Capitolium Romanum, à capite hominis ibiinuento, cum fundamenta eius iacerentur, vti mons Caluariæ (quorundam sensu) ab Adæ ibi sepulto caluariâ.

Monasterium Germaniæ oppidum, ab insigni fundato Monasterio.

Montes nostri Hannoniæ, à situ in illustri monte in multorum montium circumiacentium, vt Parisellæ, Heributi, &c. meditullio.

Fundamenta eius in montibus (vtinam) *sanctis.* psal. *Montes in circuitu eius:* vtinam, & *Dominus in circuitu populi sui.* psal. Hinc versus:

Vrbs, quæ nomen habes à Montibus Hannonis ora.

Auesnæ nostrates, ab aduenis. *Iacob, Lassabæus in sua Anacephal.*

Et Auesnulæ, pagus illis vicinus, fortè ab eâdem causa, vel quod aduenæ illi ibidem fortalsis primum constitêre, & arcem seu castellum (quod ibi dirutum adhuc apparet) condidêre.

Ergò isti Emmauntem venêre, id est, in vrbem, dictam *desiderum consilij*, vel *Matris augentis consilium*, à cultu sapientiæ fortalsis, ac copiâ bonorum illic cõsultorum, aut Theologorum, &c. discendi, & fidei suę nutantis confirmandæ studio.

Disce & tu in dubijs, maximè fidei ac Religionis doctos ambire, adire, & maximè mysticum Emmautis castellum, id est, Ecclesiam militantem, & censuram *Matris augentis consilium* poscere.

* *Studium* quoque proficiendi duorum istorum indè adparet, quod toto itinere, maximo silentio audierunt multa & grauia disputantem Iesum, ne semel quidem filo orationis eius interrupto, aut interturbato.

* *Item*; quòd nondùm lassi oratione eius itinerariâ volunt iterum eum audire in cœna, & *pendere ite-*

rum

rum narrantis ab ore.

Qui biberit ex aquâ, quam ego dabo, ſitiet iterum. Ioan.4.

* *Item*; quod ſtatim initiò durè à doctore illo, licet adhuc incognito, increpiti, & fidenter dicti *ſtulti, & tardi corde, &c.* non tamen reſiliuerunt, neque retorſeruntillud Sodomitarum ad Lothum: *Ingreſſus es vt aduena; nunquid vt iudices?* Gen.19.

Ea eſt ſcilicet ſciturientium indoles, omnia perpeti ſtudio ſapientiæ.

Qui ſtudet optatam curſu contingere metam
Multa tulit, fecit qúe puer; ſudauit & alſit.

Horatius in Arte.

Diogenes, ne baculum quidem ipſi intentante Antiſthene, & abigente, abit, dum audiat, vnde redeat doctior ſe ac melior.

Per medias ſpinas, ad roſas; & per medios apum aculeos, ad mella perrumpendum.

* 2. *Religio.* Nam iter faciendo, pia miſcent colloquia, de Deo, de paſsione Chriſti. *Conferimus ſermones ad inuicem* (inquiunt) *de Ieſu Nazareno, &c.*

Quod autem dicit Euangeliſta fabulatos (*Et factū eſt, dum fabularentur*) D. Bonauentura noſter comment. in hunc locum, ideò ait dici, *quod loquebantur verba, quæ certitudinem non habebant*: non quod vana, ridicula, aut mendacia loquerentur.

* *Deindè*; fabulę nomen, propriè de quocũque colloquio eſt, à verbo fari, id eſt, loqui, deductum.

Sic Macropedius veſter vocauit prodigi Euangelium, fabulam, in ſuâ Aſoto in prologo, vbi ſic ait:

Sed auribus ſpectantium probam indimus
E veritatis ore lapſam fabulam.
Quid fabulam? Non fabulam, ſed myſtam
E fonte puritatis hauſtam parabolam, &c.

M. Varro lib. 5. de linguâ Lat. *A verbo fari, fabulæ,*

vt Tragœdiæ,& Comœdiæ, dictæ ... hinc fama,& famosi.

Hinc infantia, & infantes, &c.

Marsilius Ficinus,argumẽto lib.10.Platonis deRep. *Historiam posse dici fabulam,*ait,*quoties, vltra res gestas,augustiorem habet allegoriam. quamobrem Olympiodorus quoque ait , Platonem historias & rationes sæpè fabulas appellâsse.*

Quin & Græci dixerunt μῦθον ἀπὸ τῆ μυθεῖν quod loqui significat.

Itaque *fabulatos* fuisse illos *ad inuicem*, nõ indicat nugatos,sed colloquutos de historicis,& veris, vt de Domini sui passione,&c.

Etsi non infitiamur, fabulam quoque à fallendo appellatam,vt innuere videtur Macrobius, ita scribens:*Fabulæ,quarum nomen indicat falsi professionem, aut tantum conciliandæ auribus voluptatis, aut adhortationis quoque in bonam frugem gratiâ , repertæ sunt.* Macrob.lib.1.in somnium Scipionis.

Quo sensu,si quis dici volet nostros istos duos viatores fuisse fabulatos; non admodum repugnabo; quia profectò etsi de rebus sacaris planeque veris loquerentur,tamen eas ferè tum pro fabulis ipsi habebant;& suas mulierculas visionesAngelorum loquutas,&c.imò & Christum propè ipsum , sibi fabulas hactenus vendidisse æstimabant.

Fermentum infidelitatis ac desperatæ resurrectionis,totam massam Colloquiorum corrumpebat.

Ergo itinerantium(maximè si voti ergò)sermones mutui,pij sunto,aut saltem non impij, neque impudici,vt vt aliquando ad hilaritatem spectent.

Nimium risûs pretium est, si cum probitatis impendio constat. Quintil.lib.6.

1.Pet.4.*Si quis loquitur,tamquam sermones Dei.*

Turpiloquium nec nominetur in vobis.

Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat,sed si quis

quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Eph.4.

In sensu sit tibi cogitatus Dei, & omnis enarratio tua in præceptis Altissimi. Eccl.9.

Corrumpunt mores bonos colloquia praua.

Sermo malorum velut cancer serpit.

Auribus in animos, vt oribus in cor alia venena, toxica illa canora traducuntur, ibique grassantur.

Sanctitatem istam sermonis inter peregrinandum coluit Eunuchus Cãdacis Reginæ Aethiopum, qui in rhedâ Isaiã lectitabat, & Philippũ deindè in rhedam illatum, de Iesu Christo differentem audiebat. *Act.9.*

D. Franciscum Legislatorem nostrum ferunt aliquandò, cùm delectum faceret fratrum, quos comites suos esse vellet, eosq; amandaret, ita ipsos monuisse: *In nomine Domini ite bini & bini, humiliter & honestè, maximè autem cum stricto silentio, à mane vsque ad tertiam orantes Dominum in cordibus vestris, neque verba otiosa & inutilia vel nominentur in vobis. Licet enim iter faciatis; tamen tam humilem ac honestam conuersationem vestram esse velim, quàm si in mediâ eremo, adeoque in ipsis cellis vestris essetis constituti. Vbicunque enim tandem sumus, ibi in cella individua, semperque nos comitante, agimus. Cella enim nostra gestatoria, ac perpetua, corpus nostrum est, (fratres:) animus verò noster, ipse Eremita intus vitam agens, vt ibi se colligat, ibi oret Dominum, ibi de Deo seriò meditetur. Itaque nisi in ea cella sua animus quietus manserit; parum religioso cuicunque cella sua manu facta profuerit.* Ex speculo vitæ B. Francisci, & sociorum eius, cap. 64. mihi pag. 41.

Si nemo hominum, vt arbitramur, nos audit, nemo nos videt, cachinnantes, insanientes, &c. *auris* tamen *cœli audit omnia*, oculus cœli videt omnia, & (vt est in prouerbio) *etiam sæpes habent aures* suas.

Audiunt cæli quæ loquor, audit terra verba oris mei.

Posuisti in neruo pedem meum, & obseruasti omnes semitas meas.

Semitam meam & funiculum meum inuestigasti. Et omnes vias meas præuidisti, quia non est sermo in lingua mea. Psal.138.

Tu quidem gressus meos dinumerasti. Iob.14.

Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te (seruent, atque obseruent) *in omnibus vijs tuis.* Psa. 90.

Prou.24. *Seruatorem animæ tuæ nihil fallit.*

D. Bern. serm.12. in Psal. Qui habitat. *In quouis diuersorio, in quouis angulo, Angelo tuo reuerentiam habe. Tu ne audeas illo præsente, quod me præsente non auderes.*

Talibus peregrinis medium se infert Christus, Spiritus-sanctus, Apostoli, Sanctorum protectio, &c. vt hic vides factum, alibi sæpè promissum.

Ego Sapientia habito in consilio, & eruditis interfum cogitationibus. Prouerb.8.

Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum Matth.18.

Scurras vero illos & nugaces, ne quid peius dicã, fugit, ac deserit. *Consilium meum non est cum impijs.*

Sap.1. *Spiritus-sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu.*

Adspicis, vt veniant ad candida tecta columbæ?

Accipiat nullas sordida turris aues? Ouid. lib.1. Trist. eleg.8.

Spiritus-sanctus idcirco specie columbæ in Christum non ante illabi visus est, quam à Baptistæ lotus esset, qui erat natura mundissimus.

Ea ergò conueniens Christianis, Sacerdotibus maximè, & propioribus Christo discipulis, religio, peregrinantibus.

Sed, bone Deus. quam absumus plerique ab hoc more:

more. proh dolor.

Quorundam ſermonis tota venus, ipſa Venus eſt; fœda oris proluuies, pro hilaritate.

Verba quorundam toto itinere, ne Alexandrinis quidem ferenda delicijs, hauſta ex medijs Epicuri ſcholis, aut ſubmœnianis officinis, &c.

Exhalant graueolentia ora Mephitim. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum.* Pſal.

Ex abundantia ſc. *cordis os loquitur.* Matth. 12.

Intus pleni ſpurcitijs, quid niſi ſpurcitias eructēt?

Ex Augeæ ſtabulo irrepurgatiſsimo, quis odor, niſi teterrimus?

Quid niſi fumum, fauillas, ac fuliginem flammæ Cupidineæ oſtentent?

Sodomorum *vineæ dederunt odorem ſuum.*

A fructibus eorum cognoſcetis eos. Matth. 7.

Contra, *Eructauit cor meum verbum bonum,* ait anima religioſa. Pſal. 44.

Vt pyxides annomo aut cinnamo plenæ, aut ſaccu-li Pæſtanis ac Prouinciæ roſis turgentes, cum primum aperiuntur, ſpirant quæque odorem ſuum ſuaueolentiſsimum; ſic anima Deo & Spiritu-ſancto plena, nil niſi Deum, & ſpiritualia loquitur.

Nauita de ventis, de tauris narrat arator.

Quidam porrò meliores, maximè ruſtici; & horū vxorculæ, adoleſcentulæ, (quas mihi ſæpè volupe eſt ſic occurſantes videre) qui in viciniam, aut in vrbem ad forum euntes, hi bouem, hi ouem agitantes; hæ lac, butyrum, poma ac pyra capitibus ſuppoſitis geſtantes, ſolent roſaria gerere, digerere, ac legere. *Benedicti vos à Domino,* Pſal.

Verè *indocti rapiunt cælum.* D. Aug. lib. 8. confeſſ. cap. 8.

Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Matth. 5.

Si qui alij *non dixerunt, qui præteribant, benedictio Domini super vos.* Ego certè cum bonis omnibus, *benedicimus vobis in nomine Domini.* psalm.

Quidquid ealcauerit pes vester, rosa fiat.

Nobile vocales à laude videntur Alaudæ
Nomen habere, Deum quæ super astra vehunt. Incerti authoris.

Pergite, animæ Deo charæ, Nathanaelis reliquiæ, pergite, quo pede cœpistis, & itinere toto, Deo ac B. Mariæ rosas spargite, &c.

Sed inquis: sunt interdum relaxationes animorum concedendæ.

Interpone tuis interdum gaudia rebus, ait ille.

Post multa Virtus opera laxari solet. Senec. in Hercule Fur. Act. 2.

Arcus & arma tua tibi sunt imitanda Diana,
Si nunquam cesses tendere, mollis erit. Ouid. epp. Heroidum.

Aristotelis senso, sunt quies, locus, ludusque res huic vitę necessariæ. *Arist. 4. Ethic. cap. 8.*

Arcus, ab ijs, quorum sunt, quũ est opus, intendi. eos, si semper intenti sint, ruptum iri, nec posse eis illos, quum indigeant, vti: ita & hominis institutum esse; si assidua laborare studio, nec vllam partem ad lusum sibi indulgere velit, fore vt pedetentim aut mente captus sit, aut membris, respondebat Amasis Rex Aegypti suas animi relaxationes carpentes. *Herodot. lib. 2. hist.*

Resiliendum quandoque, longius saltaturo, ait prou. Alacriores inde sunt ad studia reditus.

Iactura in loco, pro lucro est.

Fateor. Si ergò nobis nõ licet, esse tã pijs, vt legamus, oremus, & rosaria perpetuò tractemus, inter peregrinandũ, aut de Deo, & passione Domini cõtinenter colloquia habeam⁹, esto, dissimulętur, at saltę ne impij, ne impudici in iocis & fabulis nostris sim⁹, &c.

Est quo-

Est quodam prodire tenus, si non datur vltrà. Horat. lib. 1. ep. ep. 1.

*3. *Detractionis odium.* Nam etsi de Christo vel mortuo, vel absẽte (vt putabãt) loquuti non sũt satis magnificè; nihil tamen siniſtrè: nihil famæ eius aut gloriæ detraxerunt.

Nõ aiunt, etsi tutò (vt apud hominem sibi, & Domino suo ignotum, vti putabant) id posse videbantur: Seductor iste nos blãditijs ad se traxit, nos nescio quâ vana spe imaginarij regni diu lactauit; fumos nobis de resurrectione post triduum vendidit, iustas ludificationum suarum pęnas tãdem dierectus dedit, &c. Nihil tale, &c.

Itinerantibus tamen id satis familiare, quibus penè pro vehiculo, aut equo gradario est detractio, & murmuratio, vitium profectò pessimum, & vtrique, Autori sc. atque Auditori sanè exitiosissimum.

D. Bernardo non facilè dicere fuit, vter plus peccaret. Detrahere (inquit) *an detrahentẽ audire, quid damnabilius sit, non facilè dixerim.* Lib. 2. de consider. ad Eugenium PP.

Idem in serm. *Nunquid vipera est lingua Detractoris ferociſsima? Planè; nimirum quæ tam læthaliter inficiat flatu vno. Nunquid nõ lancea est lingua ista? Profectò acutissima, quæ tres penetrat ictu vno,* Autorem sc. suum, Auditorem, & Absentem.

Idem serm. 24. in Cantic. *Vnus est qui loquitur, & vnum tantum verbum profert; & tamen illud vnum verbum, vno in momento, multitudinis audientium, dum aures inficit, animas interficit.*

Quo melior quisque, hoc detractoribus hostis acerbior, & osor detractionum implacabilior.

Psal. *Propter verba labiorum tuorum, ego custodiui vias duras, vt non loquatur os meum opera hominum.*

D. Bern. ser. 24. in Cant. *Non veniat anima mea in*

consi-

consilio detrahentium, quoniam Deus odit eos.

Psal. *Detrahentem secretò proximo suo hunc persequebar.*

D. Ambros. Theodosio Imperatori aiebat, *eum non minus consultè facturum, si edicto curaret linguas maledicas abscindi, quam si arma deponi.*

Memorabilia sunt ista D. Francisci iudicia. *Detractionis vitium inimicum fonti pietatis & gratiæ, tanquã serpentinum abhorrebat morsum, & atrocissimam pestem, & pyssimo Deo abominabile fore firmabat: pro eo quod detractor, animarum sanguine pascitur, quos gladio linguæ necat.*

Audiens semel fratrem quemdam denigrare famam alterius; conuersus ad Vicarium suum, dixit: Surge, surge, discute diligenter: & si fratrem accusatum innocentem reperis, accusantem dura correctione cunctis redde notabilem.

Nonnunquam verò eum, qui fratrem suum fama gloriã spoliaret, iudicabat habitu spoliandum: nec ad Dominum posse oculos leuare, nisi prius, quod abstulerat, reddere pro posse curaret.

Tãtò maior est (aiebat) *detractorum impietas, quàm latronum; quantò lex Christi, quæ in obseruantia pietatis impletur, magis animarum, quam corporum nos astringit optare salutem.* D. Bonau. c. 8. vitæ Francis.

Est eorum vulnus ferè tale, quale quod Pelias Achillis hasta inferebat, aut ipsi Scorpiones. Sanari enim non potest, nisi eiusdem linguæ opera, & recantatione.

Icti à scorpionibus, oleo immortuorum scorpionum curantur.

Ergo de absentibus, nil nisi bonum, ferè vti de mortuis, quod neutri tueri se possint, mortui impotentia, absentes ignoratione dictorum: nec possint curare sua vulnera, vt quæ licet altè inflicta, tamen non sentiant,

tiant,sed nec canem nôrint qui momordit, vt detractis eius pilis curentur;neque Achillem, qui hastam contorsit,cui supplicēt, vt iterum, sed molliore brachio tangat,& sanet,id est,vel recantet, vel mitiget, vel exonat,&c.

Euangelicum præceptum,(sc.si videris fratrem tuum peccare, argue eum inter te,&c.)*iudicandi peccatum* (fratris)*modum, disciplinamque constituit,*(ait Origenes)*non vult enim te,si forte peccatum videris fratris tui,continuò euolare ad publicum: & proclamare passim,ac diuulgare aliena peccata, quod est vtiq; nō corrigentis,sed potius infamantis. Solus*(*inquit*)*inter te, & ipsum solum,corripe eum. Vbi enim seruari sibi mysterium viderit ille qui peccauerit;seruabit & ipse emendationis pudorem. Si verò diffamari se videat; illicò ad denegandi impudentiam conuertetur: & non solum non emendaueris peccatum,sed & duplicaueris. Disce ergo ex Euangelijs ordinem. Primò*(*inquit*)*solus inter te, & ipsum. Secundò, adhibe tecum alios duos, vel tres, &c.* Origen.homil.3.in Leuit.paulò post princip.

Scorpionum curabiliores morsus,quam detractorum.Nam illis sanandis satis est oleum cuiuscunque scorpionis; his non satis cuiuscunque linguæ medicina,sed eius ipsius detractoris,quæ dixit, recantantis,opera necessaria.

Est autem periculosissimum,apud comites incognitos,qualis tūc Iesus erat,cuiquam detrahere, maximè Magnatibus,cuiusmodi etiam Iesus erat,de quibus,vt de Dijs,etiam optima,dicenda parcissimè.

*Tibi ô Deus,silentium laus in Sion.*vertit Vatablus, vbi nos:*Te decet hymnus, &c.*

Nam aliquando ipsos ipsis prodimus,& ipsis apud ipsos detrahimus;& parum placemus , cum parum nota, parum laudamus.

Magnates enim plerique,aliquādo spōtè& studio, aliquando

aliquando etiam casu, cuiuis è popello, habitu dissimulato, aut maiestate, adiunguntur.

Certè de falsis Diis Gentium frequentes eiusmodi narrationes.

Vt de Ioue in Arcadiam delapso, & Lycaonis crudelissimi Regiam ingresso, vt ipsius exploraret; nũmne omnia, quæ de generis humani impietate iactarentur, vera essent. *Ouid. lib. 1. Metam.*

Et Deus humanâ lustro sub imagine terras, ait ibidẽ Iupiter.

Vt de Mercurio, ad Battum stolidum senem (cuius iàm iàm linguam, & furti sui silentium, vaccâ emerat) redeunte, sed figura prorsùs mutata, vt ipsius exploraret, an fidem illi seruaturus esset, etiàm aduersus pretiosiorem corruptionem.

Mòx redit, & versa, pariter cum voce figura,
(Rustice) vidisti si quas hoc limite, dixit,
Ire boues, fer opem, furtoque silentia demne.
Iuncta suo pariter, dabitur tibi fœmina tauro.
At senior, postquam est merces geminata: sub illis
Montibus insuit, erant, & erant sub montibus illis:
Risit Athlantiades: & me mihi, perfide, prodis?
Me mihi prodis? ait: peritura aq; (mel. periuraque) pectora vertit
In durum silicem, qui nunc quoque dicitur Iudex.

Ouid. lib. 2. Metam.

Vt, cùm iterum Iupiter cum Mercurio filio, in Phrygiam venêre, &

Mille domos adiêre, locum, requiemque petentes,
Mille domos clausêre seræ, tamen vna recepit,
Parua quidem, stipulis & cannã tecta palustri,

Philomelis scilicet & Baucidis, coniugum iàm decrepitorum casa, quæ ob liberalem hospitalitatem in ignotos Deos, in augustum templum repentè est versa, decrepiti autem illi senes adeò hospitales, creati eius sacerdotes. *Ouid. lib. 8. metam.* De

De Deo vero, certo certius est, quod sæpè in terris visus est, & cum hominibus conuersatus, non tantùm cùm verè incarnatus fuit, sed & alias quoque, sed assumpta specie hominis transitoria, aut alia negotijs conuenientiori.

Vt, cùm descendit visitaturus *ciuitatem & turrim Babel, quã ædificabant filij Adam*, vel posteris nominis sui monimentum, vel aduersus alterum diluuium, & alia irati numinis agfiella, quasi Capitolium ac præsidium, vel vtrumque. *Genes.* 11.

Vt Ambianis, Martini adhuc catechumeni misericordiam tentaturus.

Vt D. Gregorij in pauperes hospitio receptos pietatem remuneraturus, &c.

Angelos quoque persæpè specie humana & perigrinorum, homines visisse, nemo nescit, qui vel Lothi, vel Sodomorũ, vel Tobię historias legerit. *Gen.* 19.

Magnates id multi imitati, seque magno studio, & ciuium, & exterorum, etiam hostium nonnunquàm, cœtibus, conuiuijs, vrbibus, castris incognitos intulerunt, vt certius intelligerent vulgi sui, & hostium de se famam. Non malè, multis de causis, senso meo.

Ioannes Boccacius in fabulis mirus, vel in Barbaro virtutis æstimator, Saladinum, explorandis Christianorum opibus atque consilijs mercatoris habitu, Italiam & Galliam peragrasse tradit. Paulus Iouius lib. Elogg.

Franciscum I. cognomento Nasonem, à nasi magnitudine, Magnum certè Gallorum Regem, ferunt, aliquando diuertentem in domum rustici, ac se dumtaxat pro Regulo, ac nominatim Picquegnii Domino, venditantem, tum audiuisse ex hospitis sui ore, quàm seuerum eũ rustici iudicarent, quod ipsis vel ex professo venationem, vel opportunam ex occasione cœdem ferarum, tam rigide prohiberet, vocatusq; est tũ ab eo ipso, sed aliũ arbitrãte, hospite suo per cõtẽptum

ptum, *Naſo, ſeu longus-Naſus*; nec ſepoſitum apricaput, ab eo furtim occiſi, fuerat guſtaturus, nî ſanctè promiſiſſet, non ſe *Longo illi naſo*, id eſt, Regi dicturum. Io! Quid ſi ruſticus ille coram Rege, Regis politiæ, vitæque in magnis detraxiſſet?

Me mihi prodis? aiſſet, &c. *Ouid. lib. 2. Metam.*

Quod ſi inhumanè quoque, aut etiam ſæuè eum tractauiſſet, vt à Fabris ærarijs ſeu Cacabarijs Bellomontanis vulgò in eumdem ipſum Regem factũ ferunt, humeris eius multò æris pondere per vim grauatis? Perierat.

Eumdem Regem ferunt, ceruum venando inſequentem, nocte oppreſſum, ruſtici tugurium ſubijſſe, & pro præſenti copiâ à patre familias acceptum: peracta autem cœna, quum, vt fit; *ecquid homines de Rege dicerent?* eum interrogaſſet; hoc reſponſi à ruſtico accepiſſe: *Rex bonus admodum Princeps eſſe perhibetur: in eo tamen vehementer peccat, quòd domeſticis nullius præcij hominibus rerum ferè omnium curam committit, ex quo fit, vt pleraque maximi momenti negotia parùm procedant.*

Pape! Hoccine erat Regi Regem neſcienter prodere? Rex tamen optimus, tum quidem nihil reſpondit, ſed poſtridiè ſuis, qui intereà vndique adnolârant; *Ex quo*, inquit, *tempore vobis miniſtris vſus ſum, ne vnũ quidem verum verbum, de rebus ad perſonam meam pertinẽtibus, audire mihi contigit, præterquam heſterno veſpere.* Matthæus Tympius, in Quæſt. Sympoſiacis, tit. de Ambitione, quæſt. 7.

De Carolo V. æternæ memoriæ Imperatore noſtrate, aliquid etiam eiuſmodi teſtantur, eius domũculæ ſuæ caſæ veſtigia, quæ dicuntur in Maurimalleą ſylua ad Quercetum, adhuc ſupereſſe, quæ vulgò *domus regia* nunc quoque idcircò dicitur, quod hoſpes tunc Cæſaris, ruſticus homo, coram Cæſare ipſo dixiſſet

isset, vxori inurbanitatis eum accusanti, *quemque domi suæ Regem esse*. Hac de re vide plenius, in dedicatoria tertiæ nostræ Naufragij tabulæ.

Carolum illum cognomento Audacem, Burgundionum Ducem, multa quoque sic de se, & quædam quæ nollet, audisse, mihi videor apud Phil. Cominæum legisse.

Quid? vel mihi ipsi priuato aliquandò contigit, aliquos apud me, ac mihi ipsi incognito adhuc, de me, & rebus meis, quasi de absente loqui, semel duos P P. Capucinos in agro, & regiâ viâ: iterum Franciscanum vnum, Parisijs, qui nunc Doctoris pileo meritissimo insignitus est, sed (laus Deo) nil nisi bonũ. Quid si (vt fit) siniſtrũ quid, seu verũ, seu falsum, (vt homo sum) effutiuisset? Nonne mihi me seque prodidissent?

Sæpè (Auditores) sæpè est (vt aiunt) *lupus in fabula*.

Et verè dicitur: *Parietes* aut sæpes *habent aures*.

Abac. 2. *Et lapis de pariete clamabit*.

Sæpè, *quo minimè credis gurgite, piscis erit*. Ouid. de Arte.

Omnia tuta time, etiam aues Ibyci præteruolantes.

Ergone videtis, quàm periculosum, aut absentib⁹, aut creditis mortuis, etiam apud ignotos, aut itineris, aut mensæ socios, detrahere?

O prudentes nostros istos duos viatores.

Læthale ferè, tam detrahere, & sic dicere, quàm scribere in eos, qui possunt proscribere, edicere extrema quèque, & in crucem mox agere, aut trahere.

Hoc modo enim sæpè quam dumtaxat putas detractionem, experiris conuitium esse, & meram contumeliam: cùm quos vel mortuos, vel procul absentes credebas, intelligis præsentissimos, iuxta te, ac penè intra te esse, aut fuisse, ac dicere:

Coràm quem quæritis, (aut carpitis) *adsum*. Virg. 1. Aeneid.

Contigit certè Antigoni militibus, ignorantibus illum esse in tentorio, in illum iuxta tentorium, probra iactare, vnde & ille, tentorio virga patefacto; *Desinite*, inquit, *nisi longius remoti malè nobis dicatis.* Plutarch. in apopht.

Seneca autem li. 5. de ira, ait dixisse: *Longius discedite, ne Rex audiat.*

Platonem ferunt laudibus suis incognitum interfuisse, neque sic tamen se manifestasse.

Reges adhuc aliqui esse aut nasci possint, qui tales crucifigant, sicut Daphitam Grammaticum ferunt ab illis Regibus crucifixum, in mõte, qui Chorax dictus est, quos versibus incessebat.

Incursare quoque in aliquem possis, *qui linguæ ictum*, non lingua carnea, sed ferrea, pugione scilicet, lato ense, aut lancea rependat, verborum vim, vi verberum repellat.

Nec iam facilè in alterum Philippum Macedonẽ incidas, qui conuitiis à Nicandro nescio quo lacessitus, plurimis cœpit illum donis honestare: aut in Dauidem, qui vetet, de Semei maledico pœnas sumi, etiam flagrante delicto. 2. *Reg.*

Non Iuniperis multis Franciscanis occurras, qui opprobriis, quasi rosis, aut nummis aureis excipiendis sinum suum ac vestem (vt ille) aperiant, nequid eorũ sine fructu sibi pereat.

Non Franciscus, qui socijs imperent, sibi conuitiari. *D. Bonau. in vit. S. Francisci.*

Non Christianis tam perfectis, vt vituperiis magis, quam encomiis suis gaudeãt, vix qui non doleant, vt, qui ait: *Ego autem, tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus, &c.*

Aut, qui tam molliter, quam Alexander Magnus, respõdeãt, qui plurimis cõuitiis à conuitiatore affectus, non exœstuit, sed hoc tantum dixit: *Regium est bene-*

benefacere,& malè audire: aut quam Pisistratus Atheniensis Tyrannus, qui amicis vrgentibus eum, ad pœnas in conuiuam, qui ebrius in eius crudelitatē multa dixisset, respondit: *Non magis illi se succensere, quam si quis obligatis oculis in se occurrisset.*

Nemo non acroama illud audit libentius (vt Themistocles) quo sua ipsius laus optimè prædicatur. *Cicer. orat. pro Archia.*

Rarus qui nunc dicat: *qui me laudat* (in faciem maximè,) *me flagellat.*

Omnes potius simiæ sumus; odimus & frangimus specula, quæ nos nobis, quam deformes simus, ostendunt; & camelos imitamur, qui aquas lympidas turbant, quæ suum gibbum illis possunt ostendere.

Omnes omninò excreationes nostras, excrementaque nostra infernatia, supernatia, & fœtores nostros, nobis à quouis maleuolo repræsentatos, execramur, vt vt alioqui cuique (iuxta prouerbium) priuatim *suum stercus benè oleat*, id est, vitia nostra vel nobis placeant, vel non valdè displiceant.

Omnes, formæ nostræ internæ tàm sumus amatores, quamlibet deformissimę; quàm formosissimus ille & philautos Narcissus, annorum sexdecim, puer, iuuenisque, immensæ pulchritudinis corporis sui, cum scilicet se in illimi fonte, quasi terfissimo speculo, bibens intueretur, ac sic secum loqueretur;

Visæ correptus imagine formæ,
Vror amore mei, flammas moueoque vroque. Ouid. lib. 3. Metam.

Tum quoque se, postquam est inferna sede receptus,
In Stygia spectabat aqua. Ibid.

Tempora matura visurus longa senectæ
Sineq; se, neque sic bona formæ ingentia nosset. Ibid.

Mirabile dictu, in malis nostris odimus quamlibet cuiusq; verā exiguāq; veritatē; quum contrà in bonis

nostris, seu laudibus, falsissimam, nimiamq; amentiam cuiuscumque, etiam Subulci, falsitatem: etsi censura seueriore, *bona nostra non sint pura bona; mala autem nostra*, sint *pura mala*, sensu Gregorii. *Vide D. Greg. Moral. lib. 24. capit. 18. in 33. Iob. & vltimo Moral. in fin.*

Vt Narcissus, sic quibus Philautus,
Corpus putat esse, quod vmbra est,
Ac stupet ipse sibi. Ouid. lib. 3. Metam.
Cunctaque miratur, quibus est miserabilis (fortè mel. mirabilis) *ipse*
Se cupit imprudens, & qui probat, ipse probatur:
Dumque petit, petitur; pariterque accendit, & ardet. Ibidem.
Quid videat, nescit, sed quod videt, vritur illo;
Atque oculis idem, qui decipit, incitat error.
Spectat inexpleto mendacem lumine formam,
Perque oculos perit ipse suos. Ibid.
Lumina mors clausit, Domini mirãtia formam. Ibid.

Vix dum benè tyrones militiæ, Theologiæ, Medicinæ, &c. Alexandris, & Cæsaribus; Alexandris Halensibus, Thomis, & Scotis; Aesculapiis, & Hippocratibus nos æquamus, penè etiam præferimus. Proh. nouos ac renatos Narcissos.

Menecrates Medicus, etiam ad Regẽ scribens; Deus, subscribebat. Hui.

Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei, aiebat Roboam filius Salomonis. 3. *Reg.* 12.

Adeò amantes nostri omnes sumus, scilicet.

Et verò meræ ignauiæ est, absentibus detrahere, & propemodum non minoris, quàm in mortuum sæuire, non repercussurum scilicet, aut se tuiturum.

R.P.F. Henricus VVillotius, meus in Theologicis, piæ memoriæ, præceptor, è pulpito in schola dicebat: *Veterum Theologorum contrarias nostris sententias non nimis acerbè aut acriter impugnandas, quòd se tu-*

et

eri ipsi non possent. Si enim supereſſent, ita se expoſituros fort asse, ac tuituros, vt conſentire, & herbam illis porrigere sui impugnatores cogerentur. Et hoc sapientiſsimè, vt pleraque ille omnia.

Et legum Solonis ea cenſeri poſsit iuſtiſsima, quæ *in defunctos maledicta conijci prohibebat.*

Et illa Moyſi: *Non maledices ſurdo, nec coràm cæco pones offendiculum.* Leuit. 19.

Et meritò Plancus dixit Aſinio Pollioni: *Cum mortuis non niſi laruas luctari*, quum ſcilicet reſciſſet, eũ orationes in ſe condidiſſe, ſed adſeruare dumtaxat poſt Planci mortem legendas.

Et iure Philoſtratus Aeliano, quum ſibi roganti, ecquid operis cuderet? reſpondiſſet; ſe opus in Tyrannum Imp. Roman. nuper mortuum cudere. *Admirarer, ſi viuentem accuſaſſes. Superſtitem ſiquidem Tyrannum, inceſſere, viri opus eſt: mortuum verò, cuiuſque.* Bruſon. lib. 1. exempl. c. 16. in fine.

Abſens verò à ſurdo, cæco, ac mortuo, quo differt? Adeſſet ille detrahenti, audiret tantùm, aut ſentiret morſus, & ſe defenderet, aut fortè etiam cõuitiis pudefactus vitam emendaret: reſciens autem dumtaxat aliundè, frendet, ardet, & ſeipſo fit peior.

Itaque magna æquitate D. Auguſtinus, tàm abſentium, quàm Solon mortuorum, famam, ſacram, incæduam, & intactam eſſe volebat, notatis in eius menſa aut pariete, his verſibus, dignis profectò auratis literis, iisq; pedalibus:

Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam,
Hanc menſam vetitam nouerit eſſe ſibi.

Quid, quod ferè ignauos illos abſentum detractores, videas ijſdem præſentibus adblandiri, & coram laudare, quos clam fecerant Memnone ipſo, aut quouis carbone nigriores? mutare dictionem, ſecundum aliorum vel præſentiam, vel abſentiam? homines ſi-

licet bifurcatæ linguæ, quarum altera abſentem vulnerent; altera præſentem ſanent, imò fortè grauiùs ac periculoſiùs vulnerent adulando, quam detrahendo.

Ex eodem videlicet ore calidum & frigidum efflare ſed diuerſis temporibus.

Coruos domi habent duos; vnum, abſenti crucem dictanti; alterum, præſentem ſaluare iubentem, & alterum χαῖρε crocitantem, vti ſutor ille aſtutus quidam, qui coruos duos aluerat in omnem euentum, alterum ſalutando Antonio, ſi fortè victor eſſet; alterum Auguſto, ſi is Antonium, vti contigit, ſuperaſſet. *In vtrumque paratus* ille lucrio.

Sublimis Actiaca victoria reuertebatur Cæſar Auguſtus (inquit Macrobius) *occurrit ei intergratulanti coruum tenens, quem inſtituerat hoc dicere:* AVE CAESAR, VICTOR, IMPERATOR. *Miratus Cæſar officioſam auem, viginti milibus nummûm emit. Socius opificis, ad quem nihil ex illa liberalitate peruenerat, affirmauit Cæſari, habere illum & alium coruum, quem vt afferre cogeretur, rogauit. Allatus, verba quæ didicerat, expreſsit:* AVE VICTOR IMPERATOR ANTONI. *Nihil exaſperatus, ſatis duxit iubere, illum diuidere donatiuum cum contubernali.* Macrob. lib. 2. Saturn. c. 4. & ex eo Eilhardus Lubinus, comment. in Perſii prologum, notat. 9.

Vel certè putes, eos ex genere illo hominum quadricubitalium, in fortunatis Aethiopiæ inſulis incolentium, eſſe, quos linguam à radice diuiſam, & bifurcatam, habere memorant, vnde fiat, vt duobus hominibus ſimul, reſpondẽdo ac diſputando, loqui poſſint, vna linguæ parte vni, altera alteri ſeruiẽte. *Brunſonius lib. 4. exempl. c. 9.*

Ita ſcilicet nôrunt, vna lingua eiſdem abſentibus detrahere; altera, præſẽtibus laudes ſuas, veras, falſas decantare. Proh bilingues.

Ex bubonibus in absentes feralia carmina, & horrenda maledicta bubulantibus, repentè, iis præsentibus aut apparentibus, quos diris suis lædebant, in alaudas & laudatores transformantur.

Aut, si non laudant, certè mussant, aut fiunt quouis pisce taciturniores, quasi *lupus in fabulam* repentè irruperit: *Mœrimqúe lupi priores viderint*, vt est in prouerbiis.

An non quæso, illa ignauiæ ac timiditatis manifestissima sunt argumenta, Auditores?

Cur enim absente me audes, quod præsente non audes, si vir fortis es, si solius veritatis, si mei dumtaxat emendandi es studiosus?

Sed hæc fortè latius, quàm pro breuitate, quam promiseram: non tamen satis, pro peccati grauitate, & humana in id vitii procliuitate.

Ergò hos duos Emmauntinos miremur, imitemur; ipsorum instar de mortuis & *de absentibus, nil nisi bonum* loquamur. Nullum nobis sit cum laruis certamen.

* 4. *Caritas* & Gratitudo in Doctorem suum. Ingressuri iam seu hospitium, seu (quod credibilius est, saltem Hieronymi senso in epitaphio Paulæ) domum Cleophæ, quæ deinde est à Domino, ipsâ panis fractione, Ecclesia dedicata, itineris comitem tàm commodum & facundum, qui penè pro vehiculo illis fuerat, & tàm doctum hominem, doctorem iam suum gratuitum, eodem inuitârunt non solum, sed etiam coegerunt, propositis rationibus, vt noctis ingruentis, &c. ac fortè etiam vestibus eius leniter tractis, ne dicam laceratis, vti eadem cœna & domo, a symbolum futurum, & nihil soluturum, imò potiùs tantillum hoc operæ suæ pretiolum recepturum.

Vrbanitas ista nõ solùm magna, sed & æquitas fuit. *Dijs Parentibus, & Magistris non redditur æquiualẽs.* Arist. lib. 6. Ethic. c. 11. & 2.

Si nos vobis spiritalia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? 1.Cor.9.

Vt spiritalia adeoque salutaria non seminasset, certè facundia mirabili viæ labores solatus fuerat.

Comes facundus in via pro vehiculo est, ait prou. quod Galli sic exprimunt, *Compagnon bien parlant, vault en chemin chariot branlant.*

Et nota; Deum sæpè, & Angelos, excipi hospitio, ali, foueri, vestiri à probis, aut etiam reiici ab improbis, qui homines dumtaxat ab ipsis æstimantur. *Vide primam Naufragij tabulam, conc. de Nat. Domini.*

* 5. *Caritas* in Collegas, seu Coapostolos, ad quos scilicet mòx mòx, repetito itinere tam longo, & nocte tandem intempesta, infectaque cœna, iterúque pericula à Iudæis adeuntes, redierunt, eos, quæ didicerant, edocturi, & sic metu ac mœstitia breui liberaturi. *Surgentes eadem hora regressi sũt in Ierusalem*, ait Luc.24.

Omne bonum est sui diffusiuum.

Hæc dies boni nuntij est (aiebant quatuor illi leprosi; iàm benè pasti, & opulenti facti, spoliis castrorum Syriæ desertorũ:) *si tacuerimus, & noluerimus nunciare vsque mane, sceleris arguemur, venite, eamus, & nunciemus in aula Regis.* 4.Reg.7.

Sapientiam, quam sine fictione didici, sine inuidia cõmunico; & honestatem illius non abscondo. Sap.7.

Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis. Prou.11.

Abscondens Domini sui talentum, nequitiæ grauiter arguitur, Matt.25.

Quidni? Num veritas & scientia eiusmodi bona sunt, quæ communicatione non minuantur, contrà magis augeantur, & confirmentur.

Homo qui erranti comiter monstrat viam,

Quasi

Quasi lumen de lumine suo accendat, facit,

Nihilominus ipsi lucet cum illi accenderit, ait Ennius, apud Cic. lib. 1. Off. & orat. pro Balbo.

Quicquid sine detrimento accomodari possit, id tribuatur vel ignoto... & quæ sunt ijs vtilia, qui accipiunt, danti non molesta. Cic. lib. 1. Off.

Sed & ipsi vicissim aliquid à collegis didicerunt, dicentibus: *Quod surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* Luc. 24.

Fuere illic pulcra scientiæ commercia, & quædam quasi hostimenta, id est, tantum pro tanto, & par pari relatum.

De suo dederunt, de alieno acciperunt.

Do, vt des, ait prouerbium. Doceo, vt docear. Admoneo, vt admonear, &c.

Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes.

Sciuntur quidem ferè omnia ab hominibus; at non ab vno omnia; sed ab isto, istud; ab illo aliud; & c. omnes & singuli, ab omnibus & singulis, alter ab altero, erudiri, ac discere aliquid possunt. Et *olitor sæpè opportuna loquutus.*

Vt regiones regionibus coniunguntur cõmercijs rerum, hinc hùc importatarum, & contra, quibus hæ carent, illæ abundant, harum inopes, istarum locupletes; ita doctos homines mutuò deuinctos esse oportet, mutua scientiæ communicatione.

Quis nesciat, Ciceronem, ipsum alioqui eloquentiæ quasi numen, versu penè infantem fuisse? contrà, Virgilium, Ouidium, &c. in re oratoriâ, nil nisi infãtiam suam prodidisse, qui tamen in Poeticis nescio quid hominibus altius proferebant? *Honore* ergò, *inuicem præuenientes*, mutuis se auxilijs fulciant. *Manus manum fricet.* Cœcus claudum portet; claudus cœco baiulo indicet viam.

Sic ego aliquandò: *Est, cùr te mirer: cur me miretur vterque,*

Doctor, discipulus, ire, redire potest.

Est quod miretur in S. Hieronymo vel D. Augustinus, vt linguarum magistralium peritia, politior literatura, &c. & est quod vicissim miretur in Augustino Hieronymus, vt ingenii summum acumen, disputandi, & difficillima quæque enodandi admirabilis facultas, summa auctorum omnium lectio, & in his omnibus modestia incomparabilis.

Optimè hi duo viatores, *&c.*

Paleæ & micæ.

* 1. *Et hinc* in quoq; apparet, quã bonus Pastor fuerit Christus, qui tã solicitè errãtes oues ac discipulos ipse quæsierit, erudierit, ad caulam, fidemque reuocarit.

* 2. *Doctos* colloquiis, etiã priuatis, oportunis, importunis, in itinere, in mensa, multum rudibus prodesse posse.

Arripiendam, consectandam, anxiè rimandam, omnem docendi, & aliis opitulandi, occasionem, vt Christum hic fecisse patet.

Non templa semper, non pulpita, non cathedras, non Academias aut porticus expectandas, vt rudes doceas bonum, aut malum dedoceas.

Docuit Christus hic in itinere, alias *in monte, in* agro, in mẽsa sæpè, in putei margine &c. sæpius tamẽ in templo, & synagogis.

* 3. *Prope* Emmauntem, in quodam compito, vbi Christus, instar peregrini, cum Cleopha post resurrectionem ambulauit, fons est insignis, non solum viris ac mulieribus, sed etiam brutis animantibus variè ægrotanti-

grotantibus salutaris ac medicus. Illius enim occulta vi curantur. Et aiunt quidam, id ita accidere, quod ibi Christus discipulis suis adparuerit, qui tùm fontem illum hac medica facultate beauerit. *Gulielmus Tyrius Archie. lib. 7. belli sacri, c. 24. ex Sozomeno l. 6. hist. Trip.* cuius Tyrii hoc habe Elogium ex Iouio: *Tyrius Antistes earum rerum* (nempè bello Bolionii sacro gestarũ) *historiam incorruptè condidit.* Paul. Iouius lib. 1. Elog. in Gothifredo Bolionio.

* 4. *In fractione panis, conuescentium aperiuntur obtutus, multo felicius eorum oculis patefactis, quibus naturæ suæ manifestata est glorificatio, quam illorum generis nostri principum, quibus prauaricationis suæ est ingesta confusio.* D. Leo serm. 1. de Ascens. Domini.

Clauis, quæ eorum oculos aperuit, charitas fuit, sed & Eucharistiæ sumptio. D. Gregor. homil. 23. in Euang. *Deum, quem in scripturæ sacræ expositione non cognouerant, in panis fractione cognoscunt. Audiendo ergò præcepta Dei illuminati non sunt, faciendo illuminati sunt .... Qui ergò vult audita intelligere, festinet ea, quæ iam audire potuit, opere implere. Eccè Dominus non est cognitus dum loqueretur, & dignatus est cognosci, dum pascitur.*

Ea clauis aurea ac regia est, *clauis Dauid.*

Collyrium hoc, est omnium efficacissimum.

* 5. *Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.* Luc. 24.

Democritus Philosophus Milesius, à gloriâ se abfuisse gloriabatur. *Veni* (inquit) *Athenas, neque me quisquam ibi cognouit.*

Quam magno emerent multi non agnosci. Fures, Latrones, exules, & cuiusuis capitalis criminis rei scilicet. Quidam, non pœnas iam patratorum darent: quidam, vt tutius scelera perpetrare possent.

Nàm *oderunt peccare mali, formidine pœnæ.*

Cor-

Consultissimè diuinitus prouisum est, ne sit ea vis in cuiusquam potestate. Nàm si nùnc quoque, videntibus hominibus, & superis, adeò impudenter peccamus, si eorum oculi tenerentur, ne nos peccantes agnoscerent? si cum senibus Susannæ procis verè diceremus: *Nemo nos videt?* Si annulum Gygis posideremus?

Paucæ sunt Susannæ: pauci pares Secundo Philosopho, de quo Gellius in noctibus Att.

Pauci obseruantes eius, quod monet Cicero lib. 3. Offic. non peccandum, etsi nemo hominum Deorumque esset sciturus &c.

* 6. *At ille* dixit, quæ? Triplex esset possetque huius interrogatiunculæ sensus.

* j. *Vt sit* reprehendentis ineptiam mirantium & memorantium labores, quorum exitus fuerit adeò glorioſus.

* ij. *Vt sit* quasi parui facientis tam immensos labores suos, amicorum gratia susceptos. q. d. Nihil, aut parum fuit quod feci. Vix ipse mihi satisfeci.

Ita Patriarchę Iacob pulchræ Rachelis tunc amatori, *videbantur dies pauci, præ amoris magnitudine.* &c. Genes.

* iij. *Vt sit* iubentis totam rei historiam repetere, eaque ex re magnam capientis voluptatem. *Iliacosque iterùm cupiat audire labores.*

Dantis est, beneficij obliuiſci; accipientis, meminisse, cõmemorare, &c. Passionis ergò dominicæ cõmemorationem oportet esse sempiternam. Cleophæ autem solîus nomen forsitan idcircò hîc expressũ est, quòd eum, quem credidit peregrinum, velut molli brachio reprehendisset & arguisset, tàm citò oblitæ Passionis domini tantæ, & tam recentis, magno amore in Magistrum suum iam mortuum.

Cic.

Cicer. orat. pro Archia Poeta. *Themistoclem illum, summum Athenis virum dixisse aiunt, cum ex eo quæreretur, quod acroama, aut cuius vocem libentissimè audiret? Eius, à quo sua virtus optimè prædicaretur.*

*7. *In castello Emmaus, quod est Nicopolis Palæstinæ, natalis B. Cleophæ Christi Discipuli, quem tradunt in eâdem domo, in quâ mensam domino parauerat, pro confessione illius à Iudæis occisum, & gloriosâ memoriâ sepultum.* Martyrol. Rom. 25. Septemb.

Cleophæ socium putāt quidam Lucam fuisse. Hieronymus autem Vid. vocat eum Amaona lib. 6. Christiados, vbi sic loquitur Cleophas:

Viuit adhuc, vidi his oculis, vidi ipse, Deique
Auribus his hausi vocem, consuetaque verba.
Audit hic etiam, mecum, viditque loquentem,
(Atque manu, nutuque propinquum Amaona signat)
Nammodò fortè animis mœsti dùm incedimus ambo.
&c.

IN FE.

IN FESTO S. AVDOMARI Episcopi natione Germani, habita Audomaropoli, *1600. 9.* Septemb. horâ pomeridianâ in templo Cathedrali.

Thema. *Dixit Petrus Iesu: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Matth. *19.*

QVamquam (Auditores &c.) Euangelium hoc non sit Pontificum proprium, mihi tamen visum est hodiè, festo S. Pontificis & Apostoli ve-

Vestri Audomari, tractandum suscipere, idque vt opinor, non incongruè.

Huius rei causæ mihi tres { 1. *Metus repetitionis eorumdem;* 2. *Apostolatus S. Audomari;* 3. *Monachatus eiusdem.*

* 1. *Metus repetitionis, &c.* Ne bis idem, vno eodemq; die, & in eâdem vrbe, dicere cuiquam videar rerum inopiâ, & sit crambe repetita.

Occidit miseros crãbe repetita magistros. Iuue. sat. 7.

——— *& citharœdus*

Ridetur, chordâ qui semper oberrat eâdem. Hora. in Arte.

Procliue iter ad hunc lapsum sit mihi, nisi id thematis adsumerem, vtpotè qui hoc ipso die, pro Concione antemeridianâ, in nostro FF. Minorum Cõuentu, Euangelium Pontificum proprium tractauerim, si non vt volui, & debui, certè vt potui.

Non semper feriet quodcumque minabitur arcus. Horat. in Arte.

* 2. *Apostolatus* S. Audomari.

Euan-

Euangelium hoc, *Ecce nos reliquimus omnia, &c.* Apostolorum festis est adsignatum, conuenitq; Apostolicis viris omnibus, cuiusmodi vester hic fuit.

Diuus enim Audomarus, seu Odomarus, seu Othomarus, seu Hadumarus (nam & sic Abbatem quēdam vocat VVitichindus Monachus Bened. lib. 1. Gestorū Saxonicorum) vrbis vestræ, Tutelaris fuit vester, vti & Morinorum Apostolus & Euangelista, vir nobilis.

Nam licet origine Germanus esset, nimirum in Valle aureâ propè Constātiam ad Rhenum natus, tamen hùc tandem aliquandò delatus Morinis, Taruanensibus, & vobis fidem Christianā prædicauit, collapsam instaurauit, partim apostotatas in orbitam reuocando, partim puros putos idolatras ad Christū conuertendo.

Factus enim Taruanæ præclaræ olim vrbis, & inexpugnabils creditæ (quam Regum Galliæ ceruical vulgò appellabant) nunc verò sic solo æquatæ à Carolo V. Imp. & eius filio Philippo anno 1553. vt dicere de eâ liceat illud Virgilij, *Et campos, vbi Troia fuit*: & illud Psalmistæ: *Hi fuerunt illic*: Episcopus, & missus Doctor, inuenit ibi quosdam quidem Catholicos (nàm antè, iam tum sub Diocletiano Imp. eodem missi venerant, populosque ad fidem conuerterant S. Fuscianus, & S. Victoricus, ait Plateanus:) sed quosdam etiam, post susceptum baptisma, in Idolatriam relapsos, quosdam verò adhùc meros Idolatras, nunquamq; tinctos baptismo salutari. Nàm nondùm cētennis tùnc erat Morinorum Episcopatus, institutus scilicet anno 531. *Guiciardinus in hist. Belgicâ.*

Verè scilicet erat tunc locus ille quod dicebatur *Terra-Vana.* Gen. 1. *Terra autem erat inanis & vacua; & tenebræ erant super faciem abyssi*, tàm Morinorū, quam huius vrbis, imò tùnc vicùli nomine SITHIV, omninò palustris, & marinis vndis cooperti.

Omnia

Omnia pontus erat, vt famâ à vestratibus audio, & apud vestratem scriptorẽ lego, Simonem Ogerium. *Sim. Ogerius lib. 1. Etymol. etymologia 1.*

Terram - vanam ergò vanitate idolatrię liberau S. Audomarus, ibiq; euertit, & combusit vana simu lacra, quæ supererant, triginta annos gesto Episco patu Taruanensium, defunctus anno 605. *Guiciardinu in hist. Belgicâ.*

Vrbem, inquam, illum Morinorum, à Iulio Cæsare olim deletam, &, quod ei restitisset, infœcũdo si le respersam, indeq; Terram Vanam appellari iussa (vt habet flebilis illa Elegia Gallica vulgò cantatissima, membro secũdo) sed posteà instauratam, sanctus iste vir, sale nouo & fæcundiore sparsit, *sale scilicet* sapientiæ, sale Euangelij, & condiuit per Sacerdotes qui *sal terræ* à Christo nominantur.

Nàm Taruennam ad Sãctum Audomarum, seu vicum SITHIV, ex Constantiensi pago venere tres, socii tanti operis futuri, Bertinus, Mummolinus, Ebertranus. *Ex M.S. Monasterij Bertiniani.*

Ac sic huc loci fidem Christi S. Audomarus partim ipsus ac per se, partim S. Bertini ope intulit. *Simon Ogerius vbi sup.*

Itaque meritò Dom. Simon Ogerius LL. Doctor, ciuis vester vocat ipsum Vrbis huius *primum patrem & autorem*, quæ ab eius nomine vocatur Audomaropolis, prius dicta PORTVS ITIVS, communiter in membranis Bertinianis M. SS. SITHIV; additq; vel idcircò virum sanctum iure nominatum *Audomarum*, id est *hominem antiqua famâ. Out enim* (inquit Ogerius vester) *Germanis est vetus: Mar, fama.* Palæologus *Græcè idem significat: corripitque hoc nomen penultimã syllabam, vt Viridomarus, & Indutiomarus.*

Virdomari genus hic Rheno iactabat ab ipso,
Nobilis erectis fundere gesa rotis. Proper. el. 10. l. 4.

Vti

Vti & propria in arus, vt Pandarus, Pindarus, Tyndarus, Deiotarus. Simon Oger. vbi sup.

Adeò, vt duos hos Diuos, Audomarũ Episcopum, & Bertinum Abbatem (quorum amborum templis augustissimis, turribus cęlo minantibus, campanis stupendè boantibus, & quod caput est, sanctis corporum reliquijs vrbs vestra illustratur) meritò vel Apostolos vestros dicere, vel Apostolis ac discipulis Christi, quos *binos & binos mittebat Christus ante faciem suam, in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus*, accensere possitis.

Hi duo sunt, per quos Euangelium Christi tibi (Vrbs nunc religiosissima) resplenduit.

Hi duo sunt Luminaria tua magna. Hi duo, oculi tui, quibus Christum vides.

Hi duo, tui Romulus & Remus, vrbis huius in Christo fundatores, vterque tibi, quod Romę Numa Pompilius, fuit, sed cultûs veri Dei autor. Hic Atlas, ille Hercules tuus, cœlum Eccleśię alternis sustentantes D. enim Audomaro S. Bertinus, vt Atlanti Hercules, successit. *Guiciard. vbi sup. tit. sant-Odomarus.*

S. Audomarus *plantauit*; S. Bertinus *rigauit*, *Deus autem incrementum dedit.*

Vterque effecit, vt penè qui te videat, Romam videat, cultus & fidei similitudine. Nam & Gallico anagrammate (si nescitis) *Omer*, in *Rome* conuerti potest.

Honorate ergò (ô Ciues) & huius templi Canonicos, & Monachos Bertinianos, tãtorum virorum dignos filios ac successores, vt soletis & debetis.

Vos verò, Canonici, vosque Bertiniani Monachi pergite ita *charitate fraternitatis inuicem diligere*, vti se vicissim DD. Audomarus & Bertinus coluerunt; honore inuicem præuenerunt; & animis concordibus *super alienum fundamentum*, ab his scilicet Diuis hîc fęliciśimè iactum *ædificate*. Rom. 15.

Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri. Ouid.

Imperium Christi, quod patres auxêre, filij seruent, confirment, exornent.

Spartam nactus es, hanc adorna. prou.

*3. *Monachatus* eiusdem. Nàm D. Audomarus etiam Monachus Luxouij in Burgũdiâ, ante Episcopatum susceptum, & quidem cum patre suo iàm vidua fuit. *Surius.*

Et scribit etiàm aliquis, S. Audomarum primum monasterij huius loci Abbatẽ fuisse. *Franc. Plateau libello Antiquitatum Gall. mihi pag.* 198.

Nõ ergò dedignabitur neq; indignabitur is Diuus (scio) Euangelium hoc Monachorum festis dicatum, festo eius solemniore vsurpari, qui Monachus aliquandò fuerit, etsi ex Monacho tandem Episcopus: Monachus sibi, alijs Episcopus.

Glorioſum, & nonnunquam vtile quoq;, qui fueris, & vnde sis meminisse, seu splendida, seu obscura origo est. Ista enim ad modestiam, illa ad magnanimitatem incitat.

Agathoclem certè Siciliæ Tyrannum ferunt, semper figulinis in mensa vsum, quod patre figulo natus esset; & ex gregario milite, Centurio; ex Centurione, Tribunus militũ, ex Tribuno Rex euasisset, in demortui scilicet Regis locum, ob virtutem suffectus.

Fama est, fictilibus cœnâsse Agathoclea Regem,
Atq; abacum Samio sæpè oneraſſe luto. Auson.

Et auditoribus, lectoribus, & spectatoribus indè spes animusq; aliquandò ad magna emergendi nascitur, vt vt iactetur illud

Haud facilè adsurgunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi. Iuuenal. sat. 3.

Sententiam ergò hanc, *Eccè nos reliq. omnia, &c.* ex Euangelio Apostolorum ac Monachorum festis probanâ

prio decerptam hodiè exponam, & Episcopi Festo, bonâ eius ac vestrâ pace, seruire iubebo, quam commodissimè Deus dederit.

Dicendum ergò hodie mihi
1. *Meritò relinquendas diuitias, vt malorum multorum fontes;*
2. *Quantum; quo modo; quâ opinione; & quâ intentione Apostoli reliquerint;*
3. *Vt quadrent verba ista D. Audomaro Tutelari uostro.* AVE.

I.

Meritò relinquendas esse diuitias, vt multorum malorum fontes.

Eccè. Aptum planè rei inusitatæ, & suâ nouitate admirandæ, exordium (Auditores &c.) *Eccè nos reliquimus omnia, &c.*

Dixi enim nuper (si tamen meministis) nunc verò quoq; confirmo, Mirabilium, Vtiliumq; non vltimũ esse, omnia relinquere, quod se sociosq; Petrus fecisse, non tàm gloriatur apud Christum, quàm lætatur, nisi fortè tàm gloriatur, quàm lætatur.

* 1. *Mirabilium* quidem. Nàm profectò rari, qui sic integrè serioq; opes iam habitas contemnant, rariores, qui non habitas non saltem affectent, aut ambiant.

Facilius reperias mille qui verbis vituperẽt, quàm duos aut tres qui re verâ fastidiant.

Vix ego Saturno quemquam regnante videbam,
Cuius non animo dulcia lucra foret. Oui. l. 1. Fast.

Mirari autem contingit, à rerum nouitate ac raritate. Ergò.

Infinitus verò est numerus hominum ex professo opes amantium, & eorum, qui eas non modò non

relinquunt, sed etiam instar Gryphium nidum suum ex auro construentium, auro incubantium, aurumque vigilantissimè custodientium, opibus à aut maioribus congestis aut relictis insomniter inc bant, aut adcubant, nec ipsi illo vtentes, nec alijs vti di eius copiam facientes, quasique visum aut visi nem ipsam eius solam inuidentes.

Veteres enim sanè quidam opinati sunt, Gryphe auri custodes, auro delectari, nec furibus vllum a aurum aditum permittere (si tamen Gryphes habe rerum natura.)

At quidam tàm sunt auri amantes, vt illud non furibus, non externatibus tantum, sed amicis etiam & liberis suis, imò & sibi quoque occultent, & genio suo negent, hoc vno contenti, quod aurum possideant, & dum collibuerit videre possint, ac quasi reliquias reuerenter tangere, numerare, imò fortè & cũ Caligulâ Imp. in ipso volutari. Sueton. in Calig. ca. 42. *Nouissimè contrectandæ pecuniæ cupidine incensus, sæpè super immensos aureorum aceruos patentissimo diffusos loco, & nudis pedibus spatiatus, & toto corpore aliquamdiu volutatus est.*

Sic thesauros custodiunt, vt aurum sacrum & vasa templi, ęditui & sacristę, vt Hesperides, tres illæ sorores, dicuntur hortos suos nemore aurifero pretiosos, draconis peruigilis insomniâ, custodire.

Tamquàm serpentes illi seruant aurea poma, qui ob auaritiam neque dormire quidem tutò possunt. N. Comes lib. 7. Mythol. cap. 7.

Quid enim vetus, quid carnalis homo nouerat, nisi sua retinere, aliena rapere, si posset; concupiscere, si non posset? D. Gregor. homil. 32. in Euang.

Deus bone. Quam multos eiusmodi reperire est, domi, militiæ, fori, ac forsitan & in hoc cœtu.

Quid

Quid? Etiàm eorum plerique multi, qui ſemel eas contemsêre, tandem eaſdem fugitiuas repetunt, & ſomniant, vt quondam miſeri Iſraelitæ Aegyptum, vndè effugerant.

Quàm paucos inuenias Biblijs populis ſimiles, quos aiunt, ſi in viâ in aliquid inciderint, quod non repoſuerint, non tollere? Non enim hoc inuentum, ſed furtum eſſe arbitrantur. *Aelianus lib. 4. var. hiſtor. cap. 1.*

Quam paucos etiàm obſeruatores huius legis Stagiritarum; *Quod non depoſuiſti, ne tollas.* Aelian. lib. 3. var. hiſt. cap. 46.

Quam rarę populi Aphytenſium hoc ęuo reliquię, qui ne ianuas quidem alienas patentes adtingebant. qui tàm integrè vitam agebant, vt memoriæ proditũ ſit (mirabile dictu) aliquandò peregrinum, cùm ibi vinum emiſſet, neque ſecum adſportare potuiſſet, ſed ibi nemini commendatum reliquiſſet, quòd nauigatio celeriter abeundi neceſsitatem imponeret, diù pòſt alteris nundinis reuertentem, illud reperiſſe. *Heraclides in Politijs.*

Ità ſcilicet verisſimum eſt, quod prouerbio noſtrate dicitur: *Omnes in diabolum illum argẽteum, quaſi in ſcopum, iaculari.*

Eſt Valencenis celebri vrbe Belgij, in nobili illo antiquoque FF. Minorum, nùnc Recollectorum Conuentu vetus ſanè pictura, ingens, ſed affabrè elaborata, in pariete cuiuſdam cubiculi hoſpitum (vt noſtri vocant) hùc plurimum faciens. Ibi enim pictus eſt Sagittarius neſcio quis, vir procerus, totâ vi arcũ intendens, & quaſi iàm iàm ſagittam emiſſurus collimans in ſignum fului coloris orbiculatum, in cuius medio picta eſt lõga littera I. rubei coloris: ſupra autẽ ſagittarij caput ſcripta eſt vox iſta (CHACVN, id eſt, *Vnuſquiſque*:) à tergo eiuſdem, domuncula &

arbor: ſub illo verò ſcopo ità literato, picta et ciuitas habens ab vno latere pictum mare aliquot nauibus onuſtum, fluens vel à ciuitate verſus Sagittarium, vel à ſagittario ad ciuitatem, cui ciuitati ſubeſt mulierculæ velut flentis, & dexterâ lachrymas detergentis ſimulachrum, ità inſcriptum (LA CHOSE PVBLICQVE, id eſt, *Reſpublica*) ſiniſtraque tenens chartam notatam hoc Elegiaco:

Cernite me ſpretam; iàm quilibet adtrahit ad ſe;
Gallica quod reſonat lingua, Chacun tire à ſoy.

Eccuius enim rei (quæſo, Auditores) eſt hoc ſymbolum, niſi ſtudij opum immenſi, quo tàm inſano vniuerſi ardent, vt etiam magnatos plerique *multi*, hunc ſcopum vel ſolum, vel præcipuum, adeundæ gerendæque Reipub. vel ſacræ, vel profanæ, habeant, diuitias corradere, & quæſtui habere Rempublicam?

Eamus ad auream meſſem, aiebat ex priſcis illis quiſpiam, Themiſtocles fortaſsis, aut Pericles, lucroſam Reipub. curam intelligens: alius æuo noſtro, de vacca Flandricâ mulgenda loquebatur.

Vnde habeas, nemo quærit, ſed oportet habere.
Sic *vnus eſurit* ſcilicet, *alius autem ebrius eſt.*

Adeò ſunt quidam, qui nullâ religione ac ſcrupulo *deuorant pauperem in abſcondito*, imò & in publico, & velut cum riſu & ſarcaſmo; quique nullo magis, quàm pauperum, ſanguine, ac rebus alienis interuerſis, ſibique vſurpatis, ſaginantur.

Eccli. 13. *Paſcua diuitum ſunt, pauperes.*

Homines, ſicut piſces maris, quorum minimi à maioribus ſolent deuorari.

Quam pauci cum Paulo verè dixerint: *Argentum & aurum, aut veſtem nullius concupiui, ſicut ipſi ſcitis.* Act. 20.

Vel

Vel cum Samuele, magistratu cedente: *Ecce præsto sum. Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi: & contemnam illud hodie, restituamque vobis?* 1. Regg. 12.

Hic iàm quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. 1. Cor. 4.

Qui ærarium Reipub. vt rem sacram, tractet.

Quam paucos videas, Repub. gesta tantisper tales redire, quales erant cùm primum adierunt, id est, æquè pauperes, & nihil, aut parum, auctiore fortuna, quorum idcirco iusta fieri oporteat, aut eorum filias dari nuptum, publico sumptu?

Quam paucos Fabritios Romanos, quorum filiæ, post clarissimos magistratus à patribus gestos, ob paupertatem, de publico dotentur, & ad maritos proficiscantur, nihil aliud secum efferentes, quam gloriam domesticam, & publicam liberalitatem?

Quàm paucos Q Q. Cincinnatos, qui à stiua & aratro vocati ad Dictaturam, victisque hostibus, in eadē paupertate emanserint?

Quam paucos LL. Valerios, qui gesto consulatu, ære populari sepeliri debuerint. *D. August. lib. 5. Ciuit. Dei c. 18.*

Quam paucos Phociones Athenienses, cognomento Bonos, semper pauperes, cùm ditissimi esse possent, propter frequenter delatos honores, qui cum Legati Philippi Macedonum Regis ingentia munera offerrent, & accipere suaderent (quamuis enim facilè esset sibi carere; liberis tamen suis fore necessaria, quibus difficilè foret in summa paupertate, ad paternam gloriam peruenire:) ità respondeant: *Si nostri simi-*

similes erunt; idem hic agellus alet illos, qui nos ad hanc dignitatem perduxit: si dissimiles; nolumus, paternis impensis, illorum ali augerique luxuriam. Plutarch. in Phocione.

Vbi terrarum aut gentium quæras similes Aristi illi Athenienſi quoque, cui Iuſti cognomentum fui qui etſi multas Præfecturas & ipſe geſsiſſet, nihilo minus in tantâ paupertate obijt, & abiit, vt non tan tum poſt obitum reliquerit, quantum ſatis eſſet in ſumptus exequiis celebrandis, neque quod veſpillo nibus, & vilibus cadauerum funeratoribus, daretur *AElianus lib. 11. var. Hiſt. c. 9.*

Vbi Petros Apoſtolos, qui, poſitis omnibus primitiuorum Chriſtianorum ad pedes ſuos patrimoniis, tamen tàm parum nummati incedebant, vt aliquandò pauperi ſtipem poſcenti & ſperanti dicerent: *argentum, & aurum non eſt nobis* &c. Act.

Vbi Arſenios, qui Arcadio & Honorio, Theodoſii filiis, iàm imperantibus, cum ei iàm ſolitario mãdarent, *acciperet publicas in AEgypto pecunias, & eas arbitratu ſuo diſtribueret*; maximo ſanè opum contemptu, reſpõderint: *Huic mundo mortuus ſum; nec amplius viuo?* Michael Glycas Annal. parte 4.

Ita ſunt propè Phænice rariores, qui verè ac ſincerè cum Petro dicãt, *Eccè nos reliquimus omnia &c.*

Contrà, affatim inuenias, imò nolens volẽs in multos incurras, potius Themiſtocli ſimiles, ditiſsimos ſcilicet è pauperibus factos, adminiſtratione Reipub. aut infida, aut ſordida.

Plutarc. n. ſic de ipſo in eius vita: Cùm eſſet is exilio damnatus, *magna vis pecuniæ furtim ex bonis eius ab amicis eſt erepta, eamque is ſecum in Aſiam abduxit. Cæterũ iſtius, quæ inuẽta poſt eius abitũ, & in ærariũ redacta eſt, ſummã Theopompus indicat centum talenta, Theophraſtus octoginta: cùm quidem antequàm Rempub.*

pub.adtigisset, bona eius ne trium quidem talentorum precio æstimata fuissent.

Omnis Gratia, Potentia, Honos, Diuitiæ apud illos sunt, aut vbi illi volunt. Sallust. in Catilinario.

Ciceronem Sallustius huius morbi insimulat, his verbis, *Redde rationem, quantum patrimonij acceperis, quid tibi litibus adcreuerit, quâ ex pecuniâ domum paraueris, Tusculanum & Pompeianum infinito sumptu ædificaueris: aut si retices, cui potest esse dubium, quin opulentiam istam, ex sanguine & miserijs ciuium paraueris?* Sallust. orat. in Cic. si tamen eius est.

Et fuêre, qui Senecam ipsum apud Neronem criminarentur, *tanquam ingentes, & priuatum modum euectas opes adhuc augeret; quodque studia ciuium in se verteret; hortorum quoque amœnitate, & villarum magnificentiâ, quasi Principem supergrederetur.* Corn. Tacit. l. 14. Annal. c. 15.

Repetundarum quàm multi nùnc damnari possint, omnis generis, & conditionis.

Igitur, hoc est mirabilior verus ac stabilis diuitiarum contemptus, quò rarior: ac meritò Petrus, de se ac suis loquuturus, præmisit illud suum, *Eccè*: dicens: *Eccè nos reliquimus omnia &c.* curam rerum omnium aliarum à te, atque obsequio tui, negleximus.

* 2. *Vtilium.* Nam diuitias multiplicis materiem mali esse, nemo nescit, nemo negat, etiam eorum ipsorum, qui eas aut habent, aut quærunt.

Radix omnium malorum est cupiditas. est vox vna omnium.

Effodiuntur opes, irritamenta malorum. Ouid. lib. 1. Metam.

Vt olim ex equo Troiano effusus miles plurimus Troiæ fatalis, atque exitiosus; ità ex opum abundantia, multiplex hominum ruina.

Quod quondã sceleratus ille Rex Atreus de regno

& ſummo in alios imperio dixit, hoc ipſum de diuitijs dicere licebit : *Vt nemo doceat fraudis & ſcelerum vias;*
Regnum docebit. Ne mali fiant, times?
Naſcuntur. Senec. in Thyeſte, Act. 2.

Fallaces diuitias Chriſtus vocabat, non modo quià *nobiſcum diu permanere non poſſunt*, aut quià *mētis noſtræ inopiam non expellunt* (vt D. Gregorio placet homil. 15. in Euang.) ſed quià neſcio quo modo, aut quæſitores, aut poſſeſſores ſuos in mille & ſcelera & pericula præcipitant. *O vitæ tuta facultas*
Paupertas, anguſtiqúe lares, ô munera nondùm
Intellecta Deûm! Lucan. lib. 5. Pharſal.

Vniuerſitas iniquitatis, Opulentia, & Licētia. Seminarium, & fœcunda culparum officina.

Quem corruptum mòx voles; huic opes, huic regnum & ſummum imperium para.

Phocion cognomento Bonus, ſatis indicauit, cùm mittente ad eum, egenum licet, Alexandro Magno centum talenta, interrogauit : *Et cur ea ſibi vni donaret?* & reſpondentibus: *Quoniam ipſum ſolum ex omnibus Athenienſibus bonum honeſtumqúe virum iudicaret;* ſubiecit, *ſinat igitur me talem eſſe*, quaſi ſcilicet ſimùl & Diues & Bonus eſſe non poſſet : & diuitiarum ingreſſus ad eum iàm bouum, & publicè Boni cognomento iam illuſtrem, Bonitatem ac virtutem extruderet. *AElianus lib. 11. var. hiſt. c. 9.*

Vt *non benè conueniunt, nec in vnâ ſede morantur*
Maieſtas, & amor : ſic nec ferè Innocentia & Opulentia.

Diuitiæ enim ferè poſſeſſores ſuos præcipitant in
1. *Superbiam;*
2. *Audaciam;*
3. *Bella;*
4. *Voluptates;*
5. *Facultatem peccandi;*
6. *Salu-*

6. *Salutis difficultatem;*
7. *Cœli contemptum, & profundam Dei obliuionem.*

* 1. *Superbiam*, inquam. *Vermis diuitiarum, superbia.* D. Aug. serm. 29. in illud 1. Timoth. 6. *Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere.*

Vt plumarum suarum versicolore elegantiâ pauones superbiunt; sic ferè homines opulẽtiâ, vt secum dicere non nemini aliquandò contingat cum Niobe Ouidianâ, hæc, aut his similia:

Maior sum, quàm cui possit fortuna nocere;
Multaque vt eripiat, multò mihi plura relinquet;
Excessêre metum mea iam bona. Ouid. lib. 6. Metam.

Crœsum Lydorum Regem, opum suarum magnitudo tàm immanis vt prouerbio locum fecerint, hùc superbiæ aliquando prouexit, vt apud Solonem, omnium mortalium fœliciſsimum se venditaret.

Pharao rerum successu elatus, aiebat Moysi: *Quis est Dominus? nescio Dominum, & Israel non dimittam.*

Nabuchodonosor volebat se vel in statua adorari.

Alexander Magnus, superato iàm Dario, & Persarum regno auctus, iàmq; altum sapiens, Græcis scripsit, vt se Deum facerent. *AElianus l. 2. var. hist. c. 19.*

Principi quoque Tyri Ezechiel sic obijcit: *Eleuatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum, & in cathedrâ Dei sedi in corde maris: cùm sis homo & non Deus, & dedisti cor tuum quasi cor Dei.* Ezech. 28.

Et: *In multitudine sapientiæ tuæ, & in negotiatione tuâ multiplicâsti tibi fortitudinem, & eleuatum est cor tuum in robore tuo.* Ibid.

Domitianus factus Imp. appellatione Domini, atque etiam Dei, gaudebat. *Primus* (inquit Eusebius) *Domitianus Dominum se, & Deum appellari iussit.*

Instituit, vt ne scripto quidẽ, aut sermone cuiusquàm aliter appellaretur, Proh, superbiã. Et hæc quidem Opulentiæ filia primogenita.

Sic

Sic verò superbiendi hæ ferè causæ { 1. *Egestas nullius propemodum;* 2. *Quædam quasi omnipotentia;* 3. *Omnium reuerentia, concursus ad os, ac tantum non adoratio.*

* 1. *Egestas nullius* propemodùm. Nàm quæ nocturno concubiâ somniarunt, primo diluculo obtinẽt, si affectant.

Eccl. 1. *Omnia quæ desiderauerũt oculi mei, nõ negaui eis: nec prohibui cor meũ, quin omni voluptate frueretur.*

Sensualitatem & carnem suam sic adloqui possunt

Tuus, ô Regina, quid optes,
Explorare labor; ne iussa capessere fas est. Virg. 1. Aen.

Dictum, factum.

Est autem hîc quædam Diuinitatis similitudo beatissimæ omnium bonorum aggregatione.

* 2. *Quædam quasi omnipotentia.* An non *pecunia obediunt omnia?*

Ferroque potentius aurum. Ouid. lib. 1. Metam.

Clauis aurea, claua aurea, hasta aurea, securis aurea, manus aurea, vnctio aurea, omnia aperit, quassat, transfigit, perfringit, vincit, sanatq;.

Scilicet vxorem cum dote, fidemque & amicos,
Et Genus, & Formam, regina pecunia donat. Horat. 1.

——— *omnis enim res*
Virtus, Fama, Decus, Diuina, Humanaque pulcris
Diuitijs parent; quas qui construxerit, ille
Clarus erit, Fortis, Iustus, Sapiens etiam, & Rex,
Et quidquid volet. Horat. 2. sermon. 3.

Nulla vis, aut Magia auro potentior.

Philippo Macedoniæ Regi visũ, nil esse auro inexpugnabile, intrare dũtaxat possit asinus auro oneratus.

Non modò *belli neruus pecunia est*, vt loquũtur milites: sed omnium penè rerum ritè agendarum.

Diuinitatem penè pecuniâ emeris, vt sic dicam. Et Vitulus, & Asinus, penè pro Deo haberi possit, dum

dùm sit aureus, vt ille Israelitarum, & ille Apuleianus.

Nihil necesse, vt Annon Carthaginiensis aues sibi coemat, doceatq; hoc vnum garrire; *Annon est Deus:* quę emissæ in syluas, aues alias idẽ garrire doceant, sicq; Annoni altori & doctori suo diuinitatis opinionem apud populos concilient. *Aelian. li.* 14. *var. hist. c.* 30.

Nil opus simili arte Psaphoni Libyco ad eũdem finem. *Vide Max. Tyrium serm.* 19.

Aurum affatim si habuissent, atque effudissent affectatores illi Deitatis, venales linguas, calamosq; affatim quoque hùc inuenissent.

*3. *Omnium reuerentia*, & ad eos concursus, &c. *Aurum omnes, victa iàm pietate, colunt.* Propert. lib. 3. eleg. 11.

Lacer & pannosus quisque aulâ excluditur, cultior verò & vestitior admittitur.

Curia pauperibus clausa est. Ouid. 3. Am.

Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. Mat. 11.

Candidam vestem habenti, & annulum aureum gerẽti dicitur in palatio, in Capitolio, in Gynecęo, & in Templo sæpè, pro Concione, pro Confessione quoque fortasis, *Tu sede hic benè &c.* Iacob.

Eccl. 13. *Diues commotus confirmatur ab amicis suis: humilis autem cùm ceciderit, expelletur & à notis. Diuiti decepto multi recuperatores: locutus est superba, & iustificauerunt illum. Humilis deceptus est, insuper & arguitur: locutus est sensatè, & non est datus ei locus. Diues locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perducent. Pauper locutus est, & dicunt: Quis est hic? & si offenderit, subuertent illum.*

Diuites improbi licet & saturi, ante pauperes quãlibet probos & famelicos, ad prandia & cœnas inui-

inuitantur; magistratibus collatis primi honorantur, etiàm sacris nonnunquam, vndè Augustinus: *Quis rat, eligi diuitem, ad sedem honoris Ecclesiæ, contepto paupere instructiore, atque sanctiore?* D. Aug. ep.

Quid? Ipsi quoque Philosophi in diuitum domib frequentes.

Occursant etiàm illi diuitibus, salutant, prensant non semper vt ægros medici, sed sæpè, vt mendici, & vt mures aut formicæ horrea frumentosiora, vt proceras arbores hederæ circumserpentes, & æstuosiorem regionem hirundines, locupletiorem ac profusiorem adolescentulum meretriculæ.

Fructus amicitiæ magnæ, cibus. Iuuenal. Sat. 5.

Prædam sequitur turba ista, non hominem. Senec.

Et bona summâ putant, alienâ viuere quadrâ. Iuuenal. sat. 4.

Verbis scriptisque ecquis ferè diuitibus non adulatur? Laudenses ac Placentinos circum se habent infinitos.

Quotidiè audiunt tua Excellentia, tua Celsitudo, tua Reuerentia &c. Ego cliens, *ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* psal.

Eorum manus, genua, ac pedes osculis adpetũtur.

Sit fortè & qui illud vsurpet: *non sum dignus corrigiam calceamenti tui soluere.*

Et qui, vt L. quidam Vitellius vir Consularis, insaniat adulando. Is enim *pro maximo munere à Messalina petijt, vt sibi pedes præberet excalciandos: detractumque socculum dextrum, inter togam tunicasque gestauit assiduè, nonnunquàm osculabundus.* Suet. in Vitellio cap. 2.

Scribere aliquis ausus est, adulans Domitiano: *Edictum Domini, Deique nostri,*

Quo subsellia certiora fiunt.

Act. 12. *Cùm statuto die Herodes, vestitus veste regiâ, sedit*

sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos : populus adclamabat: Dei voces & non hominis. L. Vitellius primus C. Cæsarem adorari vt Deum instituit. *Suet. sup.*

——*nihil est, quod credere de se*
Non possit, cùm laudatur Dijs aqua potestas. Iuuen. Sat. 4.

Nusquàm non, & à nullis non diuites honorãtur.

Plurimus auro Venit honos. Ouid. 2. de Arte.

Dant census honores. Idem 3. Amor.

Dummodo sit diues Barbarus, ille placet. Idem 2. Ar.

Credunt scilicet etiàm se esse, quod dicuntur, hominibus altiores, Dijs pares.

Quid? Etiàm defectus & vitia potentũ honorãtur.

Aulici Alexandri Magni, obtorto pauxillum collo certatim incedebant, studio ei placendi, vt cui collũ sic natura formauisset.

Aulici alij nescio qui in se inuicem incursabant, & impetebant, vt Regi minùs acuti visus adularentur.

Habuit Nero etiàm parricidij, id est, cædis maternæ laudatores. *Tacitus.*

Ergò perdifficilè, inter hæc diuitem nõ superbire.

Phœnice rarior *humilitas honorata.* D. Bernard. ser. 4. sup. Missus est.

Vnius Mariæ fuit, in summis honoribus dicere potuisse: *Ecce ancilla Domini.* Luc.

Vidit Salomon, qui causam magnarum diuitiarum à Deo non petendarum istam posuit: *ne fortè satiatus illiciar ad negandũ, & dicam, Quis est Dominus?* Prou. 30. * ij. *Audaciam. Tunc pauper cornua sumit.*

Aristot. lib. 5. de Repub. c. 7. *Qui magnas opes nacti sunt, ij, si autoritatem Rèspub. dederit, & libidini seruire, & maiores opes habere, & superiores esse volunt.*

Demosthenes contra Mid. *Opulentus audax, superbus, magniloquus, violentus, impudens.*

Iram,

Iram, atque animos ad crimina sumunt.

Vt vires corporis, societas numerosa, arma septemplicia & impenetrabilia, & sublimia illa (vt vocant) nomina, militem faciunt audaciorem; sic diuitem audentiorem suæ opes ac potentia.

Vt canibus animos facit heri præsētia, sua domus, & suum sterquilinium; sic diuiti amplum patrimonium, genus suum, amici multi potentes, & clientelæ.

Diues *Iura negat sibi nata, nihil non arrogat armis.* Horat. in Arte.

Cōtra, *Pauper amet cautè, timeat maledicere diuiti, Multaque diuitibus non patienda ferat.* Ouid.

* iij. *Bella iurgia, &c.* Superbi enim cum sint, nihil non sibi arrogant, ac deberi putant, etiam ab alijs longè se melioribus, quod sæpè non obtinent; vnde vtrimque iurgia, hinc arrogantium, illinc refragantium, sæpè & derogantium.

Euripides in Phæniss. Iocastam inducit dicentem suo Etheocli, admonentemque, desistat ab habendi plura, quam Frater habeat, cupiditate, his verbis:

Melius (inquit) *ô fili, est, sequi*
Aequalitatem, amiculos quæ amiculis,
Et ciuitates ritè ciuitatibus,
Socioque socijs adsolet connectere
Semper. Homines æqualitatem enim probant:
Semperque quod plus est, cum eo quod est minus,
Bellum gerit, quotidieque exordia
Præbet inimicitiarum.

Deindè, *vbi multæ sunt opes, multi sunt qui comedūt eas*, aut inuadunt.

Vox populi nostratis, oraculo Delphico verior est, quâ dicitur: *(Qui a terre, a guerre:)* id est; Bellum habet, qui agrum habet.

Inuaditur aliquid eius à pauperiore aut acciditur, ac sic vim vi repellere cogitur.

Sæpè

Sæpè etiàm diues, dùm *iungere* cupit *domum ad domum*, horrea, aut pomœria extendere, & vineam Nabothi hùc commodàm adfectat, Nabothum iritat & vexat.

Irritat & irritatur, irritat flagitando, irritatur denegando.

Aureum pomũ à Discordiâ ad Pelei nuptias illatũ, in quo scriptum erat, *Detur pulcherrimæ*, Iunonem, Palladem, Veneremque mirè dissociauit.

Vnde bella & lites in vobis? ex cõcupiscentijs vestris, quæ militant in mẽbris vestris? Concupiscitis, & non habetis: occiditis, & zelatis: & non potestis adipisci: litigatis, & belligeratis, & non habetis &c. Iacobi 4.

Itaque Offensiuis (vt vocant) ac Defensiuis bellis diuites agitantur.

Deindè: nescit diues nec parem, nec priorem pati.

Offenditur grauiter, leuiter offensus; vt, suis titulis ac prænominibus non salutatus.

Nec quemquam iàm ferre potest Cæsarue priorem,
Pompeiusue parem. Lucan. lib. 1. Pharsal.

Vt sibi ereptum putat, si quid datum non est, aut concessum, quod petebat, aut sperabat. Ergò.

* iiij. *Voluptates* Vêtris Veneriscq; ab otio scilicet opulẽtorum maximo quidẽ, sed in perniciem ipsorũ negotiosissimo.

Ammonius enim rectè diuitias *supinas* appellauit, quod supinum scilicet otium introducunt, ac deindè peccata, mera otiosorum negotia.

Sedit populus manducare & bibere, quid indè expectas? *& surrexerunt ludere.* Exod. 32.

Prima peregrinos obscœna pecunia mores
Intulit; & turpi fregerunt sæcula luxu
Diuitiæ molles. Iuuenal. sat. 6.

Quàm benè dictum *obscœna pecunia?* & *pecuniæ molles*, ab effectu scilicet.

Eneruant enim, effœminant, & in Ventris atque indè Veneris vitia præcipitant.

Ex hoc, in hoc. psalm.

Ex hoc in illud. psalm.

Dives ille rectè Epulo quoque introducitur: *Indebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidiè ſplendidè.* Luc. 16

Vēter mero æſtuans facilè deſpumat in libidinē. Hier.

Luxuriam lucris emimus, luxuque rapinas,
Et ſummum cenſus pretium eſt, effundere cenſum.
Manil. lib. 4. Aſtro.

Facilius eodē vaſculo aquā ignemque continueris, quàm in eodē homine diuitias, delicias, & caſtitatē.

Prouerbio noſtrate rectè dicitur: *A ventre tripudium*; Gall. de la panſe, vient le danſe.

An non vides vrbium luxurioſiſſimas, quę ſunt opulentiſſimæ, vt Corinthum, Tyrum, Alexandriam? &c. ne vllas æui noſtri nominem aut defamem.

Denique, diuitibus otiari, ac cancellatis (vt aiūt) brachiis ſtare in foro vacat.

At otium eſcam malorum eſſe quis neſcit?

Multam malitiam docuit otioſitas.

Quæritur Aegyſthus quare ſit factus adulter?
In promptu cauſa eſt; Deſidioſus erat. Ouid.

Iuuen. ſat. 6. *Præſtabat caſtas humilis fortuna ſabinas*
Quondam; nec vitijs contingi parua ſinebat
Tecta labor, ſomnique breues, & vellere Tuſco
Vexata, duræque manus, ac proximus Vrbi
Hannibal, & ſtantes Collina in turre mariti.

Spinas fortaſsè Chriſtus idcircò diuitiis comparauit, quòd, vt ſpinæ venenata animalia ac ſordida vel generant, vel fouent; ſic diuitiæ fœda Gulæ, & Veneris peccata.

D. Auguſt. epiſt. 5. *Plus dolendum eſt, paupertatem, quam opulentiam peruſſe Romanam. In illa enim auo-*

rum

rum integritas seruabatur: per hanc non muros vrbis, sed mentes hominum, dira nequitia, omni hoste peior, corrupit.

Apuleius Apolog. 1. pro se. *Paupertas olim Philosophi vernacula est, frugi, sobria, paruo potens, æmula laudis aduersum diuitias possessa* (mel. posleſſo) *habitu secura, cultu simplex, consilio benè suada, neminem vnquàm superbia inflauit, neminem impotentiâ deprauauit, neminem tyrannide efferauit, delicias ventris & inguinum, neque vult vllas, neque potest.*

Quippè hæc & alia flagitia diuitiarum alumni solent. Maxima quæque scelera, si ex memoriâ hominum percenseas, nullum in illis pauperem reperies .... sed quemcumque in aliquâ laude miramur, eum paupertas ab incunabilis nutricata est.

*v. Facultatē peccandi. *Vitijs alimenta ministrāt.*

Emitur matronarum virginumque pudicitia: emitur custos, ancilla, & sæpè maritus ipse.

Emitur cædes mariti.

Funere sæpè viri, vir quæritur, ait quidam.

Viderunt primos argentea sæcula mœchos. Iuuenal. sat. 6.

Auro conciliatur amor. Ouid.

Aurum, non vxor, amatur.

Secùm habet ingenium, qui, cùm libet, accipe, dicit. Ouid. 2. de Arte.

Aureo hamo, & retibus aureis omnia capiuntur.

Catenis aureis omnia vinciuntur.

Potentissima lenarum pecunia est.

Atalantam virginem poma aurea ab Hippomene iacta vicerunt.

Inclusam Danaen vel aheneâ turri imber aureus vitiabit.

Redimitur pœna Adulterij, Homicidij, Periurij, Lenocinii &c. corruptis auro Iudicibus.

Figuntur leges pretio, atque refiguntur.

Diogenes acutissimè, quum diuitias vocauit *velamentum militiæ*. Laertius lib. 6.

*vj. *Salutis difficultatē*, vel Christi ipsius oraculo Matth. 19. *Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in regnum cælorem. Et iterum dico vobis. Facilius est Camelum per foramē acus transire, quam diuitem intrare in regnum cælorum.* Formidolosa sententia.

Cœlum ascensuris pondus sunt, non subsidium, vt hasta & arma iàm victis & fugientibus.

Diogenes ille Cynicus viam Virtutis adeò angustā, difficilem, & arduam dixit, vt eam vix nudi superare possent, ac transmittere, nedùm pondere aliquo impediti, & auro suffarcinati.

Tricę sūt pedibus auiū innexæ, & propriį nominis impedimenta, alioquî altissimè atque ocyssimè volaturis.

Læua tenet lapidem, manus altera sustinet alas, Vide Alciati Emblem.

Quod vestes luctaturo cū nudis, hoc diuitiæ hominibus, cū Dæmone certātibus. Prēfationibus præbent occasionem: item lapsibus ipsis inter currendū.

D. Gregor. homil. 32. *Qui ad fidei agonem venimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus. Nihil autē maligni spiritus in hoc mundo proprium possident. Nudi ergò cum nudis luctari debemus. Nàm si vestitus quisquā cum nudo luctatur, citiùs ad terrā deijcitur, quia habet vndè teneatur. Quid enim sunt terrena omnia, nisi quædā corporis indumenta? Qui ergò contra diabolū ad certamen properat, vestimenta abijciat, ne succumbat.*

Prorsus ad viuendum, velut ad natandum, is melior, qui onere liberior. Apuleius Apol. 1. pro se ipso.

Et ideò fortasis nudi magnâ Dei prouidentia nascimur.

D. Franciscus etiàm idcircò nudus mori voluit. D. *Bonau.*

Bonauent. in eius vitâ.

Christus præierat, nudus in cruce, certamine vltimo, cum Sathan decertans.

*1. *Spinæ* quoque à Christo dictę diuitię, quòd harũ curis & solicitudinib⁹ verbũ Dei seminatũ suffocetur.

Spinæ enim ità humorẽ, terræque succũ sibi exsugunt, vt semini meliori nihil suppetat ad incrementum, imò ne ad fomentum quidem.

Collactaneorũ duorũ potẽtior, collactaneo infirmiori, exsucca planè vbera nutricis relinquit. *Vnus esurit, alius ebrius est.*

Solicitudo diuitiarum gratię diuinæ pinguedinem exhaurit.

Totum hominem diuitiarum curæ sibi vendicant.

*2. *Spinæ* solem imbremque à semine excludunt.

Diuitibus nõ vacat multùm legere, diu audire verbũ Dei, aut contẽplari; diuturnas in tẽplis, in scholis, aut Philosophorũ cõgressibus habere stationes, vndè illustrentur verbo, & exemplo irrigentur.

Imò si quãdò ibi sunt corpore, ibi mente non sunt.

Audientes non audiunt, ità in officinis, in foris, in nundinis, eorum aures animusque peregrinantur.

Non magis diuinæ gratiæ sol solicitorum diuitum mentes illustrat, quàm Caci ipsius speluncam, semper *solis inaccessam radijs.*

*3. *Spinæ* aristas è terra succrescere non sinunt; nec diuitiæ mentem humo se vel tantisper adtollere, ad cogitandum de cœlestibus, de æterna salute seriò tractandum, patiuntur.

Deprimit terrena inhabitatio sẽsũ multa cogitãtem.

Vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum.

D. Antonius Paduanus noster, vir prophetico spiritu plenus, concionem funebrem pro Vsurario habens, dixisse fertur: *Mortuus est hic diues, & sepultus est in Inferno. Ite ad thesaurum eius, & in illius medio*

inuenietis cor eius ; corpore iam humato. Dictum, factum. Itum , & à parentibus & amicis inuentu cor eius, inter nummos adhuc calens & fumans. *Surius tomo 3. in eius vitâ.*

Tranquillam, & vacuam curis Sapientia mentem
Imbuit, & placidi pectoris hospes erit. Iohan. Spanhe. mensis Abbas orat. in Laudibus Ruperti.

Vt Luna, cum adparet plenior , tum est à sole remotior; sic sunt ferè ditiores à Deo remotiores.

* 4. *Spinæ* dolorem creant, tam cum infiguntur, quàm cùm infixæ relinquũtur, & cum extrahũtur: Et diuitiæ magno labore acquiruntur , maiore timore custodiuntur, dolore maximo amittuntur.

D. Greg. homil. 15. in Euang. *Diuitiæ spinæ sunt, quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant: & cum vsque ad peccatum pertrahunt , quasi inflicto vulnere cruentant.*

D. Bern. ser. de persequut. c. 12. *Diuitiarum amor insatiabilis lõgè amplius desiderio torquet animum, quam refrigeret vsu suo: vt potè quarũ adquisitio quidẽ, Laboris, possessio verò, Timoris; amissio, plena Doloris, inuenitur.*

* 5. *Spinæ* sunt , quibus via ad cælum ac Superos sæpitur, ne illò transeamus vel solâ cogitatione.

Diuitias cumulando, quid nisi *sæpis viam tuam spinis?*

* 6. *Spinæ* sunt. Vt enim spinæ, quà quà, & quàm cautissimè eas adtingas, ferè semper te pungunt; sic diuitiæ vix sine offensione vtentis aut abutentis possidentur.

O inopes virtutis Opes. Archit.

Vt Luna Eclipsin non solet pati, nisi cum plena; sic à gratia Dei homo ferè non excidit, nisi rebus ex voto fluentibus.

Ab altitudine diei timebo. Psal.

Prodyt quasi ex adipe iniquitas eorum.

Ve

Vt tempestates magnas ferè præcedit malacia; sic fœdos lapsus opulentia.

Non aliam ob causam, Mundi saluator iniquas
Appellauit opes. Mantuanus.

Mammona iniquitatis. Luc.16.

Vix ex eâdem scutella videas homines probos & diuites, sumere sorbitiunculâ, vt est in prouerb. Meræ agri dominici viciæ, diuitiæ. Ibi filix, vbi fœlix.

De vitijs, quod diuitiæ cumulantur, apertum est,
Nomen idem Vitijs, Diuitijsq; datū. Incert. autor.

Multum est, non corrumpi diuitiarū contubernio. Senec. ep. 20. Plato in hac mente: Fieri non posse, vt quisquam verè sit probus, & valde diues.

Prou. *Omnis diues aut iniquus, aut iniqui hæres.*

Arduares hæc est, opibus non tradere mores,
Et cùm tot Cræsos viceris, esse Numam. Mar. 2. Ep.

Ezech. 28. *In multitudine iniquitatum tuarū, & iniquitate negotiationis tuæ polluisti sanctificationem tuā.*

* vij. *Cœli contemptum*, & profundam Dei obliuionem.

D. Bernard. serm. 1. de Aduentu Domini, in illud: Quando venit plenitudo temporis &c. *Nimirum plenitudo, & abundantia temporalium, obliuionem & inopiam fecerat æternorum.*

Adeò quidam fœlicitate suâ, & rerum copia ebrij sunt, vt si nō Linguâ, animo tamē dicant, se facilè Deo cœlū suum cessuros, dū Deus illis vicissim suas vxores, liberos, & sua semper hic possidenda permittat. R. P. F. Antonius Gueuarra noster in suo monte Caluariæ, parte 2. in explicatione secundi verbi Christi in Cruce, c. 19. interprete Germano quodā. *Verba illa Psalmistæ, Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum, gestabat quidam mundanus exsculpta in metallo. At explicatio horum verborū talis erat. Tu Domine tibi reserua cœlum, mihi verò terram relinque.*

Vt quid respiciat cœlum, vbi nihil habet repositum? D. Chrysost. in Matth.

Vt verò cœlum adeò superbè non contenant, ce tè rarò Dei cœli videtur meminisse, rarò placare &

Quid enim, aut qua de re Deum oret, cui cunc adsunt bona?

Raræ fumant fœlicibus aræ.

Ignotæ fœlicibus aræ.

Non sunt sæpè ex animo dicunt: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè.*

Ferè quisquis è seruo aut liberto Eques ac nobilis creatus est, patrem erubescit, vt est in prou.

Hùc facit, quod quidam lepidè quidem, sed vtilissimè fabulantur, de quodam Propheta, & eius socio concionatore. Missum scilicet aliquandò tyronem à Domino suo in vicinum nescio quem vicũ, vbi fortè tùm solennes epulæ, & dubiæ cœnæ celebrabantur, vel nuptiarum, vel Dedicationis nescio cuius occasinoe, concionis illîc habendæ gratia, iuisse, eaq; peracta, cum conuiuatoribus decenter prandisse. Indè autem reuersum à Magistro suo interrogatum, nùm illîc Deus Pater & Filius eius vtcumq; noti essent, respondisse: *ne quidẽ notos ex nomine: De Christo, & Patre adeò neminem ibi magis loquutum, ac si nec Christus vllus, nec Deus quispiam esset in rerum naturâ, tàm erat scilicet illic beatuli, & genio benè curando occupati.* Itaque post aliquot dies, eodem, eadem fini, eundem tyronem iterùm missum, sed incẽdio tùm latè grassante, & domus penè vniuersas deuorante, omnibus Dei & Christi opem creberrimè altissimeq; inclamantibus; tãdemq; in reditu rursus à Magistro similiter interrogatum, respondisse: *Tùm sane crebram, & honorificam Christi & Patris ab omnibus factam mentionem:* indeq; tyronem certa experientia didicisse, obliterari memoriam Dei, opulentia, penuria refricari.

Cùm

Cùm occideret eos, quærebant eum, & diluculo reuertebantur ad eum. psal. 77.

Et clamauerunt ad Dominum, cum tribularentur. Ilai. 27. *Domine in angustiâ requisierunt te.*

Vt mulsum, & pinguioris illius Cereuisiæ potum vehementer nocere memoriæ vulgò dicunt, & benè ebrios nihil rerum agẽdarum meminisse certum est; sic pinguiorem illam fortunam inducere hominibus Dei sui cœliq; obliuionem, memoriam verò illa destitutis redire, vt siccis iàm, & concocto vino euigilãtibus, vt pauperibus, & manifestè Dei ope quotidiana tùnc egentibus.

Quære opem pauper, quærit auarus opes.

Ergò hîc meritò vsus Petrus particula ista mirantis *Eccè*, cùm se & socios ait omnia reliquisse, vt qui rem tùm rarissimam, valdè admirandam, sibiq; vtilissimã præstiterint, relicto scilicet tot tantorumq; malorum seminario. *Eccè nos reliquimus omnia &c.*

II.

Quantum, quo modo, quâ opinione, & quâ intentione Apostoli reliquerunt.

Reliquimus omnia. At verò videamus, & quantum, & quo modo reliquerunt &c.

Ad illud quantum, respondent vno verbo, OMNIA.

1. *Iàm habita, tàm parta, quàm relicta*
2. *Quæ haberi, aut parari adhùc poterant arte, labore, successione &c.*
3. *Ipsa quoq; parãdarum opum instrumenta, opificia &c. nàues, & retia &c.* relictis retibus, secuti sunt eum, ait Euang.

4. *Fœdera, & fœderatos, parentes, ux-ores, liberos, commerciorum soc. &c.* relictis retibus, & patre quuti sũt eum. D. Petrus reliq vxorem, nomine Perpetuam. *de Martyrolog. Vsuardi 4. Non Euseb. lib. 3. hist. Eccl. c. 24. 30. Ra ni ex lib. 7. Stromatum Clem. Al* Fortè & filiam Petronillam.

3. *Officia, & munia Reip. quibus re augeri potest;*

6. *Vota & desideria,* & hæc maximè. Tostatus q. 187. in cap. 19. Matth. *Potest accipi, quia omnia dereliquerant, id est, concupiscentiam omnium. Nàm licèt pauca possiderent, multa poterãt cõcupiscere, & multa sperare: quia nemo tã infœlix est, qui omnẽ sibi spẽ detrahere debeat, ideò omnia relinquebant, quia omnia poterant concupiscere.*

* 1. *Omnia* omninò, &

Qui nil potest sperare, desperet nihil. Senec. in Med. D. Bernard. serm. in hunc locum, *Omnia reliquerunt. Omnia sanè dixerim, non tantum possessiones, sed etiam cupiditates, & eas maximè Plus enim concupiscentia mundi, quàm substantia nocet, & hæc fugiendarũ causa divitiarum præcipua est, quod aut vix, aut nũquam sine amore valeant possideri.*

7 *Ludicra, & nuces.* Nam *hæc dies aliam vitam adfert, alios mores postulat.* Terẽt. in Andr. Act. 1. Sce. 2.

* 2. Motus

* 2. *Modus* relinquendi etiam certè notâ dignissimus est, multis de causis.

Reliquimus, inquit, non verò, instar quorumdam, vel

1. *Amisimus*;
2. *Vendidimus*;
3. *Decoximus*;
4. *Abiecimus*;
5. *Abiurauimus*;
6. *Deuouimus*;
7. *Dedimus*;
8. *Intermisimus*;
9. *Relicti ab eis sumus*.

*1. *Non amisimus*, vel tempestate naufragium passi, vel prædone spoliante, & omnia auferente, illis exuti, vt quondam viator ille *ab Ierusalem in Iericò*; vel conflagratione, &c. *Luc.* 10.

Voluntaria enim Petri & Apostolorum omniũ inopia fuit; amittentiũ verò his modis planè coacta. Spontanea autem sola aut laudantur, aut vituperantur *Voluntariè sacrificabo tibi*. psal.

Hilarem datorem diligit Deus.

2. Cor. 9. *Vnusquisque prout destinauit in corde suo, nõ ex tristitiâ, aut ex necessitate: Hilarem enim datorem diligit Deus.*

Quàm vitia ad culpam, ad pœnam, tàm virtutes ad meritum & gloriam oportet esse spontaneas.

Notent ij, apud quos *necessitas plus posse, quàm pietas solet*. Senec. in Troade, Act. 3.

Neque tamen ij pessimè, aut omninò inutiliter, quibus fortiter tolerata *calamitas virtutis est occasio*. Senec. de verb. cop. si tamen eius est.

D. Hierony. lib. 2. epp. ep. 21. edit. Canisij ad Furiam Romanam. *Arripe, quæso, occasionẽ, & fac de necessitate virtutem. Non quæruntur in Christianis initia, sed finis. Paulus malè cœpit, sed benè finiuit. Iudæ laudamur exordia, sed finis proditione damnatur.*

D. Hier.

D.Hierony.lib.2.epp.ep.21.edit Canisij ad Furiam Romanam. *Arripe, quæso, occasionem, & fac de necessitate virtutē. Nō quæruntur in Christianis initia, sed fines. Paulus malè cœpit, sed benè finiuit. Iudæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur.*

Zeno Cittiæus in numero fortium & laudatorum, cuius hoc amissis opibus responsum fuit: *Tunc secundis ventis nauigaui, quando naufragium feci.* Diog.Laert.lib.7.c.1.de vitis Philos.

Alij, dùm Athenis diuersaretur, dixisse ferunt, audito naufragio; *Rectè sanè agit fortuna, quæ nos ad Philosophiam impulit.* Ibid.

Illi scilicet *calamitas virtutis occasio* fuit, fecitque ille *de necessitate virtutem*, quæ alijs multis non tam benè animatis, impatientiæ, & totius nequitiæ occasio esse potuisset.

Sceleri procliuis egestas.

Ioh. Cassianus Collat. Abbatis Pafnutij c.5. *Nec enim Abbati Moysi, qui habitauit in loco istius Eremi, cui Calamus nuncupatio est, quidquam defuit ad perfectæ beatitudinis meritum, quòd metu mortis, quæ ei propter homicidij crimen intentabatur, impulsus, ad monasterium decucurrit, quàm ità necessitate conuersionis arripuit, vt eam in voluntatem, promptâ animi virtute conuertens, ad perfectionis fastigia summa peruenerit.*

Arsenium illum Magnum ex aula Imp. in solitudinem se idcircò recepisse ferunt, quod Arcadium Theodosij filium Pædagogus fortè verberasset, fuissetque ab eo ideò gladiolo impetitu, insidiæque deinceps struerentur. *Michael Glycas Annalium parte 4.*

Talibus vsurpare licet illud Themistoclis: *Periera-mus, nisi perijssemus.* Plutarchus in Themistocle.

Cla-

Clauis clauo scilicet tùnc expellitur, & malum alio malo, vt febris ab eo, quem inopinantem quispiam amicorum in frigidam intruserat, aut frigida resperserat: vt podagra ab eo, quem fortuitum domus incendium è lecto extruserat, aut paupertas inusitata inuaserat.

Sic Iason quidam Pheræus, à Pheris Thessalicis scilicet, quas tyrannide obpresserat, ità dictus, cùm deploratus à medicis vomicæ morbo, mortem in acie quæreret, vulnerato fortè ab hoste pectore, salutem inuenit, hostili gladio medelam consequutus, quàm nullę medicorum artes hactenus illi conferre potuerant.

Si non (vt ait quidam) *casus vbique valet*, certè valet in plerisque, tàm moralibus, quam artificialibus.

An non aliquando spongia varijs coloribus adtersis sordidata, per iram in os equi picti iacta à pictore desperante spumam equinam effingere, veram spumæ picturam suo casu dedit?

Malum culpæ, malo pœnæ non rarò, vt clauus clauo, extunditur, imò & præuenitur, ac propellitur.

Fœlix est necessitas, quæ in meliora compellit. D. Aug. ep. 45.

Libertatis tamen longè maius est meritum, & præmium.

Reliquimus ergò *omnia*, ait Petrus id est spõtè deseruimus, spontanei pauperes sumus. Non sunt coacta hæc nostra seruitia.

* ij. *Non vendidimus*, & precium in loculos coegimus, ac reseruauimus, quasi pomum in futurã sitim, Dei prouidentiæ diffidentes, vt ferè Ananias, & Saphira. *Act.*

Non

Non vẽdidimus immobilia & mobilia, quasi emigraturi, ſolum verſuri, & hùc illucque peregrinari, vt ſic nobiſcum omnia portaremus, faciliùs occultaremus, commodiùs in itineribus viueremus, in ſtipendiis nullo egeremus.

Nàm etiam ditiſsimus quiſque ſic venditis & congeſtis omnibus in crumenam dicere poſsit, ſed aliàs longè ſenſu quam Bias, *omnia mea mecum porto.* Cic. in Paradox.

Non mutatione illa dexteræ & aſtutiæ humanæ vſi ſumus, ſed *mutatione dexteræ Excelſi.* Omninò *omnia reliquimus* .animos, non res mutauimus, non domos agroſque in aurum vertimus.

Tam prudentes aut prouidentes neque eſſe, neque videri voluimus. *Reliquimus omnia*, & ipſa, & eorum pretia.

* iij. *Non decoximus*, vt Prodigus ille Euangelicus *viuendo luxuriosè*: Vẽtri, Veneri, Otio, Aleæue indulgendo, aut Alchimiam fallacem exercendo, & inflationibus in carbones, patrimonium exſufflando.

Sæpè enim pecunias, quas multo cum labore quis vnciatim vix comparſerit, iuxta Archilochum, eas vniuerſas ſemel in ſcorti marſupium effundit. AElian. lib. 4. var hiſt. c. 14.

Neque in fraudem vllam creditorum, vt iam ſoluendo impares, ad te venimus, teque ſequuti ſumus, vt militiam plerique; minimè gentium. ſalua nobis erant omnia & integra, ſed *omnia reliquimus.*

Cic. orat. in Catilinam. *Ex ijs copijs, quæ a nobis quotidie comparantur, magnoperè contemno exercitum collectum ex ſenibus deſperatis, ex agreſti luxuriâ, ex ruſticis mendiculis, & decoctoribus, ex ijs qui vadimonia deſerere, quàm illum exercitum maluerint.*

Eiuſmodi enim Chriſtus ſectatores non admiſiſſet, vtpotè ſe, ac collegium omne dehoneſtaturos, & furibus

furibus similes, alienique detentores, ac facientes mala, vt veniant bona.

Pauperes quidem ille, sed minimè pudendos sibi ac suis admittebat, & eos fortè, qui rem fortunæ vitio, non suo, decoxissent.

Interrogandum se aliquandò à Pontifice præscie-bat *de discipulis, & de doctrinâ:* ità se parabat, vt nihil pateret eius calumniæ.

Hinc & nostris, id est, Franciscanorum legibus rectè cautum est, vt cumprimis quæratur ex Ordinis candidatis, an debitis nullis grauentur, non tàm soluendi metu, quum soluendo non simus, quàm alijs nocendi formidine.

Esset enim alioqui non monasterium condere, sed asylum & *spelunca latronum*; & pro amore in Ordinem sanctum, odium publicum creare, contemptum pro reuerentiâ.

Esset hoc planè Catilinarium. *Catilina* enim, fæx, & fax illa Rom. Reipub. *omnium flagitiorum, atque facinorum circum se, tanquàm stipatorum, cateruas habebat. Nam quicumque impudicus, adulter, ganeo, aleâ, manu, ventre, pene bona patria dissipauerat, quique alienum as grande conflauerat, quò flagitium aut facinus redimeret: præterea omnes vndique parricidæ, sacrilegi, conuicti iudicijs, aut pro factis iudicium timētes: ad hoc, quos manus atque lingua periurio aut sanguine ciuili alebat: postremo omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat: Si Catilinæ proximi, familiaresque erant.* Sallust. in coniurat. Catil.

Marius etiàm sic olim, à quo *nulli gestanda dabantur*

Signa Ducis, nisi qui scelerum iàm fecerat vsum,
Adulter atque in castra nefas. Lucan. lib. 2. Pharsal.

Sic Dauid, necessitate tamen & vim Saulis declinans, non peruersitate, talibus quoque aliquando est cir-

circumseptus. *Et conuenerunt ad eum omnes, qui erant in angustiâ constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorum Princeps.* 1. Regg. 22.

Necessitas non habet legem, ait prou.

Iusta ferè sunt, quæ necessaria.

Romani quoque seruitia nonnunquam admisêre apertis ergastulis, sed & decoctores carceribus liberatos.

Ignauis manibus proiectos reddidit enses. Lucan. lib. 9.

At Christo nulla necessitas eiusmodi hominum conscribendorum: sed neque vllis sacris Ordinibus Religiosorum hominum, qui numero candidatorum obruuntur, & delectum facere possunt, ac debent, sed *& probare spiritus, si ex Deo sunt*, anno illo toto, quem vocant Probationis aut tentationis tàm Actiuę, quàm Passiuæ, id est, quo Nouitij tentant, & tentantur.

Alioquî, *qui domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?*

Qui mnas suas non auxit, sed decoxit, quomodo super decem ciuitates constituatur?

Pessimè ergo quisquis hic ità dicit, & facit: *Tros, Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.* Virg. 1. AEneid.

Possit tamen tanta esse decoctoris, & cuiuscumque scelerosi pœnitudo, dùm deditionem sui Christo & monasterio facit, vt admitti non sit nefas.

Moyses Abbas, ante monasticen fuerat homicida. *Io. Cass. collat. 3.* *Abbatis Pafnutij c. 5.* imò & latro, & cædibus infamis. *Pallad. Lau. hist. 23.*

D. Paulus *manè lupus rapax.*

Iudas ipse ante Apostolatũ, quam fuerat nefarius!

Vide

Vide noſtrum Codrum Euangelicum.

Dom. ferè dixi D. Hieronymus Lietart quondàm Abbas Ghislenopolitanus, vir doctrinâ, & probitate clarisſimus, Pater ac Mœcenas meus, blandisſimè aiebat cuidam regredi cupienti, vndè fuerat egreſſus; *Porta patet pœnitentibus.*

S. Bernardus Abbas Claræu. *cùm caſu tranſiret, vbi homo reus erat ſuſpendendus, & peteret eum ſibi dari, Iudexque diceret: Domine, fur eſt, & ſuſpendio dignus: reſpondit; Da mihi eum, & ego ſuſpendam illum, Ordinis dictrictionem ſuſpendium appellans. Hoc indultum eſt Ordini à ſede Apoſtolicâ, vt eius obſeruatio, pro qualibet ſatisfactione peccatoribus ſufficiat.* Cæſarius lib. 4. miraculorum cap. 1.

Valdè ſceleroſos admittere Religio poteſt, tàm Chriſti, quàm cuiuſuis ſub Chriſto Sancti, ſeu Benedicti, ſeu Franciſci, ſed ſcelera magna ibi admitti fere non poteſt. Euomit tales, vt mare cadauera. *Vide Gueuarram noſtrum in Oratorio Religioſorum.*

Religionum ſtatum, vocant Perfectionis, non quæ iàm adſit ingredientibus, ſed cui omnem operam nauare debeant ingreſsi. Scholæ adeuntur non à doctis, ſed ab idiotis, tamen ſcientiæ amatoribus.

Ergò etiàm *patet* (vt meus Mœcenas aiebat) *porta pœnitentibus.*

Cœterùm erant Apoſtoli, ſequaces Chriſti, non vt decoctores, ſed vt magnanimes mundi contemptores. *Reliquimus omnia*, non decoximus.

*iiij. *Non abiecimus*, quaſi naturâ malas, & per indignationem, nec ſparſimus in mare, aut ignibus dedimus, vt perirent, vt nulli prodeſſent, ſed vti erant, & vbi erant, & quorum vel nobiſcum, vel poſt nos iure erant, reliquimus, vxoribus, liberis, hæredibus, vel primò occupaturis; alicui certè eas à no-

bis relictas prodesse voluimus, saltem vt simum sterquilinium, aut contemptim proiecta in sterquilinium, quæ quamlibet vni contemptibilia, in molesta, alteri tamen vsui esse possunt.

Lactantius libro tertio diu. instit. cap. 22. *Philos... minores nunquàm sibi tàm sapientes videri solent, qu... cùm pecuniæ contemptu gloriantur. Fortis animus... expecto, quid faciant; & quò ille contemptus ea... dat. Tradita sibi à parentibus patrimonia, tanqua... malum fugiunt, ac deserunt. Et ne in tempestate naufr... gium faciant, in tranquillo se vltro præcipitant; n... virtute, sed peruerso motu fortes, sicut illi, q... cum timent ne ab hoste iugulentur, ipsi se iugulant... vt mortem morte deuitent. Sic isti vnde putant gloriam liberalitatis acquirere, sine honore, suæ gratia perdunt.*

Laudatur Democritus, quòd agros suos reliquerit; eosque pascua publica fieri passus sit. Probarem si donasset. Nihil autem sapienter fit, quod si ab omnibus fiat, inutile est ac malum. Sed hæc negligentia tolerabilis. Quid ille, qui patrimonium in nummos redactum effudit in mare? Ego dubito vtrumne sanus, an demens fuerit. Abite, inquit, in profundum malæ cupiditates; ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis. Sic tantus pecuniæ contemptus est, fac illam beneficium... fac humanitatem; largire pauperibus. potest hoc, qu... perditurus es, multis succurrere, ne fame, aut siti, aut nuditate moriantur. Imitare insaniam saltem, furoremque Tuditani; sparge populo diripienda. Potes pecuniam effugere, & tamen benè collocare; quia saluum est quicquid pluribus profuit.

Reliquimus, non eas, aut earum diuenditarum collectum pretium in mare proiecimus, vt quondam Sylla reliquias epuli quod populo dederat,

in aquam proiecit perituras ; vel vt Crates ille Thebanus , qui in mare non paruum pondus auri proiecturus : *Abite*, inquit, *peſſum malæ cupiditates*, id eſt, opes malarum cupiditatum nùnc matres, nùnc filiæ : *Ego vos mergam , ne ipſe mergar à vobis* , cum ſcilicet Athenas pergeret ad philoſophandum. *D. Hieron. adu. Iouinianum libro ſecundo epiſt. ad Iulianum, quæ incipit ; Filius meus. & ad Paulinum , quæ incipit ; Bonus homo.*

Vel (vt alijs placet) conſcenſo neſcio quo editiore loco, proclamauit. *Crates Cratetem libertate donat.* D. Greg. Naz.

Lactant. libro primo Inſtit. præfat. *Abieciſſe quoſdam res ſuas familiares , & renuntiâſſe vniuerſis voluptatibus conſtat, vt ſolam nudamque virtutem nudi expeditique ſequerentur.*

Sed neque ignibus dedimus , vt impedimenta ſolet miles, caſtra repentè deſerturus , aut etiam villas, fugiens hoſtem inſequentem , vt quondam Numantini ſe, patriam, arma etiam ſua. *Florus libro ſecundo cap.* 18.

Vt illa meretrix , quæ conuerſa ad Deum, conſtructa pyrâ, mundum omnem muliebrem , & quæ parta erant libidine, in ignem coniecit, Thais , opinor. *Vitæ PP.*

Vt quoſdam ſuos libros Ouidius.

Vt veteres, in quodam genere ſacrificij, quod Proteruia vocabatur , In eo enim mos erat, vt ſi quid ex epulis ſuperfuiſſet, igne conſumeretur. Hinc Catonis iocus, quo Albidium quemdam, qui ſua bona comediſſet: & nouiſsimè domum, quæ ei reliqua erat, incendio perdidiſſet; *Proteruiam feciſſe* dicebat: quod comeſſe non potuerit, id combuſsiſſe. *Macrob. lib. 2. Saturn. c. 2.*

Sic lege Moysi cautum erat, agni Paschalis nequias igne comburi, sed ea sensum habebant alium de quo alias.

Hinc Theognis non opes, sed ipsam paupertatem iubet εἰς μεγαλήτεα πόντον ἐρίπτειν, id est, in immensum mare proijcere; Philosophorum seueritatem instar, nomine paupertatis intelligens auaritiam ipsam, & auiditatem habendi immensam, (ita illud: *Quis pauper? auarus:*) & amorem opum iàm habitarum nimium atque excellentem, quæ omnia potiùs mergenda, & abijcienda, quàm res ipsæ. *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Psal.

Non rerum cumulus, sed sufficientia mentis
Dit at: sufficiant paucula, diues eris. Quidam Vindocinensis.

Sed neque abiecimus, vt quidam parentes liberos suos sibi aut suis formidabiles, tandem vel perituros, vel à quouis tollendos & adoptandos, vt Priamus Paridem, Laius Oedipodem &c. non sic, sed *reliquimus*, aliquorumque esse voluimus, vel vxorum, vel liberorum, vel parentum, &c.

Vt quid perditio hæc, & iactura, non vrgente naufragio & tempestate?

Democritum non laudat Lactantius, quòd agros suos reliquerit, eosque pascua publica fieri, passus sua negligentia. *Lactant. lib. 3. diu. instit. c. 22. sup.*

* v. *Non abiurauimus*, conceptis scilicet tunc incertis verbis, vt capitale esset, id est, vt peccato lætifero obstringeremur, si quidquam eorum pro temporis necessitate in posterum adtingeremus, quæ antè sine peccato adtingi potuerunt.

Intendimus tantùm ad ea non reuerti, cum aliquo obsequii tui detrimento.

Nam & Petrus, & alij, etiàm post Christi passionem

nem, piſcati ſunt, ſicque victum nullo peccato quæſierunt.

Quin & matrem Chriſti ſibi commendatam *accepit diſcipulus* Iohannes *in ſua*, & (vt vertit Arias Montanus) *in propria*, vbi Græcè eſt εἰς τὰ ἴδια. *Ioan.19.*

* *Niſi intelligas*, Mariam à Ioanne acceptam in ſua ipſius, & propria Mariæ, illi deinceps cohabitante, reſque eius inſtar boni filii ac valetudinem Mariæ diligenter curante.

** *Aut dicas*, Iohannem diuinitus verboque Chriſti accepta diſpenſatione, (vt loquuntur) redire tùnc adolim propria potuiſſe, aut noua propria quærere, vt matris inopis ſibi tùm decretæ paupertati ſubcurreret.

Nàm quidam eam ponunt iuſtam cauſam Religionis deſerendæ, id eſt, emigrandi, adhibito tamen certo moderamine, inopiam tantam parentum, vt à liberis ſubueniri ipſis oporteat.

*** *Aut dicas*, Iohannem tùnc accepiſſe Mariam in ſua, id eſt, inter ſua cæpiſſe numerare, inter diuinitùs ſibi collata beneficia, ac fauores. Et ô verè ingens beneficium, cuiquam Beatam Mariam matrem diuino dono decretam eſſe: Quis mihi det, te mihi matrem eſſe ô Virgo, meque tibi filium deuotiſsimum:

O Maria, mater gratiæ,
Mater miſericordiæ,
Tu nos ab hoſte protege,
Et hora mortis ſuſcipe.

Sed & Cleophas cum ſocio habuerunt vndè in Emmaunte, cœnam ipſi ſuam, & prætereà CHRISTI à ſe inuitati, cauponi ſoluerent, ſi tamen domi ſuæ tùm non erant, quod magis arbitror.

Vide Concionem noſtram in Euang. Feria 2. poſt Pa-cha.

His qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ, ait Paulus.

Licita ſcilicet illi adtingebant.

Matthæus autem ad telonium non redijt, qu vel omninò ſine peccato, vel certè ægerrimè, id minus exerceri non poſſet.

D. Gregorius. Homil. 24. in Euang. *Sunt plerique negotia, quæ ſine peccatis exhiberi aut vix, aut nullatenus poſſunt. Quæ ergò ad peccatum implicant, ad hæc neceſſe eſt, vt poſt conuerſionem animus non recurrat.*

Et, Magiſtro ſuo adhuc ſuperſtite, cibos nonnunquam emerunt. *Ioan. 4.*

Cauendum enim Studioſiſsimè ab illis Ioannis VVicleffi articulis, quos recenſet noſter Caſtrius lib. 6. adu. Hæreſes, tit. Eccleſia, Hæreſi 4. in fine.

Quædam ad tempuſculum Apoſtolis præcepta, & ab eis tantiſper ſeruata ſunt, poſteà non item.

* vj. *Non deuouimus*, aut diras in noſtra euomuimus, quaſi perniciosa naturâ, aut à malo Deo, qui non eſt, creata, errore quorundam Hæreticorum, ſed *reliquimus*, vt oneri futura, vt impedimenta lucri melioris, & ſtabilioris patrimonij.

Reliquimus, onerandi pretioſioribus, non imprecationibus & anathemate in ea egimus, vt ibi *pecunia ſit in perditionem*: vt & fortè Iudas, *cum proiecit in templo* 30. illos argenteos, quibus tàm bonum Dominum ſeruus perfidus infæliciſsimè vendiderat.

Non cum Cratete diximus, *Abite peſſumæ malæ cupiditates*, id eſt, diuitiæ quæ cupiditate colliguntur, & cupiditatibus miniſtrant alimenta.

Re-

Reliquimus, non maledíximus. Nàm *quid meruistis opes?*

Peccata quæ opulenti perpetrant, non opum vitio, sed ipsorum, sed humanæ infirmitati, aut prauitati sunt adscribenda, vt nec dolor oculorum, qui à fulgore solis est, soli ipsi, sed ipsorum teneritudini, sed lippitudini, aut cuius ægritudini solet adscribi.

Non in rebus vitia, sed in hominibus.

Non res in vitium, sed malefacta cadunt. Incert. Autor.

Diuitis sit, cum peccauit, de se ac thesauro suo dicere: *mea fraus omnis: nihil iste nec ausus, Nec potuit.* Virgil. 9. AEneid.

Si enim essent opes natura sua malæ, & corrumpere natæ; necessariò essent omnes omninò diuites vitiosi.

Sed hoc falsum est, vt in Abrahamo, Iobo. &c. Ergò.

Deinde; si malæ essent, non eas aliquandò amicis suis promitteret, ac permitteret bonus Deus, vel vt aliquod virtutis & piæ operæ pretium, vel vt pretii totius arrhabonem.

Psal. *Beatus vir qui timet Dominum &c. Gloria, & diuitiæ in domo eius.*

Denique non dicitur; *Diuitiæ si adfluant*, nolite admittere, sed *nolite cor adponere*, hoc tantùm. *psal.*

* vij. *Non dedimus*, aut elargiti sumus, neque exteris pauperibus, neque Pharisæorum, aut Sadducæorum, Synagogis &c. etsi Christus suadeat in pauperes erogari, nec improbare meritò quisquã possit, in Religiosas domos aliqua distribui &c. non (inquit Petrus) sic dedimus, sed *reliquimus* iustis hæredibus (etsi aliter potuimus, vtpotè liberi, & iuris nostri, & pleriq; ferè omnes sine liberis) vt scilicet posteris

adpareret, non semper necessariò foras erogari oportere, imò verò contrà aliquandò inordinatè, suis impiâ laborantibus, neglectis, dispensari exteris improbis, facultates suas.

Est charitas virtus ordinatissima, incipiens à ipso, à suis & c.ità, cæteris paribus.

1. Timoth. 5. *Si quis suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.*

Maximè ad domesticos fidei, inquit Paulus.

D. August. ep. 38. ad Lætum. *Si quid sanè pecuniares tua familiaris habet, cuius te implicari negotio nec oportet, nec decet, reuerâ tribuendum est matri, & domesticis tuis. Horum quippè indigentia, si pauperibus, vt sis perfectus, instituisti distribuere talia, tui primum apud te locum obtinere debēt. Si quis enim suis, & maximè domesticis, ait Apostolus, non prouidet, fidem negauit, & est infideli deterior.*

Idem multas hæreditates sibi dimissas respuit, eò quòd mortuorum filiis, vel propinquis, potius ipsas deberi dicebat. *Possid. c. 24. vitæ eius.*

Est enim vera charitas ordinata.

Ordinauit in me charitatem. Cant.

At quis ille ordo, exteros pauperes pauperibus domesticis præferentis?

Cùr hæreditate cedant aut cadant, qui nullo peccato suo abdicari meruerunt?

Cùr cogatur filius non degener, tandem pauper esse, cuius patrem Deus ipse libertati suæ reliquerit, & vel diues maneret natus diuitibus, vel pauper fieret, liberâ rerum suarum renuntiatione?

Cùr *regionem vestram coram vobis*, etiàm immeritis & egentibus, *alieni deuorent*? Isai.

Cùr

Cùr exteris sit *remissio*, domesticis autem *tribulatio*? 2. Cor. 8.

Cùr *mercenarij abundent panibus, ego autem*, neque prodigus, neq; vmquàm patri molestus, *fame peream*? Luc. 15.

Non est bonum accipere panem filiorum, & mittere canibus.

Omnia honestè, & secundum ordinem fiant. 1. Cor. 14.

Honora Dominum, sed *de tua substantia*, de tua, non de tota illa, quam natura, & mos pius filiis non degeneribus adscripsit.

Eccli. 34. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium, in conspectu patris sui.*

Iustè, quod iustum est, exequeris.

Noli esse iustus nimis.

Summum ius, summa iniuria. Cic. lib. Off.

Inofficiosa, & contra paternam pietatem pietas, apud totius pietatis patrem summa impietas est. Pietas impia.

Apage illud veterum Pharisæorum commentum: *Munus quodcumque est ex me, tibi proderit &c.* Matth. 15.

Prouidentissimam Dei legem (de parentibus adiuuandis scilicet) *volentes Scribæ & Pharisæi subuertere, vt impietatem sub nomine pietatis inducerent, docuerunt pessimos filios, vt si quis ea, quæ parentibus offerenda sunt, Deo vouere voluerit, qui verus est pater; oblatio Dei præponatur parentum muneribus: vel certè ipsi parentes, quæ Deo consecrata cernebant, ne sacrilegij crimen incurrerent, declinantes, egestate conficiebantur. Atque ità fiebat, vt oblatio liberorum, sub occasione templi & Dei, in Sacerdotum lucra cederet.* D. Hierony. lib. 2. in Matth.

Ne Domitianus quidem ipse, relictas sibi hæreditates ab his, quibus liberi erāt, fiscales recepit. *Sueton. in vitis* 12. *Cæsar.*

Non cogantur ad necessariam paupertatem immerentes, à patre carnis suæ, ad quam neà Deo quidem ipse coactus est.

* viij. *Non intermisimus* ad tempusculum, quin mòx vt collibuerit, ad ea, vt canis ad vomitum, redituri, aut sarcinam tantisper depositam, flumine transuadato, recepturi, nullâ vrgente necessitate, nullâ nostrorum caritate, sed leuitate.

(Inuenitur enim sæpè, qui *quod petijt, spernit; repetit, quod nuper omisit.* Horat.)

Non enim hoc propriè relinquere est, *sed intermittere.*

At Apostoli propriè omnia reliquerunt. *Reliquimus omnia.*

Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.

Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.

Virtus boni operis, perseuerātia est. D. Greg. hom. in Euang.

Iusta, sed in solo fine corona datur.

Faustus Andrel.

Possit tamen charitas vel Patriæ, vel Parentelæ aliud aliquandò extorquere.

Sic quondàm in Mantsfeldiorum familia (quæ etiàm Imperatores dedit) aliquis extitisse fertur, qui iàm monachus factus, ad nuptias aut transierit, aut redierit, donec prolem legitimam suscepisset, quod vel mascula, vel tota eius familiæ proles ad vnum illum esset redacta. Id didici Luxemburgi, ex ipso Comite Mantsfeldio Petro Ernesto, sene illo centenario, cum mihi miranti imaginem monachi tonsurati, cucullati, & simùl torquati in tabella vni recenti

recenti, alterâ vetusta, specie amatoris, & adulantis mulieri sponsaliter comptæ, depicti, significatum seriò explicaret. Quin etiàm tùnc spectandum dedit antiquum volumen impressum, in quo eadem effigies impressa viseretur, & Germanicè (si benè recordor) explicaretur. Ità tùm ei charus eram, sacrarum scilicet eius Confessionum auditor.

Sic nuper Capucinus ille nobilissimus Gallus, Gaudiosæ Dux (seu Ioyeusius) iàm D. Francisci regulam (aliquod annos, opinor) professus, Capucinum exuit, arma induit, suppetias laturus periclitantibus Catholicis aduersus hæreticos regnum ac summum in Gallia imperium adfectantes, Pontifice Max. probante, idemque tandem in monasterium regressus, vel bello isto confecto, vel pacibus ritè perfectis.

Chronica Gallica Ord. Minorum.

In Turcarum quoque Annalibus aliquid simile reperias, de summo aliquo Imp. eoque ex gente Ottomannidarum (Amurate scilicet.) Is enim senescens regni curas abiecerat studio pietatis, imò superstitionis maioris, substituto sibi filio Mahumete; sed eodem filio rebus, & bellis gliscentibus impari, relictâ solitudine resumpsit imperium. *Pius II. hist. de Europâ, cap. 6.*

Publica scilicet salus, ac necessitas, inuictissima regula est.

Omnia ad ædificationem, & *ad maiorem Dei gloriam*, sub Pontificum Summorum beneplacito, ac moderamine.

Sed & communis opinio est, licere Monacho, etiàm professo, redire ad sæculum, & tractare sæcularia, quæstumque facere, si aliter parentes, eius ope destituti, vitam sustentare non possint.

Lex

Lex enim Naturæ tam ſacroſancta, vt nec eidem conſilia Euangelica derogent.

Parentibus nos primum Natura conciliat, quos nolere nefarium eſt. Cicero. de reſponſis Aruſpicum.

Quemadmodum ſuperius aiebam, patrem, non rectè, ſtudio Euangelicæ paupertatis, ſua in exteros pauperes diſtribuere, neglectis ſuis ipſius liberis innocentibus, ac nullam meritis abdicationem; ſic & multò minus, licet liberis, ſic ad perfectionem animi adpellere, vt iuſtæ parentum neceſsitates, & officia iuſta in parentes miſeros negligantur.

Hic *ſummum ius, ſumma* ſit *iniuria.* Cicero lib. Off.

D. Iohannes Euang. videri poſsit præiſſe exemplo, qui nouam matrem ſibi à Chriſto decretam Mariam ſemper virginem tùnc diu viduam, orbam tali filio, ſeneſcentem, omnibus deinceps à filij crucifixione ludibrio futuram &c. *recepit in ſua*, vel ea quæ olim fuerant eius, vel quæ deindè nouo labore & quæſtu ſua erat facturus.

* IX. *Non relicti* ipſi ſumus ab eis, vt qui moriuntur, qui etſi relinquere ſua ſuis, aut primò occupaturis dicuntur; non tamen tam illa relinquunt, quàm ipſi ab illis relinquuntur. Seruarent enim adhuc illa, ſi per mortem poſſent, & hinc ſecum efferrent.

Relinquere hæc magis expedit, quàm relinqui. D. Bernard. de colloquio Simonis & Ieſu.

Morientes, omnibus, quæ ſua vocabant, exuuntur, nudique, quales huc venerant, hinc abire coguntur.

Nihil omninò morientem antegreditur, ſequitur, aut comitatur: præter virtutes, & benefacta, ſi bo-

si bonus fuit, præter peccata & supplicia, si improbus.

Sola defunctorum comes misericordia.

Opera enim illorum sequuntur illos. Apoc.

Qui opera misericordiæ exercendo, sua *dispersit, dedit pauperibus*; non tàm reliquit ille opes suas, quàm sibi in posterum profuturas in cœlum præmisit, neq; ille ab suis opibus relictus est, aut desertus, sed ab ipsis vtiliter est præuentus.

Nàm *facultates Ecclesiæ, quas requiris, in cœlestes thesauros manus pauperum deportauerunt*, aiebat olim cordatus ille Hispanus sanctus Laurentius, Lauro, imò toto Laurente agro, dignissimus, Decio Tyranno iàm iàm igne torrendus anno salutis 151. *Breu.Rom.*10. *Aug.*

Tantò integrius erant salua, quantò sanctius, probabantur expensa. D. Leo serm.in Natiu.Sancti Laurentij.

Terrena omnia, quæ seruando amittimus, largiendo seruamus. D.Geg.in homil.

Si amas perdes: noli amare, ne perdas, tam substantiam, quam vitam. *D. Aug.*

Non relicti ergò ab opibus sumus, vt moribundi, sed ipsi *reliquimus omnia*, ait Petrus.

Relinqui enim hæredibus dicuntur, quæ ad eos parentis propinquiue morte deuoluuntur, vndè illud Martialis: *Res non parta labore, sed relicta.*

Quod genus opes reliquijs quibuslibet sanctissimis plerique multi habent chariores ac venerabiliores; eisque ægrius carerent, quàm parentibus: etsi (censurâ Socratis) *vt sudor prouocatus exercitijs, decentior est; sic etiam diuitiæ proprijs laboribus adquisitæ.*

Sed *reliquimus omnia*, viui adhuc, & sani, inquit; Nàm *relictis omnibus*, deindè *sequuti sumus te.*

Reli-

Reliquimus ergò, id est, negleximus, ad rem tenti esse desijmus, omnem rei familiaris custo endæ, augendęque curam liberè omisimus, quo su dicitur aliquis amicum relinquere, aut desere id est, negligere. *Cui nos desolatos relinquis?* aiebat B. Martino sui discipuli.

Cic. lib. 1. epp. Famil. ep. 9. *Vt iàm sit in ijs culpa qui me non defenderunt: non minor est in ijs, qui reliquerunt.*

Reliquimus omnia, id est, commodis nostris omnibus neglectis, emolumentis, & præmijs prętermissis, curâ, cogitatione, & vigilijs omnibus, res tuas, & Patris tui cultum dumtaxat, promouere studuimus.

Omnia, non solùm *quod nimium* videri potuit, *reliquimus*, sed etiàm *quod ferre poteramus* commodissimè; contrà quàm famulum pecunia in itinere grauatum facere admonebat Aristippus.

* *Omnia* omninò, quæ suprà dixi, necnon ipsa { 1. *Desideria habendi;* 2. *Iura successionum;* 3. *Ludicra, nuces, & nugas.*

* 1. *Desideria* habendi, spes, &c.

Multùm Petrus, & Andreas dimisit, quandò vterque desideria habendi reliquit. D. Gregor. homil. 5. in Euang.

Reuerâ omnia contemnit, qui non solùm quantùm potuit, sed etiam quantum voluit, habere contemnit. Sed in eo quod cupiebatur, oculi Dei testes sunt; in eo quod habebatur, & hominum. Nescio quo autem modo cùm superflua & terrena diliguntur, arctius adepta, quam concupita constringunt..... Aliud est enim, nolle incorporare quæ desunt, aliud iàm incorporata diuellere. Illa velut cibi, repudiantur; illa, velut membra, præciduntur. D. Aug. ep. 34. ad Paulinum.

D. Ber-

D.Bernard.hîc. *Omnia sanè dixerim, non tantum possessiones, sed etiàm cupiditates, & eas maximè. Plus enim concupiscentia mundi; quàm substantia nocet: & hæc fugiendarum causa diuitiarum præcipua est, quod aut vix, aut nunquàm sine amore valeant possideri.*

D.Gregor.homil.5.in Euang. *Affectum debemus potius pensare,quàm censum.*

Propterea non simpliciter dictum *Beati pauperes*, sed cum additamento isto *spiritu*, id est,non tantùm qui *nihil* habent,sed etiàm qui nihil cupiunt, & hi maximè.

Multos enim profectò inuenias, qui nec Regno, nec Imperio,imò verò ne Papatui ipsi quoque renũtiare velint,etsi apertè nec sperent similia, nec aspirent.

Regna deuorant atque Imperia spebus obscuris scilicet.

Sperare qui nihil potest, desperet nihil. Seneca. Trag.

Memorabile est, quod de Mauritio quodam Parisiensi olim Episcopo ab autore optimæ fidei narratur;illum videlicet adhùc satis puerulum ostiatim mendicantem, sed litteris humanioribus iàm abundè excultum, & ideò iàm tùm magna cogitantem, cùm quidam facetuli homines eleemosynam illi negarent, nisi Episcopatui Parisiensi renuntiaret, nunquàm ea conditione accipere voluisse, ac tandem Episcopatu illo eodem potitum esse. *Gulielm. Tyrius lib.23.de bello sacro c.3.*

Diuus Gregorius homil.5. in Euangelia. *Certè nos & habita cum amore possidemus, & ea quæ minimè habemus, ex desiderio quærimus.* Superi faciant, vt magnàm etiam malis artibus, seruì-

seruitute, adulatione, lenocinijs. &c.

Inuenias enim & viros, quos opum studio pudeat vilissimo cuique, sed locupleti & numm ancillari.

* ij *Iura successionum*, quæ nonnullos è puluere carcere euehunt ad regnum, quarum & occasione deas plerosque Vestalia omnia & Sacerdotia sua relinquere.

Valentinianus Imperator adhùc scutariorum Tribunus, mandato Iuliani Imp. cognito, vt sc. aut Tribunarum amitteret, aut à fide Christianâ deficeret; non solùm honorem, quem gerebat, reliquit, verum etiàm pecunias, stipendii nomine sibi debitas remisit; & vt tantò meliùs Christianæ Religioni vacaret, vrbe relicta in cœnobium se contulit exulatum, duosque ibi annos & dimidium inclusus, præclarum animi pii specimen dedit. Nihilominùs idem Iuliano *interfecto, ac mòx Iouiniano mortuo, qui pro Christi nomine amiserat Tribunatum, retribuente Christo, in locum persequutoris sui, accepit Imperium*, ait Orosius lib. 7. cap. 32. Vide & Gueuarram nostrum lib. 1. Horologii Principum cap. 25.

Non erant deinceps Apostoli vllas adituri successiones.

* iij. *Ludicra*, nuces, & nugas (vt est in prouerbio.)

Dùm tempus ad eam rem tulit, sui vt animum expleret suum:

Nùnc hæc dies aliam vitam adfert, alios mores postulat. Terent. in Andr. Act. 1. scen. 2.

Nucibus facimus quæcumque relictis,
Quum sapimus patruos. Pers. sat. 1.

Quum essem paruulus, loquebar & sapiebam vt paruulus: quum autem factus sum vir, euacuaui quæ erãt paruuli. 2. Cor. 13.

Versa

Versa est in luctum cithara mea.
Risum reputaui errorem.

In Deo vno ac solo mens deinceps defigenda, tòtaque voluptas constituenda. *Deus meus, & omnia,* aiebat D. Franciscus.

Ferunt Eremitam quendam, virum magnæ probitatis, qui etiàm omnia propter Deum, vnâ fele exceptâ, reliquerat, quam crebrò cum blanditijs etiam gremio fouebat, aliquandò Deum orâsse, sibi vt ostendere dignaretur, *Eccum quo esset sibi speranda mansio in cælo?* ac noctu reuelante Deo didicisse, fore cum Gregorio Rom. Pontifice. Illo autem vehemèter ingemiscente, quasi parùm illi spontanea paupertas profuisset, quòd pariter cum eo, qui tantis mundi diuitijs abundaret, donaretur: alia nocte audisse dominum sibi dicentem: *Cùm diuitem non possessio diuitiarum faciat, sed cupido; cur audes paupertatem tuam diuitijs Gregorij comparare, qui magis felem quotidiè palpando diligere comprobaris, quàm ille diuitias, quas non amando, sed consumendo, cunctis largiendo, dispergit?* Ex aurea Legenda titul. de S. Gregorio, & lib. 2. capit. 80. Vitæ ipsius S. Greg. per Ioannem Diaconum, apud Surium.

Nota verò, ibi *crebram palpationem, & quotidianam* damnari, non raram, & per interualla. Nàm non sic ludicra & nuces Apostoli & Monachi relinquunt, vt non aliquandò liceat ipsis animos relaxare ludis honestis, aut iocis.

D. Antonius ille Magnus id satis ostendit, similitudine arcûs non ferentis irremissam intentionem.

Interpone tuis interdum gaudia curis,
aiebat ille.

Vide nostram naufragij tabulam primam, conc. in Do-

minicam XVI. post Pentecosten, parte 1. *de institu. Sabbati causis, pag.*350.

* 3. *Quâ opinione* autem, aut quo de diuitijs iu cio? An quiâ reuera malæ, aut saltem illorum fo so?

Minimè gentium. Nàm nec re verâ malæ sunt d nitiæ, quia entia sunt, & res aliquæ.

Bonitate enim *entis* (vt schola loquitur) *bona sunt*, vti & dæmones ipsi. Vide Aug. tomo 5. de Ciuit. Dei lib. 19. c. 13. vbi ait: *Diaboli natura, inquantum natura, mala non est.*

Cauenda enim hæresis Manichæi pestilentissima dicentis, *Creaturas esse malas ex se, & generatione suâ, quiâ* (inquit) *à malo Deo creatæ sunt, cui sententiæ postea subscripsit Priscillianus.* Castrius noster lib. 4. aduers. hæreses, titul. Creatura, hæresi 2.

Nec aurum, nec argentum, nec quidquid in mar. supium & ærarium infertur, malum est.

Nàm Genes. 1. dicitur: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.*

Omnis creatura Dei bona est. 1. Tim. 4.

Diligis Domine omnia, & nihil odisti eorum, quæ fecisti. Sap. 2.

Quiâ sunt, & ab optimo Deo sunt, bona sunt.

Fontium naturam riuuli consequuntur.

Non potest arbor bona fructus malos facere. Matthæi 7.

Auis bonæ bonum ouum.

D. Ambros. lib. 8. in Lucam. *Diuites discant, non in facultatibus crimen haberi.*

Non tamen opes bonæ, quasi bonitatis moris effectiuæ, id est, non sunt tales, vt possessores bonos natura suâ faciant, non: alioquî diuites omnes boni essent, & probi.

Possetne

Posſetne enim *quiſquam in abundantiâ bonorum ipſe eſſe non bonus?* Cic. paradoxo 1.

Malæ tamen & improbæ, improbitate moris adpellantur, per accidens, ab ipſorum poſſeſſorum abûſu.

Non in rebus vitium, ſed in animo ipſo eſt, ait quidam ſapientiſsimè.

Diuus Ambroſius vbi ſuprà in Luc. *Diuites diſcant, non in facultatibus crimen haberi, ſed in his qui vti neſciunt. Nam diuitiæ vt impedimenta ſunt improbis, ità bonis ſunt adumenta virtutis.*

Ioan. Caſsian. Collat. 3. Abbatis Pafnutii cap. 9. *Sunt quoque mediæ diuitiæ, id eſt, quæ poſſunt vel bonæ eſſe, vel malæ. Ad vtramque enim partem, pro arbitrio & qualitate vtentium, transferuntur.*

Diuus Bernardus lib. ... de conſiderat. *Aurum & argentum, & cætera huiuſmodi, quantum ad animi bonum ſpectat, nec bona ſunt, nec mala: vſus tamen horum bonus, abuſio mala.*

Terent. in Heaut. Act. 1. Scen. 2. ex Platone multis locis .... *Diuitiæ* ...

....*perindè ſunt, vt illius animus, qui ea poſsidet.*

Qui vti ſcit, ei bona; illi, qui non vtitur rectè, mala.

Plato de Diu *Opes honeſtis viris ac bonis bonæ ſunt, improbis vero malæ.*

Pecunia, ſi vti ſcias, ancilla eſt; ſi neſcias, Domina eſt. Senec.

Lydio lapidi & qualitatis auri iudici, diuitias meritò comparaueris. N. Comes lib. 7. Mythol. cap. 7. *Præclare dictum eſt à Sapientibus, diuitias tanquàm lapidem iudicem animi cuiuſque eſſe datas hominibus, quæ viris bonis & prudentibus facultates*

essent, & quasi oportunitates ad res præclarè gere... ad Patriæ, ad sui ipsorum, ad amicorum, ad bonorum... moda concessæ: at imprudentibus & malis quasi sup... cium, cum augeant desiderium ipsum accumula... quare vel ex ipsarum diuitiarum vsu, quanto... quisque sit vir bonus, & Dei amicus, posset digno... cere.

Bion optimè, quum diuitias dicebat esse *nervu... actionum, quòd sine his nihil ageretur.*

Ergò nimis angustè, qui dixit *Neruum belli* dum... taxat *pecuniam.*

Validæ sunt in omnem partem; Probis Improbis... que. Probis enim sunt virtutum adiumenta & minis... steria; Improbis etiam malorum irritamenta.

Improbis sunt, quod gladij in manibus furiosorum, vel ardentes faces seu piceæ, seu stramineæ in manibus amentium, in casis & inter stipulas arentes versantium: sunt probis, quòd scalæ ascensuris, quod machinæ illæ Dædaleæ aut Archimedeæ volentibus ingentia pondera attollere; quod alæ ipsæ volucribus; quod vela, remi, ventiq; fauentes nauigantibus.

Sicut ericius nullâ sui parte tutò tractari potest, aut quatridens clauus calcari; ità nec ab improbis diuitiæ.

Non scorpius morsu, non visu basiliscus illis nocentior. *Vide nostram Acad. Peccatorum tom. 1. edit. Gall. Paris. serm. 9. pag. 397. & seqq. editionis verò Latinæ Colonien. pag. 255.*

Non ergò relinquendæ diuitiæ, neq; ab Apostolis sunt relictæ, opinione malitiæ, quæ ipsis insit, vti nec viris vxores, nec mariti fœminis contemnendi, id est, coniugia non spernenda, vt res malæ: aut quia dos *est vxoria, lites* (vt quidam ait:) sed infirmitas cuiq̃ suæ conscientia, aut virium suarum, ad hoc ipsi

ipsis vtendum, diffidentia : deniq; studio Philosophiæ, & expeditioris sequelæ Christi, Apostolorum exemplo. Sequitur enim : *Et sequuti sumus te*: quasi is fuerit scopus & finis relinquendi.

* 4. *Quâ intentione* ? Dicam. Christum sequendi expeditius, atque imitandi exactius. *Et sequuti sumus te. Quod proprium Apostolorum est, atque credentium* (ait hic Hieronymus) & perfectionis est.

Relinquere enim solo odio curarum, quæ earum administrationem comitantur, & amore otij & incuriæ; non video quid prosit, vt nec vxorem relinquere, aut nolle, quià ferè *semper habet lites, alternaque iurgia lectus*,

In quo nupta iacet, vt ait Iuuenalis sat. 6. aut quià

Melius nil cœlibe vitâ : aut quia anxia est cura liberorum : (Nàm certè *crescentem sequitur cura pecuniam*:

Anaxagoras lib. de regno inquit, *magno cum negotio pecunias comportari, sed multo maiori operâ conseruari & custodiri*:

Vt echinum, sic nummos capere facilius, retinere verò difficile :) nàm tùnc homo seipsum quærit, non Deum : Philautus tùnc est, non Theophilus.

Studio ergò duplici Apostoli sua reliquêre.
- 1. *Sequelæ individuæ ipsius Christi.*
  - 1. *Localis*;
  - 2. *Speculatiuæ*;
  - 3. *Moralis.*
- 2. *Imitationis absolutæ.*
  - 1. *Præceptorum.*
  - 2. *Consiliorum.*

* 1. *Sequelæ individuæ &c.*

* 1. *Localis*, ne latus eius vmquàm desererent, sed semper ex eius ore penderent.

Ea autem meritoria propter
1. *Honorem*, quem Christo conciliabant, amplificato sic eius auditorio;
2. *Ministerium*, quod ei præstare sæpè poterant;
3. *Præsidium* aduersus insidiatores cum fuisset necessarium;
4. *Proficiendi* tantum studium.

Sequelæ ergò localis studio relicta illa omnia ab Apostolis, vt pondera, & impedimenta.

Stare enim simul non possunt, Iesum Christum hominem nullo certo loco consistentem, sed omnibus natum, omnibus omnia factum, semper in motu Solis instar, hodiè domi, cras ruri, *pridiè in templo*, postridiè in foro versantem passim sequi, & ad rem familiarem adtentum esse: quemadmodum vix est militare, in castris & sub signis esse, & mercaturam exercere, &c.

Vtraq; res hominem totum efflagitat.

Hoc agere, & ista non negligere, vix possit quisquam.

Nemo potest duobus Dominis seruire: Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire, & Mammonæ, aut lucro. *Matth.6.*

Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus: vt ei placeat, cui se probauit. 2. Timoth.2.

Vt situlas ambas simul è trochleâ, & carenâ eadem pendulas puteus non capit; nec est eiusdem simul *sorbere & flare*; pugnare, & ad sarcinas stare; sic nec negotijs illis duobus homo sufficit vnus.

Ne Hercules quidem contra duos. prou.

Sed *dum tu sectaris apros, ego retia tendo.* Virgil. Bucol. Eclog.3.

Seruulo-

Seruulorum diligentiam & pediſſequorum hîc Apoſtoli voluerunt imitari; & veteres ſeu Auditores ſeu Sectatores Philoſophi cuiuſcumque, qui præceptorem aſsiduè comitabantur, vt colloquio eius perpetuo & vſu eruditiores, eiq; per omnia ſimiliores euaderent, vnde & ſectatores propriè vocabantur.

Hinc Plinius epiſt. 110. *Tùm ego, qui vir, & quantus eſſet, & altiſsimè inſpexi, cùm ſequerer vt Magiſtrum, vt parentem vererer.*

Sequuti ſumus te, tàm ſtudiosè, quàm filij, Patrem; quàm Pupilli, Tutorem; quàm Milites Ducem opt. quàm Serui ſeruati ſeruatorem; quàm greges, paſtorem; quàm oues, petronem ſeu veruecem ſectarium; quàm canes fideliſsimi altorem ſuum; vt ſolem, Aeliotropion; vt adamas, ferrum; & flos neſcio quis, Lunam; & ſilenites lapis, Lunæ motum. Aiunt enim in eo lapide imaginem Lunæ candidæ refulgere, cum ipſa renouatâ renouari, cum antiquatâ antiquari, cum laborante & eclipſin patiente, idem pati. Denique ità *ſequuti ſumus te*, vt corpus vmbra.

Non potes auelli: ſimul hinc, ſimul ibimus, omnes inquiebant, cùm vel pedem domo efferret. *Eamus & nos, & cum illo moriamur.*

Toſtati ſenſo, *principaliter intelligitur de ſequelâ corporali, ſcilicet quia ſequerentur Chriſtum, quocumq; iret, adhærendo ei inſeparabiliter. multi quippe verbis eius credebant, & tamen eum non ſequebantur, ſed manebant in propriis gaudentes & mundo viventes: ſoli autem Apoſtoli & Diſcipuli Chriſtum ſequebantur, non recedentes ab eo, & quia iſta ſequela magnam virtutem ſecum adiunctam habebat, valdè laudatur!... Nã vt multis virtutibus & difficilibus operam dabant. Nam*

credebant in eum, sequebantur doctrinam viuendi à [illegible] *traditam, quantum ad virtutes necessarias.* Tostat. qu. 189. in c. 19. Matth.

* 2. *Speculatiuæ*, id est, studio eadem de ijsdem sentiendi, docendi, adfirmandi, disciplinam omnem, cuncta eius dogmata imbibendi & tuendi, si qui oppugnarent, quo sensu vsus Cicero hoc sequendi verbo, cùm ait: *sequimur in hâc quæstione potissimùm Stoicos.* Cic. lib. 1. Off.

Et libr. 1. epp. famil. epist. 9. *Id iubet idem ille Plato, quem ego autorem vehementer sequor, tantùm contendere in Repub. quantum probare tuis ciuibus possis: vim neque parenti, neque patriæ afferre oportere.*

Illud alicuius è septem Sapientibus oraculum (*sequere Deum*) hunc quoque sensum habere potest, vt sit idem cum Deo sentire, tueri dictamen rationis, quæ cuique suus quasi Deus domesticus est.

Inest enim suus cuique animus, Deus, aiebant vulgò olim Græci. *De hoc dicto* (sequere Deum) *vide Plutarch. libello de audiendo. Ciceronem lib. 3. de Finibus.*

Sic 3. Regg. 18. *Si Dominus est Deus, sequimini eum.*

2. Regg. 15. *Toto corde vniuersus Israel sequitur Absalon.*

1. Paral. 12. *Magna pars eorum adhuc sequebatur domum Saul.*

Eccli. 12. *Gloria magna est, sequi Dominum*, in nullo ab eo dissentire, etsi absurda aliquandò humanis iudiciis eius dicta, aut facta videri possint.

Apostoli ergò ità sequuti sunt Christum, vt omnia eius paradoxa reciperent, etsi sæpè non intelligerent, sæpè etiam alii respuerent, aut refellere cogerentur.

Vt in materia Sacramenti Eucharistici, aliis dicentibus, *Durus est hic sermo* &c. aliis etiam Magistrum deserentibus, ipsi perstiterunt; &, rogante Domino, an vellent & ipsi abire, & scholæ suæ valedicere, vno Petri ore omnes responderunt: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Ioan. 6.

Item, suadenti ignoscere septuagies septies &c. & centum similia paradoxa Christiana & Euangelica proferenti (de quibus tractatum specialem meditamur, Deo adiutore) nihil repugnarunt.

Pythagoricis scilicet ipsis sequaciores fuerunt, *quos ferunt, si quid affirmarent in disputando, cum ex iis quæreretur, quare ita esset, respondere solitos: ipse dixit. Ipse autem erat Pythagoras. tantum opinio præiudicata poterat, vt etiam sine ratione valeret autoritas.* Cic. lib 1. de Nat. Deorum.

Sic Ciceroni vnus Cato testis pro centum milibus. Cic. *lib. 2. ad Atticum.*

Aduersus Reges, Cæsares, populos, Philosophos omnes, Magistri sui dogmata Apostoli defenderunt: suo etiam sanguine ac morte firmarunt, autorarunt; vndè Martyres, id est, testes dicuntur, quod Pythagorici pro sui Pythagoræ dogmatis non fecerunt.

Res sanè Deo gratissima, sic *captiuare omnē intellectum in obsequium Christi:* &, huius studio, *omnia relinquere, & localiter Christum sequi.*

* 3. *Moralis*, præceptorum, id est, vt præcepta eius facilius obseruarent. Dicitur enim quispiam quempiam sequi, cum ei placere studet, atque obtemperare.

Mirè autem Christi præceptorum obseruantiam impediunt opes, & sequaces earum solicitudines.

* *Et consiliorum*, quibus accensetur paupertas voluntaria.

* 4. *Imitationis* absolutæ, vt quasi animarum sua-

rum vultus ex vultu Christi compararent, & non tam essent oribus similes filij parentibus, quàm isti moribus Christo Domino N.

Certè, Christus Dominus in multis perfectiùs se gesit, domi maximè, quàm ipsa eius ipsa præcepta & consilia exigerent, quorum plerosque Apostolos fuisse imitatos perquàm credibile est.

Ergò, *Et sequuti sumus te*, id est, *omnia reliquimus*, vt facta tua, quà quà possemus, imitaremur; vt te, ac mores tuos, prorsus indueremus.

Quia vidimus te, cùm diues esses, in sinu Patris, ad nos venisse rerum omnium egenum &c. *imitari te* & hic voluimus.

Quià te nudipedem, eâdem semper veste, mutatorijs valere iussis, vtentem, vidimus; etiam nos mutatoria & duplicia abiecimus.

Quia vidimus te non habere, vbi vel caput reclinares, neque nos domos habere voluimus. *Reliquimus omnia, & sequuti sumus te.*

Exempla vitæ tuæ, præcepta omnia & consilia alijs data supergressæ, quàm proximè potuimus sectati sumus, solidas noctes orando, peruigilando, ieiunia continuando, nobis subtracta alijs erogando, ægris opitulando, iniurias tolerando, pro inimicis orando, aduersis gaudendo, mortem acerbissimam pro Deo, & æqui iustique studio, in delicijs numerando &c.

Auribus scilicet, & oculis dogmata & exempla Christi, perpetuo illo comitatu & conuictu haurientes Apostoli, non potuerunt non euadere sanctissimi, & omnes transcendere.

Perpetuo in oculis tanti Magistri positi, vt plasma in manu artificis, non poterant non esse moribus sanè reformatissimis.

Oc-

Oculus Domini impinguat equum, agrumque. *prou.*

Vel *ad oculum* diu *seruientes*, discunt tandem virtuti ipsi seruire.

Talis etiàm *quisque efficitur, qualium societate fruitur*. D. Hieron. *Nullus vnquam repertus, qui si quid ingentis haberet vitij, non illud simul vt in Areopagum lectus esset, abijceret: tanta aliorum erat virtus, vt nemo esset tam perditè malus, quin illum puderet, solum inter tantam puritatem esse maculosum.* Isocrates in orat. Areopagiticâ.

Et hæc sequela omnium maximè meritoria, & finis cæterarum. *Sequi corporaliter Christum* (inquit Tostatus) *nisi virtutibus, & fide cosequamur, nihil valet, sed magis nocet, sicut Iudas Christum secutus est, qui manens cum eo deterior effectus est.* Tostat. quæst. 189. in c. 19. Matth.

Hùc ergo cursus fuit, hùc maximè spectatum ab Apostolis, cùm *omnia reliquerunt*, & cùm eum corporaliter, seu localiter, & cùm speculatiuè sequuti sunt. Hoc, via; illud, meta.

Nàm *relinquere omnia, & illum sequi* localiter, etsi bonum erat, non tamen tale naturâ suâ, sed dumtaxat, quà ad vltimum illud ordinabatur.

Similiter, si quis omnia relinqueret, non intendens Christum sequi, vt multi olim Philosophi; aut si quis sequeretur tantùm, comitaretur, dogmatis eius imbueretur, mordicus ea tueretur, pro ipsis moreretur; nihil apud Deum, neque laudis, neque præmij mereretur, nisi etiam adesset eius imitandi studium, & sequela illa moralis.

Non auditores verbi, sed factores legis iustificabuntur.

Itaque Christus Apostolis præmium pollicẽs, hoc solum

solum repetit: *Vos qui secuuti estis me*, id est, imitati estis me, centuplum accipietis.

Hoc vnum est, quod Christianos geminos constituit.

Qui *dicit, se in Christo manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.* 1. Ioan. 2.

Non tam scholæ, quàm vitæ discendum. Senec. ep. 10.

Non in verbis, sed in rebus est Philosophia ... Animum format, & fabricat, vitam disponit, actiones regit, agenda & omittenda demonstrat. Idem. lib. 2. ep. 4. aut 5.

Iustin. Martyr. Apolog. 2. pro Christianis. *Restat, vt dicamus, eum solum, qui est pius ac religiosus, esse Christianum.*

Relinquere omnia, omnes non possunt, nec omnibus conuenit, nec fortè ordini Vniuersi; sequi etiam localiter Christum, & Auditores eius perpetui, ac Conuictores indiuidui esse iam non possumus, tardius hùc nati scilicet: At imitando sequi, quantum satis, possumus omnes, & debemus.

Hoc vitæ archetypon atque exemplar datum vniuersis.

Conformari huic oportet, quotquot volunt tandem *reformari corpus humilitatis suæ, & configurari corpori claritatis eius.*

Cætera etiam perditè facere, & perire posthæc potes: Hoc autem non nisi benè, & salutariter.

Vtilius terrena opulentia tenetur, quàm superbè relinquitur. Diuus Augustinus ep. 34. ad Paulinum.

Et est qui frustrà Christum localiter sequitur, vt Iudas; est, qui vanè, vt turbæ multæ; imò est qui impiè & damnabiliter, vt Pharisæi cum Principibus Sacerdotum, Christum scilicet sequẽtes, vt *torua leæna lupum*

lupum sequitur, lupus ipse capellam. Virg. bucol. at nemo frustrà, nemo inutiliter, nemo damnosè eum sequetur moraliter, seu virtutum eius imitatione.

Et hæc quidem hactenus de ipsis Apostolis & Euangelio; iàm ergo tandem, si placet, pauca etiam de S. Othomaro nostro dicamus.

III.

Vt quadrent ista D. Audomaro, Tutelari nostro.

D. quoque Audomarus Apostolis, multis nominibus, est accensendus.

* 1. *Reliquit enim & ille omnia* amore Christi. { 1. *Parentes;* 2. *Patriam;* 3. *Opes;* 4. *Monasterij delicias spiritales.*

* 1. *Parentes*, sanè nobiles, *Friulphum* patrem, & matrem *Domitam* re magis, quàm nomine, degentem scilicet magnâ modestiâ sub iugo Dei, mariti sui, & Principum &c. non multarum indomitarum instar, filiarum Belial, quæ nec superos, nec maritos, nec rerum Dominos reuerentur, Furiæ si non Infernales, certè domesticæ.

Benè *Domitam*, non tantum *Domitellam*, quæ pullum hunc tàm cicurem & mansuetum, S. Othomarũ erat paritura.

Sic canibus catulos similes, sic matribus hœdos
Nôram. Virgil. Bucol.

Ex Leænis leones. Vt *fortes nascuntur fortibus*, truces trucibus; sic mites mitibus.

Per-

Perdomiti & benè morati parentes benè moratam prolem producunt.

Parentes autem relinquere, *hoc opus, hic labor est*, Virg. 6. Aen.

Psalm. 44. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.*

Propter hoc, id est, vxorem, *relinquet homo patrem & matrem*, dictum, ad insinuandum magnam amoris maritorum in vxores lectimonium, qui hoc in ipsos possit.

Hoc opus, hic labor est, inquam, maximè cùm amor parentum in liberos est intensior, vt fere solet, cùm masculi sunt, vnigeniti, & benè morati.

At S. Audomarus, & masculus, & vnicus suis, & morum laudatissimorum semper fuit.

Ergò.

Imò non semel tantùm is parentes reliquit, sed bis quoque, saltem ipsum patrem: primùm, cum in monasterium se contulit; iterùm, cùm, ex monasterio, Teruannam, pascendarum ibi Christi ouium & Episcopatûs gratiâ, venit.

Nàm mortuâ matre *Domitâ*, S. Othomarus patrem ad Monasticen adtraxerat, factus vicissim genitor spiritalis patris sui.

Vt nix ex aqua, & aqua ex niue iterùm gignitur; ita hic noster *Friulpho* patre carnaliter genitus, *Friulphum* spiritaliter in *Christo per Euangelium genuit.*

Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me.

Res tantò mirabilior, quantò rarior.

Bis ergò patrem reliquit: vel, si mauis, tandem reliquit filium & fratrem in patre, cùm Episcopus ex monacho creatus est.

* ij. *Patriam*, & quidem, vt nomen, indicat habitatione

bitatione gratissimum, opinor, *Vallem-auream* ad Rhenum, cuias erat.

*1. *Vallis* autem *aurea* dicta est illa fortassè, vel ab auro in visceribus terræ ibi abdito, quod effodi copiosissimè posset;

*2. *Vel ab* auro, id est, luculentis opibus, quas cumulare poterant eius incolæ, ab ipsius ingenti fertilitate, & vbertate fortassis. (Nàm & vos, vt audio, *flumen* hîc vicinum *aureum* vocatis, à nauigationum eius vtilitate.

Psal. 4. *A fructu frumenti, vini, & olei sui, multiplicati sunt.*

Vallis fortè fuit summæ *pinguedinis*, vt illa *Gethsemani*, in quâ Dominus meus Iesus orauit, & captus est; aut vt illa *vallis botrionis* in terra promissionis, Numer. 13. aut vt *conuallis illustris Mambre* Genes. 12. aut vt in Gallia *Vallis Suessionensis* mirè vitifera, & vini itaque & auri feracissima.

Inter medium montium pertransibunt aquæ &c.
psal. 103.

Et valles abundabunt frumento.
psal. 64.

*3. *Vel ab amœnitate*, & excellentia præ cæteris, quali aurum inter reliqua metalla supereminet, gratum adspectu, vsu, & pretio suo.

Sunt sunt etiam aureæ valles, vti & aurei montes, & alibi, & Romæ in S. Petro Montorio, id est, monte aureo, meo iucundissimo aliquot menses domicilio, cùm Romæ essem, sedente tùm Paulo V. Opt. Max.

Certè non adeò procùl ab vrbe Luxemburgensi est monasterium Cistertiensis Ordinis a Gallis dictũ D'OR-VAL, quasi dicas AVREAE VALLIS, cuius Abbas meritissimus nùnc est ille aurei etiam oris Orator Dom. Bernardus Mot-gaillardus cognometo

Foliantinus

rinus, eloquentiæ famâ ſuper æthera notus, mihi ſemel duntaxat in vitâ, magno ſtupore, Cameror auditus.

* 4. *Vel fortè* primùm ità dici cæpit, poſtquam viſa aureum hunc, & reliquum aurei ſæculi virum S. Othomarum produxiſſe.

Si dici poſſunt aurea ſæcula, ab aureis & probis hominibus; cùr non poſsint indè quoque dici aureæ valles, aurei montes & vrbes, quæ illos genuerunt?

Celebrent Lydi veteres Pactolum ſuum, & Chryſorrhoam vocent, quod aureas trahat arenulas (teſte Plinio lib. 5. capit. 29. & Iuuen. ſat. 5.) ſuum Tagum Luſitani; Indi ſuum Gangem (qui alio nomine Phyſon Græcis dictus eſt, & Moyſi ſenſo è paradiſo profluit, & *circuit omnem terram Heuilath, vbi naſcitur aurum*, & quidem *optimum*, Geneſ. 2.) vos Audomaropolitani, & Germani Conſtantienſes, hanc *Vallem* ad Rhenum celebrate, & verè *auream* appellate, vel ab iſto S. Audomaro inde vobis nato.

Sit D. Bernardo rectore celebris *Clara-Vallis*, certè *Aurea-Vallis* etiàm ſemper magis magiſque Othomaro alumno inclareſcet. Eiuſmodi patria noſtri Tutelaris fuit.

Quàm durum cuiuis patriam relinquere; neſciunt vel auiculæ à nidis, vel feræ à ſpeluncis ac latibulis ſuis, etiàm vi ac furca ſic auelli, vt non ſemper recurrant.

Neſcio quâ natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui. Ouid. 1. de Ponto 4.

Cicer. 1. de Orat. *Noſtra patria delectat; cuius rei tanta eſt vis, ac tanta natura, vt Ithacam illam, in aſperrimis ſaxulis, tanquàm nidulum affixam, ſapientiſſimus vir immortalitati anteponat.*

Vt ſit

Vt sit *sapientis carere patriâ* posse; est tamen *duri, non desiderare*, Idem ad Marc. lib. 4. epp. Famil.

Maximè verò cùm ea amœna est, frugifera, commoda &c. qualis fuit hęc *Vallis aurea*.

Attamen *Vallem* illam suam quamlibet *auream* reliquit noster Audomarus, Burgundiam adijt, ibique Luxouij Monasticen est adgressus, & professus.

Diuina illa scilicet animo eius recursabant: *obliuiscere pop. tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum.* psal. 44.

Egredere de terrâ, & de cognatione tuâ &c. Genes.

Plantarum arborumque nonnullæ translatæ ac transplantatæ vberiores; maiores, suauiores, salubriores que euadũt.

* *ij. Opes* luculentas haud dubiè, vtpotè parentibus nobilibus natus, & quidem vnicus, vnus duorum opes habiturus hæres ex asse, & tertias vxoris alicuius etiàm locupletis facilè adiunctus, si nuptias affectasset.

Facilè illi fuerat, vt cæteris, *coniungere domum ad domum, & agrum agro copulare vsque ad terminum loci*, initijs iàm tàm luculentis. *Isai. 5.*

Tamen fecit, quod ille ait: *reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, & dedi dilectam animam meam in manu inimicorum eius*, id est, nouorum pædagogorum in monasterio, qui eius cupiditatibus repugnabunt. *Hierem. 12.*

Non acquieui carni & sanguini.

* *iij. Monasterij* delicias spiritales, factus tandem procul Episcopus.

Monachus enim quilibet probus illud vsurpat, *Mihi oppidum carcer; solitudo, paradisus.* D. Hierony. ep. ad Rusticum monachum.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ, nisi ægerrimè.

Numquid possum deserere pinguedinem meam, qua & Dij vtuntur & homines, & venire, vt inter [illegible] promouear? Iud. 9.

Quibusdā propè tàm durum è monasterijs ad nitates educi, quàm è paradiso detrahi ad Inferna

Themistocles ipse aiebat: *Si mihi quis duas vias pro straret, alterā ad Infernū ducentem, alteram ad tri val,* seu Præfecturā: *multò libentius ingrederer eā, q rectà ad Infernū tenderet.* Aelia. lib. 9. var. hist. cap.

Noster tamen Othomarus, Dagoberto Francorum Rege indè illū ad Episcopatū euocante, fortiter em grauit, q.d. *Si populosū necessarius, nō recuso laborē,* &c

E paradiso monasterij, ad infernum etiàm amoris Christi descendam.

At quò consensit ire, vel vndè, vide.

Vide ad quem Episcopatum? cuius loci? quorum populorum?

Ad Episcopatum Loci, Populique, præter eius situ, ipsis etiàm nominibus abhorrendorum.

Schytia est, quo mittitur, inquis.

An non situs Loci ac Populi terrere illū potuit? Nā Morinos adire coactus est, vltimos penè populorum.

Extremique hominum Morini, ait Virg. 8 Aeneid. quòd in Galliæ finibus, & Britanniam spectantes, Oceano Britānico proximi, breuissimusque ab eis (ut Cæsare teste) in Britanniam sit traiectus.

Pomp. Mela lib. 3. de situ Orbis cap. 2. vocat *vltimos Gallicarum Gentium Morinos.*

Et in *Sithiu,* hoc ipso loco, *omnia Pontus erat,* antequā hîc templū S. Virgini cōderet Audomarus, vndè opinor hanc vrbē deindè *Fanū S. Audomari* nūcupatā.

Mesopotamia quędam aut insula erat Oppidum totum Teruannæ, vel Iunio Taruannæ.

Ferè videri poterat nō tàm ad Episcopatū vocari, quam in Insulam deportari aut relegari, ita procul, it à ad

trà ad horrida loca destinabatur.

Nomen verò Loci terrere etiàm hominem potuit. *Terra Vana* enim quid aliud indicat, quàm ipsius soli malignitatem ac sterilitatem.

Quid arenæ semina mandes?

Quid *non profecturis litora bobus ares?* Ouid.

Genes. 1. *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi.*

Terribilis est locus iste. Genes.

Ad Terram-Vanam, ex Valle aureâ? &c.

Adde, quòd *Terram* naturâ iàm *vanam* & sterilem, vaniorem ac steriliorem fecerat Iulius Cæsar, quum victor victis iratior, excisam vrbem sale respersérat, vt superiùs aiebam.

Terram etiàm *Vanam* Idolatria faciebat, adhùc illîc multùm vigens, quam Psalmista vocat vanitatem, dicens: *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* psal. 4. Et Paulo: *idolum nihil est.*

Etsi *Teruannæ* nomen ad Græcam originem refero, ad verbum τίρω, id est, vexo & adfligo, vndè & τίρυ, id est Hesychio tenue & imbecille; vndè τίρυες ἵππωι, id est, imbecilles, laboribus aut morbis exhausti: aut si ad verbum τιρῶ, quod etiam significat vulnero; quid indè augurari possis Sãcto Audomaro illuc misso Christi legato, quàm calamitatum laborumque agmina?

A *Teruannâ* vt *à Nazareth potest aliquid boni esse? Spinas & tribulos germinabit tibi*, Teruanna tua, vir sanctissime. *Genes. 3.*

Si quis autem Latinam mauult esse dictionẽ; vndè etiã sic *Terroamiã* deriues, quàm à terrore, quẽ infert?

Aut vndè *Teruanam* dictam putes, nisi à terendo & obprimendo? *Terra deuorat habitatores suos.*

Morinorum verò nomẽ Audomarum etiàm terrere potuit, non quidem à moriâ, id est, stultitia deduc-

ctum, non: quoniam prima in moriâ per ω, in Morini verò per omicron scribitur, vt breuis sit apud Virgilium; sed ἀπὸ τοῦ μόρου, id est, parte, morte, item fato, fortunio, supplicio, atque exitio, quæ omnia Gr. μοῖρα, vnde Morini, significat, & μοχθέω laboro, affligo.

Si non supplicium sibi vltimum illic, atque ex... um S. Othomarus inde prælagiebat; prę sagire... tè poterat vt minimum ingentem sibi laborem in E... piscopatu illo, & terram illam meri immensique la... boris fore: labores illic Herculeos reformidare, hinc Idolatras conuertendo, illinc apostatas reuocando, isthinc adhuc integrorum reliquias confirmando, fidem disciplinamque maiorum ibi collapsam resti... tuendo.

Illi *Tanta molis erit Romanam condere gentem.* Virg. 1. AEn.

Mittor ergò ex *valle aureâ*, ex felice Burgundia in *Terram Vanam*, dicere secum poterat.

Ex *Valle-aurea* in terram tanti laboris?

Deinde; ex *Paradiso voluptatis*, id est, ex monasterio *in vallem* miseriæ & *lachrymarum.*

Ex domicilio Sapientiæ, & sede Religionis, in mediam penè Barbariam.

Non honor est, sed onus. Quæ honorant, onerant.

Ah, quoties aliquo, dixi, properante, quid vrges?
Vel quò festinas ire, vel vndè, vide.
Ter limen tetigi, ter sum reuocatus...
Denique quid propero? Scythia est, quò mittimur, in-quam:
Roma relinquenda est, vtraque iusta mora est.

Ouid. lib. 1. Trist. Eleg. 3.

Quid melius Româ? (Valle-Aurea? Patria? Paradiso voluptatis, id est, Monasterio?) *Scythico quid frigore peius?* id est *Terruanna* & *Morinis?* Ouid. 1. de Ponto Eleg. 4.

A lo...

A locis multò iucundiſsimis, ad teterrima ſcilicet mittebatur.

Ex floretis, ad ſenticeta; ex Violetis & Roſetis, ad dumeta. *Sicut lilium inter ſpinas.* Cant.

Quis tã infœliciter natus, vt à delicijs præsẽtibus, licitisque, ad miſerias certiſsimas libenter eat?

Reliquit tamen *omnia* fortiter S. Othomarus, dulcem patriam, dulcius Monaſterium, imò & ſeipſum, ac Teruannam venit intrepidiſsimè.

Vicit amor Patriæ cœleſtis, *Laudumque extrema cupido.* Virgil. 6. Aeneid.

Sed & Chriſtum ſequutus eſt. *Et ſequuti ſumus te,* ait Petrus.

Non *localiter* quidẽ, & viſiliter illius latus perpetuò claudendo, vt Apoſtoli, ſed *ſpeculatiuè*, eius dogmata ſanctiſsima tuendo ſcilicet, & prædicando Teruanenſibus, & vobis ipſis in maioribus veſtris &c. & *moraliter*, ad Euangelij Chriſti formulam viuendo, & exemplo alijs prælucendo.

Denique; ità Epiſcopum geſsit, vt hanc vrbẽ Chriſto pepererit, ope aliquot adiutorum, quos initio memoraui.

Tantum potuit, vt primus templum B. Virgini ſacrum hîc condiderit, vtque vrbi veſtræ nomen de nomine ſuo dederit, dicaturque hactenùs *Fanum S. Audomari*, vel Audomaropolis.

Poſuerunt nomina ſua in terris ſuis. Pſal.

Spartam adeptus, eam mirè adornauit: imò non Spartã nactus, ſed Scythiam, è Scythia Spartam fecit. Quantum enim à Scythia diſtat SITHIV, vetus huius loci nomen?

Ab eius Diui cultu ac primis laboribus eſt, iſta tot templorum in hac vrbe auguſta maieſtas, iſta tã ta Monaſteriorum Virorum Mulierumque frequentia, vt vrbs tota vnum quaſi templum aut mona-

sterium videri possit, & meritò *Monachium* appellari, vt vrbs quædam Bauariæ ità dicta à Monachi cæte in eius exstructione inuento; vel *Monasterium*, illa Germaniæ ciuitas, cui extructum, initio Episcopatus, Monasterium dedit nomen.

Roma domus fiet, aiebat ille, vituperans palatij nescio cuius vastam amplitudinem; nos laudantes meritò dixerimus, Audomaropolis tota domus Dei, aut templum fiet; ità (laus Superis) Sancti huius Audomari primario cultu & studio, hîc est aucta religio, & multiplicata *religionis symbola, & fomenta, Templa & Monasteria.*

Quid? quot ciues, tot Monachos videre nos arbitramur, ità Christianè ac sanctè hîc viuunt etiam coniugati.

Sancti huius erudimentis debetis, quòd vt nomen vestræ vrbis Gallicum (OMER) facit etiam per anagramma Gallicè (ROME) id est (ROMA:) ità in hâc Vrbe passim, ac maximè in hoc Canonicorum templo Cathedrali augustissimo, sic ritu Ecclesiæ Romanæ colitur Deus, diuina omnia cæremonijs Romanis adcuratissimè celebrantur, vt qui vnam Ecclesiam, Romanam aut Audomaropolitanam, nouerit, ambas nouerit.

Non ouum ouo, aut gutta guttæ similior.

Teruanam non amplius *Terram-Vanam* esse curauit, nec requieuit *donec sterilis peperit plurimos* in Christo.

Per illum ortus *viror calami & iunci in cubilibus, in quibus prius dracones habitabant*. Isai. 35.

Pro saliunca, ascendet abies, & pro vrtica crescet myrtus, id est, pro vitiis, virtutes, pro hominibus idolatris, barbaris, & semiferis, optimi Christiani. *Isaiæ* 54.

Et hinc

Et hinc illi quoque Apostolica merces: *Vos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit &c. sedebitis & vos &c.*

* j. *In regeneratione*, id est, resurrectione nouissima vniuersorum? tùm maximè, & plenissimè.

1. Cor. 15. *Si in hâc vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.*

Regnũ meum non est hinc, ait ipse. Nec hic, nec hinc; non enim hic regalia sua ostentat.

Vt olim priscis Gallis vsitatum fœnerari, ac mutuum dare, post hanc vitam renatis refundendum: sic Christiani Christo famulantur, operantur &c. ipe futuræ retributionis. *Valer. Max.*

Pompon. Mela lib. 3. de situ Orbis, cap. 2. *Cùm mortuos cremant, ac defodiunt Druidæ, apta viuentibus olim negotiorum ratio etiam & exactio crediti deferebatur ad inferos.*

* ij. *In regeneratione*, id est, Euangelio vigente, & mundo renouato, ac nouos mores induente. Nàm etiàm in hac vita *est* quædam *merces operi tuo*, quisquis sic sanctus es.

* 1. *Honores* propè diuini, & quædam communio supremæ Maiestatis.

* 2. *Templorum* ipsis dedicatio, vt huius sanè augustissimi Diuo Andomaro.

* 3. *Miracula*, intercessione, aut nomine facta.

Deus bone, quanta, & qualia recenseri possint, S. Orthomari huius meritis facta nũnc, & olim.

Ferunt certè, quondàm lampadem apud eius sepulchrum cœlitùs accensam fuisse, & Christi benedictione oleum illi suppeditatum, quo & longo tẽpore arserit.

Cætera cæteri aliàs enarrabant.

* 4. *In parte* mercedis Diuorum non paruæ e-

tiàm censendum est, quod suis clientibus præsi esse possint, ipsis patrocinari, tueri, qua opitulari, iratum aliquandò Deum velut ter instar Moysi, & non *dimittere, vt irascatur fi eius.* Exod.

Hinc Patroni Tutelaresq; à Catholicis appella tur.

Origenes homil. 16. sup. Iesu Naue. *Ego sic arbi tror, quod omnes illi, qui dormierunt ante nos, pa tres, pugnent nobiscum, & adiuuent nos oratio bus suis. Ità namq; etiam quemdam de senioribus Ma gistris audiui dicentem, in eo loco, in quo scriptum est in Numeris: quià ablinget Synagoga illa hanc Syna gogam, sicut ablingit vitulus herbam viridem in cam po. Dicebat ergò. Quare huiusmodi similitudo assum pta est, nisi quià hoc est, quod intelligendum est in hoc loco, quod Synagoga Domini, qua nos præcessit in Sanctis, ore & lingua consumit aduersariam Synago gam, id est, orationibus & precibus aduersarios no stros absumit?* Notate (Lutherani, & Caluinistæ) doctissimi & vetustissimi Scriptoris, de Sanctorum inuocatione, sententiam.

Vt Alexandri Magni beneuolentiæ in Phocionem Athenienſem testimonium fuit certissimum, non solum ei vnam ex quatuor ciuitatibus eligendam e btulisse, cuius censu commodissimè aleretur; sed etiàm, cùm id recusasset accipere, eos liberos di mittere, quos petebat, qui in arce Sardis captiui tenebantur, nempè Ecechratidem sophistam, A thenodorum, Himeræum, & Demaratum Fra tres Rhodios: sic amicitiæ Dei in Diuos defunctos magnæ argumentum est irrefragabile, ipsum eo rum præcibus, cultoribus ipsorum & clientibus succurrere, tueri &c. *AElianus lib. 1. var. hist. c.* 25.

Quid

Quid posset Audomarus vester, apud Deum, pro vobis, sensistis non ità pridem ipso S. Chrysogoni, cùm scilicet Galli nocturnis insidiis, ipsas huius vrbis portas aliquot, nouo bellici tormenti genere, quod à crepitu nomen nùnc habet, vi magnâ ac subitâ perfregerunt, alterumque penè pedem in vrbem intulerunt.

Non vos tùnc tàm vestra mœnia, quamlibet munitissima, aut tormenta ingentia & numerosa in mœnibus dispositа, aut vetus vestra S. Catharinæ munitio, quàm S. Audomari Tutelaris vestri orationes defenderunt.

Diximus hìc aliàs de hac ipsâ re latiùs, vt iàm non sit in his immorandum.

Item; D. Othomarus vobis sæpè Elias alter est, & olim fuit, precibus pluuias opportunas aliquandò ciens, importunas aliquandò compescens, quasi claues habens regni cœlorum, & cæli cataractarum.

Educit ventos, & pluuias de thesauris suis Dominus ab hoc Diuo exoratus. *Psal.*

Vt AEolus quidam, ventos & pluuias claudit aperitque.

Quod AEacus olim quidam, Iouis filius creditus, vir insigni Iustitiæ laude præditus, Græciæ dicitur fuisse; hoc Audomarus sæpè Artesiæ vestræ fuit. Ferunt enim, cùm aliquādò aquæ penuria Græcia laboraret, ad hūc AEacum profectos ciuitatum principes, eumq; obsecrasse, vt à patre suo precibus suis pluuiā impetraret. Dictum, factum. Cùm stetisset Aeacus, ac preces fudisset, confestim siccitate soluta, profluens aqua Græciam irrigauit, quæ res præcipuè testatam fecit Aeaci pietatem, vt veteres de illo fabulantur. *Commentator in orat. 30. Greg. Nazianz. quæ est in laudem Basilij, numero 10. in illud; Nec AEacidæ.*

Quoties enim id vobis præstitit D. Audomarus? *Interroga patres tuos, & dicent tibi.*

Quoties ipsi experti estis, vobiscum animo repete, & filiis vestris enarrate.

Et natis natorum, & qui nascentur ab illis. Virg.

Ergò tot nominibus illustrem hunc Diuum, vos tot quoque nominibus illi obligati, honorare ac colere pergite.

Dijs, Parentibus, & Magistris, maximè Fidei & Morum, *non redditur æquiualens.* Arist. lib. 6. Eth. c. 1. & 2.

Cic. orat. pro Plancio. *Nemo est nostrûm liberaliter educatus, cui non Educatores, cui non Magistri sui atque Doctores, cui non Locus ille mutus, vbi ipse altus aut doctus est, cum gratâ recordatione in mente versetur.*

Palcæ & micæ.

* 1. *In Martyrol.* Vsuardi 16. Nouemb. sic habes de quodam ferè cognomio: *In Alemanniâ depositio S. Othomari Abbatis.*

* 2. *D. Petrus* his verbis: *Eccè nos rel. &c.* videtur prima fronte suam & sociorum virtutem, aliorum imbecillitati per fastum comparare, de quibus ægrè opes suas deferentibus immediatè ante agebatur. q. d. Non sumus sicut cæteri illi, nimii rerum suarum amatores; *omnia* enim iampridem & facillimè *reliquimus: Quid ergò erit nobis?* quasi putet nullum præmium satis amplum fore huius operæ suæ pretium.

Resp. negatur. Si enim hoc spiritu ista dixisset, mox eum Dominus vaniloquentiæ arguisset, solitus scilicet nihil in suis dissimulare, maximè in Petro, quem erudiebat & dolabat ad magna. At tantùm abest, vt argue-

arguerit, vt etiàm mox præmia proposuerit.

Est ergò hic potiùs modesta Petri lætitia & gratulatio de re per gratiã Dei benè gesta, & humanus præmij virtutis appetitus.

*3. *Pro inuocatione* Sanctorum, & speranda eorum protectione, facere possit illud Socratis apud Platonẽ in Cratylo, seu potiùs illud Hesiodi relatum à Socrate. *Ait Hesiodus ex hoc genere* (aureorum scilicet hominum, id est, bonorum) *post præsentis vitæ facta fieri dæmones sanctos, terrestres, optimos, malorum expulsores, & custodes hominum... Et ipse assero δάιμονα, id est, sapientem omnem esse hominem, quicumq; sit bonus, eumque dæmonicum esse, id est, fœlicem, viuentem atque defunctum, rectequè dæmonem nuncupari.* Plato in Cratylo, vel de recta nominum ratione.

De potentia Diuorum apud Deum, dicere possis illud Ciceronis ad M. Cœlium Aedilem lib. 2. epp. Fã. ep. 14. *Noui ego vos magnos patronos. Hominem occidat oportet, qui vestrâ opera vti volet.*

*4. *Reliquimus omnia &c. Nihil habentes, & omnia possidentes.* Cornel. Tac. li. de morib. Germanorum c. 7. de Fennis Germaniæ populis valdè pauperibus sic ait: *Securi aduersus homines, securi aduersus Deos, rem difficillimam assequuti sunt, vt illis ne voto quidẽ opus sit.*

Cantabit vacuus coram latrone viator. Horat.

Apud Turcas prouerbio dicitur: *Centum viri vnum pauperem spoliare non possunt.*

Item. *Nemo potest vestimenta nudo detrahere.* Ex Hieron. Megiseri Initit. linguæ Turcicæ.

L. Apuleius Apolog. 1. pro seipso, pulchras habet laudes paupertatis, vbi & ait. *Idem mihi etiàm paupertatem obprobrauit, acceptum philosopho crimen, & vltrò profitendum. Enimuerò paupertas olim Philosophi vernacula est, frugi, sobria &c.*

*5. *Centuplum accipietis &c.*

Leui-

Leuitis olim non fuit hæreditas, sed ipse Dominus pars eorum, & hæreditas fuit, & fratrum oblationibus luculenter vixerunt.

Orig. hom. 17. sup. Iesu Naue. *Lex enim Dei Sacerdotibus commissa est, & Leuitis, vt huic soli operam dent, & verbo Dei absque vllâ solicitudine vacent. Si iterùm, vt vacare possint, Laicorum vti ministerijs debent. Si enim Laicus quæ necessaria sunt, non præbuerit Sacerdotibus & Leuitis; occupati illi in talibus, id est, corporalibus curis, minus legi Dei vacabunt. Illis autem non vacantibus, neque operam dantibus legi Dei, tu periclitaris. Obscurabitur enim lux scientiæ, quæ in illis est, te non subministrante oleum lucernæ, & culpâ tuâ illud eueniet, quod dixit Dominus, quia cæcus cæco ducatum præbens, ambo in foueam cadent. Sed & illud intelligebitur, quod Dominus dixit: Si enim lux, quæ in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ sunt? Vt ergò lux scientiæ in sacerdotibus fulgeat, & lucerna eorum sit semper accensa: tu imple officium tuum, comple mandatum Dei, erga obsequia Sacerdotum. Quod si fortè susceptis à te, quæ necessaria sunt, & sic non quasi auaritiam, sed quasi benedictionem, illi neglexerint eruditioni operam dare, & verbo Dei vacare, & in lege Dei meditari die ac nocte, ipsi videbunt quo modo pro animabus vestris reddant Domino rationem.*

* 6. *Terrauana.* Ex Raymundi Marliani alphabeticâ descriptione veterum Galliæ locorum, Populorum, Vrbium &c. eorum maximè, quæ apud Cæsarem in Commentarijs sunt; & apud Cornelium Tacitum. *Morini, populi sunt inter Belgas, Atrebatibus, Ambianis, Neruijs, Oceanoque mari finitimi, à quibus breuissimus in Britanniam, nunc Angliam est transiectus. continentes siluas, & paludes habebant. eorum fini-*

finibus comprehenditur comitatus, cui nomen est Pontus, ad Abbatiam S. Bertini directo iure pertinens, veteri nomine Ponti; quo illa à plerisque describitur. Ciuitas est Episcopalis, quæ Latinè nomen retinet, Gallicè verò Teruana nuncupatur, in prouinciâ Rhemensi, & regno Francorum sita.

Cæsar lib. 4. belli Gallici. *Ipse, cum omnibus copijs, in Morinos proficiscitur : quod inde erat breuissimus in Britanniam transiectus.*

Fertur, in Abbatiam S. Bertini Audomaropoli, nulli olim fœminæ ingredi licuisse. *Franciscus Plateanus in suis Antiquit. Galliæ, pag. 199.*

* 7. *M. Marulus* lib. 4. exempl. cap. 7. edit. Nutij. *Audomarum, Tamanensem* (Taruanensem legendum puto) *Episcopum in vepribus; Patrem Franciscum, in niuibus nudum volutâsse corpus* (accepimus) *vt, eâ castigatione, voluptatem carni insitam edomarent.*

* 8. *Memorabile* est Diuum istum cæcitatem elegisse.

Cùm enim Beatus Autbertus Septimus à S. Vedasto Atrebatensis Episcopus mirificâ quadam visione admonitus, vt sacrum B. Vedasti corpus ad locum quemdam alium non longè ab vrbe situm transferret, & protinus ad facti illius societatem B. Audomarum Taruennæ Morinorum ea tempestate Episcopum inuitasset, isque licet affecta senectute debilior esset, & cæcitate laboraret, prompto tamen alacriqueanimo eò properasset, & in ipsa sacrarum translatione reliquiarum, amissum lumen Vedasti meritis recepisset; ille nihilominus illud præ lumine mentis, quo mirabiliter vigebat, paruipendens iterum amittere voluit, atque pristinam oculorum cæcitatem à Deo impetrauit. *Alquinus in vitâ S. Vedasti apud Surium 6. Februarij.*

Dice-

Dicebat cæcus ille Euang. *Domine, vt videam!* hic vel noster Othomarus, *Domine, ne videam!*

Intrat sc. *mors per feneſtras* perſæpè.

Et impediunt oculi iſti, internorum liberum ſum, & ſolidam contemplationem.

Cùm cæcutit Iacob, tunc maximè eſt *Iſrael.* id. *videns Deum.*

Et multa ſunt in vitâ, quæ videre moleſtum eſt; vt videre benè eſſe malis ciuibus, optimis peſsimè.

Hinc Cic. lib. 9. epp. famil. ep. 2. *Denique pleniſſimè qui ſuſpicaretur, & qui fort aſſe me nouiſſet optimè, putaret me idcircò diſcedere* (Româ ſcilicet) *quòd quoſdã homines oculi mei ferre non poſſent.*

Idem lib. 2. epp. fam. ep. 16. *Nôſti non modò ſtomachi mei, cuius tu ſimilem quondam habebas, ſed etiam oculorum, in hominum inſolentium indignitate, faſtidium.*

Ibid. *Incurrit hæc noſtra Laurus* (quæ ſcilicet poſt victoriam præferebatur Ciceroni, falcibus inſerta) *non ſolùm in oculos, ſed iàm etiàm in voculas maleuolorum.*

Quo modo oculum, qui te ſcandaliſat, erui proïciique oporteat, vide loci ipſius tractatores.

DOMI-

DOMINICA PENTECOSTES.

In Cathedrali S. Audomari, 1600. horâ primâ pomerid. & iterum, Estroenij, sed magnis additionibus, 1616. ante meridiem.

Thema. *Ego veritatem dico vobis: expedit vobis, vt ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Ioann. *16.*

Dicendum hodie mihi
1. *Nunquamne ante Pentecosten receperint Spiritum-sanctum Apostoli; & cur antè vel Passionem, vel Ascensionem Domini missus ad eos non sit sicut hodiè;*
2. *Cur hodiè præcisè missus: cur triplici specie, Venti, Ignis, & Linguarum; & quid in Apostolis effecerit;*
3. *Qua præparatione vsi Apostoli.* AVE.

I.

Numquamne ante Pentecosten receperint Spiritum-sanctum Apostoli, & cur antè vel Passionem vel Ascensionem Domini, missus ad eos non sit, sicut hodiè.

VEstram fidem (Auditores &c.) an non vel ex me, vel ex Diacono auditis, aut lectis his verbis

bis(*Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos, autem abiero, mittam eum ad vos,*) mox animo co-piſtis, Apoſtolos nunquam Spiritum-ſanctum hunc diem recepiſſe? O dinor; Nam ſic & mihi q que primùm in mentem venit. Alios meo pedet tior ſcilicet. Homines ſunt alij quoque, humani ipſis nihil alienum.

Nunquamne ergò (inquiet aliquis) Apoſto ante hunc diem, Spiritum ſanctum acceperant?

Reſpondebo. Sed antè videndum, quid hic per a bitum, aut diſceſſum ſuum à ſuis, hic Chriſtus intel ligat.

Duo poſſunt intelligi { 1. *Receſſus Chriſti per mortem.* 2. *Receſſus per aſcenſionem.*

* 1. *Receſſus* Chriſti per mortē in cruce, *qui haud* diuturnus, ſed triduanus dumtaxat fuit, quia tertio die reſurrexit, & deinde ad ſuos ſæpè ſæpiùs rediit, *& per dies 40. adparuit, loquens eis de regno Dei.* Act.

De receſſu iſto eſt illud Lucæ 9. *Duo viri, Moyſes & Elias viſi in maieſtate, loquebantur cum Ieſu, & dicebant exceſſum eius, quem completurus erat in Ieruſalem:* in Tranſfiguratione eius ſcilicet: vbi Arias Montanus vertit: *dicebant exodum eius, quem futurus erat implere in Hieruſalem.* Caſtalion, & cum eo aliquis alius, exitum verterunt; idemque Caſtalion in margine exitum illum interpretatur per vnicam hanc vocem (*mortem*) & Vatablus annotat. 11. in c. 9. Luc. ſic habet: *id eſt mortem; hoc eſt, dicebant, quo mortis genere moriturus eſſet in Ieruſalem;* quem ſenſum tam Eraſmus, quam Valla præoſtenderunt. Nam Eraſmus ſic in annotat. *Exceſſum* (inquit) *mortem intelligit.* Nā Græcè ἔξοδον *id eſt exitum, non* ἔκστασιν. Valla autem ſic quoque in annotat, hîc: *Exceſſus pro morte accipiendus eſt, vt apud Ciceronem de legibus: Certè non longè ab*

gè ab ædibus tuis inambulans post excessum suum Romulus Proculo Iulio dixerit, se Deum esse, & Quirinum vocari. Et apud Valerium Maxim. Tui quoque clarissimi excessus, Cato, Vtica monumentum est, in qua ex fortissimis vulneribus tuis plus gloriæ, quàm sanguinis manauit.... vt apud Quintilianum in Mathematico : Commendo vobis exitum meum. Et apud Plinium ad Cornelium Tacitum: Petis, vt tibi exitum auunculi scribam.

2.Petr.1. *Dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, &c.* ἔξοδον, *exitum.*

* 2.*Recessus* per Ascensionem, sessuri ad dexteram Patris, vsq; ad Resurrectionẽ, & Iudiciũ vnà omniũ.

De isto solo intelliguntur hæc verba: *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos*: id est, nisi ad Patrem ascendero, *daturus* indè *dona hominibus.*

Patet vel ex istis immediatè sequentibus; *si autem abiero, mittam eum ad vos.*

Nunquamne ergò antè hunc diem illũ receperãt?

Receperunt profectò
1. *Baptisati;*
2. *Concionatores creati;*
3. *Miraculorum gratia donati, & emissi;*
4. *Confessarij instituti.*

* 1.*Baptisati*, non baptismo Ioannis, qui Spiritum-sanctum non cõferebat, etsi hùc pręparabat; sed Christi, quo Christiani conscribimur, peccata remittuntur, iustificantur paruuli magniq́ue, tàm qui personalia peccata hùc adferunt, vt ætate prouecti, vt Ethnici, Turcæ, &c. quàm qui naturale tantùm seu originale, vt adhuc infantes, quæ omnia sine Spiritus-sancti infusione non fiunt.

Ioan.3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu-sancto, non potest intrare in regnum Dei*, non Ecclesiæ adnumerari, non cœlo munerari.

Ideo colũba, Spiritus sancti hieroglyphicum, in ca-

put Christi baptismum recipientis in Iordane, Spiritus Baptismæ manu, descendit.

Ideò principio nascẽtis Ecclesiæ, visibiliter baptizatos illabebatur Spiritus sanctus.

Act. 8. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.*

Remissio peccatorum, siue per Baptismum, siue per alia Sacramẽta donetur, propriè Spiritus S. est, & ipsius solius munus efficientiæ priuilegiũ manet. Cyp. li. de bap. Christi.

Nàm baptismo Christi baptizatos Apostolos quis dubitet?

Nàm alios baptisasse leguntur.

Qua fronte alios mundarent immundi?

Ab immundo quid mundabitur?

Quo iure ciuitate Christiana donarẽt Ethnicos & exteros, qui ipsi nondum ciues conscripti essent? Donamur enim ciuitate Christi & Dei, eiusque ciues conscribimur per baptismum, qui est ianua Sacramentorum, & iurium in passionem Christi.

Quomodo aliis proponerẽt, & (vt sic dicam) propinarent poculum, quo ipsi nunquam vsi essent?

Audirent, *Medice cura teipsum.*

Et: *Qui sibi nequam, cui bonus?*

Et: *Omnes sibi melius esse malle, quàm alteri. Primus sum egomet mihi.*

Aegros, prægustatione medicorum, ad potionis quasuis sumendas optimè animari.

Viatores audacius vias carpere in syluis quamlibet inuiis, cum viæ præmonstratores, sunt etiam præitores.

* 2. *Concionatores* creati, & hùc illùc destinati.

Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.

Psal. 44. *Lingua mea calamus scribæ, Spiritus-sanctus velociter scribentis.*

Vt ver-

Vt ventus, & digitorum saltitantium periti Organistæ motus, tactusq;, loquacia reddit organa; sic gratia Spiritus-sancti, Concionatores.

Est Deus in nobis, agit ante calescimus illo,
Sedibus æthereis spiritus ille venit. Ouid.

Maximè verò necessarius huc fuit Apostolis Spiritus S. quòd ex piscatoribus & idiotis, repentè fiebant piscatores hominum, & Cõcionatores, quum vix, post longa quoque studia, nunc vobis à nobis satisfiat.

1. *Cor.* 12. *Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu-sancto.*

*3. *Miraculorum* gratia donati, & emissi, quæ sine Spiritu sancto non fiunt.

Digitus Dei est hic, aiebant Magi Pharaonis, vt Moysi miraculis inimitabilibus. *Exod.* 8.

Si in digito Dei ejcio dæmonia, id est, in Spiritu-sancto, ait Christus? *profectò peruenit in vos regnum Dei.* Luc. 11.

Dextræ Dei tu digitus, ait Hymnus hod. de spir. S.

Miracula autẽ edidisse Apostolos, etiàm antè mortem Christi, & in hunc diẽ, quis nescit? Nàm post mortem eius etiam maiora fecisse, quàm Christus ipse fecerat, constat, non sua quidem, sed à Christo communicata potestate, & Domino seruis suis minimè inuidente, quod est rarissimum. Volunt enim ferè Alexãdri Magni, maiores populo suo semper videri, & vel Aristotelica scientia antecellere. Dauidis gloriæ Saul inuidet. 1. *Regg.*

Luc. 9. *Conuocatis Iesus* 12. *Apostolis, dedit illis virtutẽ & potestatẽ super omnia dæmonia, & vt lãguores curarẽt.*

Matth. 10. *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejcite; gratis accepistis, gratis date.*

Aliquãdò *reuersi sunt* ad Christum *septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiàm dæmonia subjciuntur nobis in nomine tuo.* Luc. 10.

Dedi vobis potestatẽ calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici: & nihil vos nocebit. Ibid.

Hæccine ab hominibus non entheatis, & Spiritu sancto vacuis fieri potuissent?

* 4. *Confessarij*, aut Confess. auditores, & interrum Iudices instituti.

Insufflans in eos, dixit, Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Ius vitæ mortisque in animas accipite.

Adflati sunt tum Spiritu-sancto, quasi transfuso & transfuso per canalem sacrum oris Christi, inter Resurrectionem eius atque Ascensionem.

Ne addam etiam accepisse, cùm Sacerdotes & Sacrificici in vltima cœna creati sunt, illis verbis: Hoc *facite in meam commemorationem:* &c.

D. Greg. Naz. orat. 6. de Spiritu-sancto ait: *Spiritus-sanctus ad discipulos se particulatim confert, & ea mensura, quæ recipientium facultati responderet, in principio scilicet Euangelij, post Passionem, post Ascensionem: Virtutes* (id est, miracula) *perficiens, adflatus, in linguis flammeis conspectus.* Ergò.

Cur igitur videtur hic Christus insinuare, non accepisse ante hunc diem?

Item ibi: *Spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus?* Ioan. 7.

Dixit, differẽtię causa; nã nũc illum accepêre

{ 1. *Visibiliter;* 2. *Plenè;* 3. *Stabiliter.* } Alias verò { 1. *Invisibiliter;* 2. *particulatim;* 3 *Instabiliter.*

* 1. *Visibiliter*, id est, sensiliter. Nam & ventum horrisonum audierunt, quasi silentium poscentis linguas, ignemque viderunt, huc illucque sese dispertientes ac insidentes; & nouo æstu incaluerunt, seu suauiter arserunt. *Facta sunt intùs corda flammantia.* Greg. Luc

Luc. 24. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dū loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?* Si hoc sermo Dei insonans auribus, potuit in cordibus, quid Deus in igne totus illapsus eorumdem pectoribus?

Venti quoque adflatu, inordinati calores atque adfectus refrixerunt.

Facit hoc, fugat illud amorem. Ouid. Metam.

Incendiarius quidam hodiè, & ignitis telis armatus Cupido fuit, Spiritus-sanctus.

Ignē veni mittere in terras, & quid volo, nisi vt ardeat?

Vento fuit ignis ille comitatus, tàm fouendo in suis incendio bono, quàm malo extinguendo. Nam *Lenis alit flammas, fortior aura necat.* Ouid.

Ex eodem (vt sic dicam) ore calidum & frigidū: aut altera manu ignis, & flabellum; altera, aqua atque extinguibulum.

*j. *Inuisibiliter* verò alias. Nam, vt nunc nemo, nec qui baptisatur, nec qui baptisat, nec fideiussores ipsi & Patrini, vident Spiritū-sanctum, neque ignis, neq; columbæ specie, descendentem atque illabentē; nec sic Apostoli ipsi, cū aliàs Spiritu-sācto donati sūt.

*2. *Plenè*, id est, cuique quantum satis ministerijs æquè omnibus ritè exercendis, ad quæ deinceps deinceps destinabatur, Doctrinę, Vitę, Miraculis, Prophetijs, &c. Etsi *non omnes Doctores, non omnes Prophetæ, &c.* D. Greg. Naz. vbi sup.

DD. Hieronymus, Chrysost. Oecumenius dicunt, Apostolos ante Ascēsionem accepisse Spiritum-sanctum, sed non omnia eius dona.

Tum scilicet gustarunt tantum, aut libarunt; nunc verò vbertim biberunt, imò inebriati sunt.

Tunc irrorati; nunc immersi.

Tunc tincti aut picti, nunc imbuti.

Tunc per partes (gal. *en detail.*) ad diuersa munia; nunc globatim (gall. *en gros & en bloc.*) ad omnia.

Tunc vel pilani, vel ſagittarij tantùm, aut lenes maturæ milites ſunt autorati; nunc verò facti phracti.

Tunc ad velitationem; nunc ad iuſtam aciem ſtructi, ac muniti.

Tunc pleni quidem, nunc ſuperpleni, vt quondam Virgo Maria.

Ideò dictum: *Repleti ſunt omnes Spiritu-ſancto*. Repleti, id eſt, iterum impleti; nam antea Chriſtus pro capacitate quâ tum erant, & negotiorum præſentium neceſsitate implêrat.

Vinum bonum ſeruatum vſque adhùc. Ioan. 2.

A Samuele ſeruatus hic annus Sauli de induſtriâ. 1. *Reg*. 9.

Quidam, ipſam quoque virginem Mariam, etſi aliàs plenam, ſuperplenam factam putant, ad nouas operationes: etſi contrà noſter Franciſcus ab Oſſuna, homo ſanè doctiſsimus iuxtà ac religioſiſsimus, dicat, animaduertendum, *quod tantū Maria ab Incarnatione Verbi omni gratia plena fuit, vt aliqui dicant, quod nihil hodiè Spiritus-ſanctus ei contulit. Nam omnem gratiā ad quam erat prædeſtinata, recepit tunc. Nūc autem nouo viſibilis Spiritus-ſancti venit ſuper Mariam, nil gratiæ conferens, ſicut columba ſuper Chriſtum in Iordane*. Ioh. ab Oſſuna, ſer. de Dom. Pent. in fine Exordij.

* 3. *Stabiliter*, adeò vt deindè eos nunquàm ſic deſeruerit, vt peccare capitaliter poſſent, etſi venialiter poſſent, quod vltimum fieri poteſt, eriàm conſtante gratiâ Spiritus-ſancti.

Ideò nunc dictum: *Sedítque ſuprà ſingulos eorum*.

Ioa. 14. *Apud vos manebit, & in vobis erit*.

Ibid. *Paracletum dabit vobis Pater, vt maneat vobiſcum in æternum*.

Elias Cretenſis Epiſc. in orationem B. Greg. Naz. de Spiritu-ſancto. *Linguarum in Apoſtolis ſeſſio, deſignat Spi-*

Spiritum sanctum in eis adquieuisse.

Ego confirmaui columnas eius. Psal.

Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Psal.

* iij. *Alias verò* & accessit, & abijt ab ipsis, vti à nobis, postquam eum in Baptismo accepimus, aut in alijs sacramentis, proh dolor.

Erramus enim, & peccamus ferè omnes deindè sæpissimè, vndè & Pœnitentia huc misericorditer instituta, quasi secunda post naufragiũ tabula, aut harpago & hamus, ad expiscandam gratiam perditam, & velut aquis immersam.

D. Gre. hom. 30. in Euan. *In quorundã etenim corda venit Deus, & mansionẽ non facit: quia per cõpunctionẽ quidem Dei respectu percipiunt, sed tentationis tempore hoc ipsum quod cõpuncti fuerant, obliuiscuntur: sicque ad perpetrãda peccata redeũt, ac si hæc minimè plãxissent.*

In Saulem aliquãdò venit, sed mòx recessit, & spiritui malo loco cessit. 1. *Reg.*

Ad Eliã veniebat, sed abibat quoque, vt qui modò adamante erat firmior, modò lepore timidior, & desperabundo similis, 3. *Reg.*

Apostoli quoties lapsi antè hũc diẽ, nũc in murmura, nũc in ambitũ, nũc in obstinatã incredulitatẽ? &c.

Ipsi Iacobus & Iohãnes primas cathedras in futuro Christi regno, solo iure cognationis, ac matris quidem ambitiosa intercessione adpetiuerunt. *Matth.* 20.

Inter cæteros quoque *facta est contentio, quis eorũ videretur esse maior.* Luc. 22.

D. Petrus, percussor Malchi, Domini sui desertor, periurus, &c.

D. Thomas aliquamdiu obstinatus hæreticus: *Nisi videro, nisi tetigero, &c. non credam*, inquit, *Vide tabulam nostram primam Naufragij*, conc. in Dominicã in Albis, *parte* 2.

Non ergò eos Christus hic simpliciter negat Spiritum recepisse, sed sic.

Sic, scilicet, vt Christus acceperat in baptismo. *per quem Spiritum descendentem videris, & manentem in eo, &c.* Ioan. 1.

Et requiescet super eum Spiritus Domini. Isai.

Aut cur ait, *nisi abiero, non veniet*, id est, vno sensu nisi mortē obpetiuero; & alio, nisi cœlū ascendero?

Videtur enim hic insinuari tùm
1. *Præsentiæ corporeæ necessitas;*
2. *Simultas inter Spiritum-sanctum & Christum;*
3. *Loci occupatio;*
4. *Impotentia Spiritus-sancti.*

* 1. *Præsentiæ corporeæ necessitas*, vt nisi localiter & corpore à suis absit, adsit Patri, à Patre ipso tam illustre donatiuum non sit impetraturus. An hinc terris hoc impetrare è cœlo non poterat?

Planè videtur ita loqui, vt quondam Regulus ille de filio suo febricitante: *Domine, descende priusquam moriatur filius meus.* Ioa. 4. q. d. Præsētia tua necessaria.

D. Gregor. hom. 28. in Euang. *In fide dubitauit .... Corporalem Domini præsentiā quærebat, qui per spiritum nusquam deerat. Minus itaq; in illum credidit, quem non putauit salutem posse dare, nisi præsens esset & corpore. Si enim perfectè credidisset, procul dubiò sciret, quam esset locus, vbi non esset Deus.*

Nusquam deest aut abest, qui vbique est: cuius centrum vbique est, circumferentia verò nusquam.

Aut sic loqui, vt Martha ad Iesum, de mortuo Lazaro fratre: *Domine, si fuisses hic, frater meus non esset mortuus.* Præsentem, quam absentem, plus posse opinabatur adhuc fidei modicæ ac tenuis discipula.

Christi vires, aliorū medicorū pede, metiebatur, quorum certè oculus, tactus, & ipse (vt sic dicam) etiam halitus, ægris propè est necessarius, ad veram crisin,

crisin,atque expeditam curationem.

Vt *oculus Domini impinguat equum*, sic oculus medici curat ægrotum.

Certè in rebus humanis multum valet hominum præsentia.Prouerbio dicitur,*Barbam hominis miracula operari.*

*2.*Simultas* quædam inter Spiritum-sanctum & Christum,quasi præsentiam Christi in terris ille defugeret;nolletque,nisi illo absente,venire,vt agnus, ouile,præsente lupo, non ingressurus; aut felis domum,præsente cane;aut accipitre, imbellis columba caueam suam.

Gentes ponunt Discordes Deos.

Sed absit hoc Auditores,Absit.

*j.*Nam odisse* non potest Christus Spiritum de quo conceptus est,quâ homo est: Nec ille Filium, à quo processit.

*ij.*Sed & tres* Trinitatis personæ, non modò vnum dicuntur ratione substantiæ, sed etiam aspectu concordiæ mutuæ,ex mente Gregorij Nazianzeni.

Tribus,idem velle ac nolle est.

Charitas essentialis capax odij esse non potest. *Deus autem charitas est.*

*iij.*Ruerit* mundus, hoc posito.

*3.*Loci occupatio*,qua fiat, vt alteri propter alterũ locus desit,vt in lectis,in spectaculis,in mẽsis,&c.

Absit.Nam vnica trium est substantia. Nec locum sic implet Deus,vt res corpulentæ.

Et alter in altero est totus. *Per vnitatem naturalem, totus Pater in Filio & Spiritu-sancto est; totus Filius in Patre & Spiritu-sancto est; totus quoq; Spiritus-sanctus in Patre & Filio. Nullus horum extra quemlibet ipsorum est.*D.Aug.lib.1.de fide adPetr.c.1.tom.3.

In Patre totus Filius;& totus in Verbo Pater. Hymnus Eccle.

* 4. *Impotentia Spiritus-sancti*, quasi vinclo sic inclusi, vel exclusi, vt egeret Christo liberatore.

Absit. Deus intra, & extra omnia est.

Trium æqua potentia est.

Quid ergò indicatur his verbis? dicam, Audite: sed mementote interim duorum discessuum Christi superius à me positorum.

Si de abitu mortis sermo est; indicatur necessitas { 1. *Meriti ante præmium;* 2. *Reconciliationis ante dom.*

* 1. *Meriti* ante præmium. Vix enim pretium operæ cuiquam à quoquam datur, ante operam, & opus factum: vix stipendium, ante militiam ac pugnam; vix brabium ante luctam.

Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.

Tanti pœnitere non emitur. Pœnitet enim sæpè properos illos auri numeratores, quod ipsæ operæ tibi nihil prætereà sperantes, lentissimæ fiant pigræque.

Pendent opera interrupta, minæque
Murorum ingentes, æquat aque machina cœlo. Virg.

Vel supererogationes tum ac superpondia ferè extorquent, aut opera deferuescunt.

Bene autem habet & optimè, cùm opere iam perfecto, stipendia iusta, aut pacta numerantur, vt legitur factũ ab religioso illo vineæ Domino. *Cùm autẽ serò esset factum, dixit Dominus vineæ, procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem suam.* Matth. 20.

Sat citò, si sat benè, & plenè. Quid iustius?

Sed donatiuum Spiritus S. perfectissimum ac supremum stipendium fuit, aut salarium, quod suus Christus Dominus potuit, quâ homo promereri, & quâ Deus, hic elargiri.

Ergò hic insinuat, illud ante completum suum pensum, ac plenissimum meritum, id est, ante sui ipsius in cruce oblationem & mortem, conferri non debuisse, adeoq; nec collatum iri.

De-

Debuit hic effectus esse Passionis Christi, nõ præ-
uisæ tantùm, vt quædam alia Dei beneficia, sed iam
exhibitæ. Hostimentum, tantum pro tanto; præsens
pro præsente; simul, & de manu in manum, vt aiunt.
Græca fide in re tanta fuit procedendum, id est (vt
sic dicam) præsente iàm pecunia, hoc est, merito
Christi, Spiritus-sanctus conferendus.

Ioan. 7. *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*, id est, nondum passus, gloriam enim Christi vocari crucem putat ibidem Chrysostomus. Et certè, honesta sunt omnia & glorioſa vulnera pugnantium pro Deo, pro Patria, pro Ciuium libertate, pro Aris & focis, &c.

Zophyrus Persa nobilis, naribus, auribus, labijsq; amputatis pro suo Dario deformissimus, formosior seipso integro, ante sic captã Babyl. fuit. Sedhęc aliàs.

*2. *Reconciliationis* ante donũ. Dona vix hostibus dãtur; potiùs eis sua tollũtur, spoliãtur, &c. Benè optimè res se habẽt, cũ, perfectis iam ritè pacibus, hostis hosti munera vltrò citroque mittit, dat, accipitque.

At quàm *magnæ cœlestibus iræ*, in nos mortales, ab Adæ lapsu. *Horresco referens*, imò vel dumtaxat corde volutans.

Necdum etiam causæ irarum, sæuique dolores
Exciderant animo: manet alta mente repostum
Iudicium Paridis, spretæque iniuria formæ,
Et genus inuisum, & rapti Ganymedis honores. Virg.

Eramus natura filij iræ; diris, & inferni flammis deuoti. Eramus perduelles transfugæ à castris Dei, ad castra diaboli. Qualia dona Spiritus-sancti gratiæ.

Vt talibus talia dona conferret, rebus adhuc impacatis, Altissimus? Minimè gentium. Potiùs

Pater Omnipotens adigat nos fulmine ad vmbras,
Pallentes vmbras Erebi, noctemq; profundã. Virg. 4. Aen.

Potiùs à tali progenie, *& quod habet, auferatur.*

Ergò

Ergò his verbis indicatur, prius opportuisse illi-am propitiatoriam offerri, & inimicitias illas ut-teratas, tàm capitales, in carne Christi dissolu-tum demum ad iam receptos in gratiam, ingens il-donum transmitti, quo nullum in cœlo sit melio nullum in terris salutarius.

Si verò de exitu per Ascensionem sermo iste est; indicat tum
- 1. Ordinem Dei.
  - 1. *In sui manifestatione;*
  - 2. *In suorum præparatione;*
  - 3. *In suorum consolatione.*
  - 4. *In donorum collatione.*
- 2. *Christi ad immortalitatẽ suam probandam studium.*

* 1. *Ordinem Dei* in sui manifestatione.

Omnia tempus habent.

Data tempore prosunt. Ouid.

D. Gregor. Nazianz. orat. 6. de Spiritu-sancto. *Testamentum vetus Patrem manifestò prædicabat, Filium obscuriusculè. Nouum patefecit Filium, Deitatem Spiritus ostendit. Versatur nunc in nobis Spiritus, indicationẽ sui clariorem nobis suppeditans. Non enim tutum erat, necdum diuinitate Patris accepta pro confessa, Filium palàm prædicari: nec item, Filij diuinitate nondum adhuc recepta, Spiritum-sanctum aliò nos (vt quiddam audacius dicam) pondere grauare: ne qui velut onerati-bo supra vires, vel debiliori oculo ad solare lumen dirigo, etiam de illo quod haberent periclitarentur: sed vt per accessiones particulatim factas, perque gradus (vt Dauides dixit) ac de gloria ad gloriam progressiones & profectus, lux illa Trinitatis splendidioribus* (fortè mel. splendidius) *illuceret.*

Tempus iustum datum fuit cognoscendo Patri, totum scilicet illud, quod ab orbe condito ad Christum natum, intercesit.

Cognoscendo Filio, ab Incarnatione ipsius, ad ascensionem vsque.

Cog-

Cognoscendo Spiritui-sancto, hoc nouissimum.

Adeò, vt Chrysostomus Acta Apostolorum Spiritus-sancti Euangelium appellet, vtpotè cuius penè solius ibi gesta narrentur.

Venit antecursor Ioannes, Vox, hoc tantùm: deinde venit Verbum: denique Lingua ipsa.

Singillatim, sensim, ac quasi guttatim, trium Deitas personarum cognitio hominibus oblata est.

Sic abecedarios docet, qui rectè & vtiliter docet; hodiè scilicet & aliquot posteris diebus initialē cruciculæ notā, & A, B, C, hoc tātū: post aliquot verò deindè dies, D, E, F, atque ita cętera. Nā alioqui si totum vno die Alphabetum à puerulo magister exegerit, ac postridiè collectionē litterarū, & lectionem verborum orationis Dominicę, oleum & operā perdiderit, ingenium pueri hebetauerit, &c. Nimiam vim, & copiam cuncta reformidant.

Crinitim totam equi Sertoriani caudam de pilaueris: totum Scyluri fascem sagittatim fregeris.

Quis in cucurbitam à S. Iacobi Gallicienſis peregrino allatam, aut in quamcumque oris angusti lagunculam, vinum vna totum magno impetu ex maiuscula amphora infundat? Si tentauerit, parùm infuderit, & plurimum etiam vini perdiderit. Contra sēsim ac stillatim faciat, & patienter; tandem hanc vacuauerit, istam impleuerit.

Quintil. l. 1. instit. orat. c. 2. *Ipsius Magistri (si tamen ambitiosis vtilia præferret) hoc opus sit, cum adhuc rudia tractabit ingenia, non statim onerare infirmitatem discentiū, sed tēperare vires suas, & ad intellectū audientis descēdere. Nā vt vascula oris angusti superfusā humoris copiā respuūt, sensim autē influētibus, vel etiā instillatis cōplētur: sic animi puerorū, quātū excipere possint, videndū est. Nā maiora intellectu, velut parū aptos ad percipiendum animos non subibunt.*

Rident

Rident segetes pluuijs stillantibus, flent, imbris inundantibus.

D. Chrysost. hom. 2. lib. Paralip. vbi dicitur: Et est cor Oziæ, &c. *Si paulatim ellychnio instillaris oleum satis alimoniæ dederis igni: Sin simul totum infuderis oleum, non solum non alueris ignem, verum etiam flammam, quæ erat, extinxeris.*

Item: lacte modico pueruli adhuc lallantes gaudent, fortioribus & copiosioribus cibis suffocantur.

Situla vna in puteũ mersa, altera emergit, & ad hauriẽtẽ accedit. Est rerum modus, ordo, ac vicissitudo.

* ij. *In suorum* præparatione. Etsi enim inutilẽ hostem iàm vicerat Christus, moriendo, ac resurgendo; nondum tamen hostiũ vtilium, id est, Iudæorũ perfidiam, apparitionibus post resurrectionem idoneis, retuderat; neque ipsos suos discipulos in fide Resurrectionis satis confirmârat.

Deindè, volebat, suos, à rerum corporearum amore sensili, magis auocari.

Adhuc nimio humanitatis eius spectabilis amore tenebantur. *Vide D. Bernar. serm. 6. de Ascensione Dom.*

Ergò illi ea antè adcuranda fuerunt, vt essent tãto muneri excipiendo magis idonei.

D. Gregor. hom. 30. in Euang. *Pensate, fratres charissimi, quanta sit ista dignitas; habere in cordis hospitio aduentum Dei. Certè si domum nostram quisquam diues, aut præpotens amicus intraret, omni festinantia domus tota mundaretur, ne quid fortasse esset, quod oculos amici intrantis offenderet. Tergat ergo sordes prauorum operis, qui Deo præparat domum mentis.*

Extũdẽda antè fuerat ex discipulorũ pectorib' infidelitas omnis, omnis illa in Dominũ suum charitas parũ ordinata, & adhùc nimis animalis atq; terrena.

Vndè apparet, nullã, inter Christũ & Spiritũ sanctum, simultatẽ intercessisse, ob quã abire ante eũ oporteret, quã ille venire posset aut vellet, quod alter

alterum pati non posset; sed potius summam charitatem, & vnanimitatem officiosissimam, vtpotè Christo studiosissimè parãte habitacula cõmoda, & mũda Spiritui sancto antequã aduẽtaret, instar præcursoris, castrorum metatoris, aut hospitiorum designatoris.

Ferè quod Christo Baptista, hoc Spiritu-sancto Christus fuit, ei viam parans, & faciens *prauain directa, & aspera in vias planas*, seu flabello, seu scopulis, id est, omnibus, quibus potuit, modis.

* iij. *Consolatione suorum*, quæ non danda videbatur ante desolationem, vt nec societas, ante solitatem; aut emplastrum, ante vulnus aut læsionem; aut refectio, ante ruinam & famem.

Paracletus enim idem quod consolator, & profectò vẽturus quoque ad Apostolos erat, vt consolator tristium de sui Domini absẽtia, & multis deinde pro illo aduersis. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Psal.

Tristitia autẽ illa, & aduersa, eos nõ vexabãt, quãdiu Christus inter eos medi⁹ ac cõspiciẽdus versabatur, saltẽ tanta, vt tanto consolatore egere viderẽtur. *Numquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus?*

Recedente autem illo, tam ingens tristitiæ & aduersitatum in eos est orta tempestas, vt secundo Paracleto egerent vel maximè. *Venient autẽ dies, cùm auferetur ab eis sponsus, & ieiunabunt, &c.* Matth. 9.

Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ait Christus, ostendens se quoque hactenus paracletum ipsorum fuisse, & consolatorem.

* iiij. *Collatione donorum*, quæ à Magnatibus, & Regibus ferè non dantur, nisi cum de hoste deuicto triumphant, aut solenniter regnũ suum ingrediuntur, aut ad sessionẽ primã in throno suo admittũtur, in- [illegible]antur. &c.

Tum

Tum moneta aurea argenteaque plateatim buccim spargitur.

Sic olim Bononiæ factum, in Caroli V. Imp. strati coronatione, sub Clemente septimo.

Dicam ipsius Historici Henrici Cornelij Agrij verbis: *Armorum Rex Heraldus, cui à Burgundia nomen est, paludatus* (incedebat) *aureo argēteoque nomismate plenas bolgas* (hyppoperas alij vocant) *ab equi epiphyo suspensas ferens, è quibus ad vtraque viæ latera, cum inter eundum, inter redeundū, plenis manibus in plebē spargebat, Imperatoris liberalitatem proclamans... Erat autem nomisma, quod largiebatur, Imperatoris effigiem, cū inscriptione, Carolus Quintus Imp. Aug. ab vna parte insculptā habens: ab alia verò, eiusdem Dnus Imp. spargeticum signū, duas videlicet columnas, in quarum medio annorum Christi numerus Arithmeticis apicibus expressus erat, circumscriptumque: Plus vltra.* Hæc ille in Caroli V. coronationis historia.

Isaiæ 6. Postquam sedere visus est Dominus solio excelso, visus quoque est mittere Seraphinum, cum calculo ignito, ad labia Isaiæ perpurganda.

4. *Reg.* 2. Elias, post suum ascensum, imò raptum, in cœlum per turbinem, pallio, & duplici suo spiritu Elisæum charissimum discipulum suū locupletat.

Ergò donatiuum hoc tantum, non nisi à Christo coronato iàm & triumphante dari debuit.

Psa. *Ascendēs Christus in altū, dedit dona hominibus.*

Ioan. 7. *Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*, secundum locum scilicet, id est, nondum in dextera Patris considerat.

Sed nec ferè solent Reges ac Magnates, primi honorare muueribus subditos suos, potiùs verò postquam ipsi à subditis honoraria acceperunt.

Inescari ipsos oportet, prouocari, & præueniri.

Artaxerxes cognomento Memor, frater Cyri iunioris,

nioris, Rex Persarum, mille Daricos quidem, phialam auream, & stolam Persicam dono dedisse legitur Sinætæ cuidam rustico; ita planè, sed postquam is aquam vtraq; volâ, hausta è flumine, cui Cyro nomen erat, illi obtulerat, honorarium quale poterat aduentanti. *AElian. lib. var. hist. c. 32.*

Idem Misem nescio quem, etiam regijs muneribus ornauit; ita, sed postquàm is quoque per Persidem equitanti malum Punicum maximum in vanno obtulisset, tantulum quidem beneuolentiæ in Regem suæ, sed maximum multæ in hortum diligentiæ, testimonium, augurium verò certissimum benè amplificandæ Reip, si ei præficeretur. *Aelian. lib. 1. var. hist. c. 33.*

Oportebat ergò etiam Christum antè in cœlum abire, & quasi Deo Patri à genere humano offerri, quasi pacis reformatæ & firmatæ arrham, vt à Deo Patre vicissim nobis donum aliquod ingens remitteretur, pignus eius iam renouatæ ergà nos beneuolentiæ. Hunc cursum recursumque gratiarum vltrò citroque esse oportuit.

Par pari hodiè redditum, & verè factum repēdiū.

A decem retrò diebus, ipso die Ascensionis, in cōspectum antiqui dierum, Patris omnium, sedentis in throno, præmiserat terra nostra munus augustum, ingens, Christum Dominum: Itaque & Pater ipse, considerato doni à terrigenis sibi oblati ingenti pretio, vicissim hodiè terrigenis remisit donum planè simile, paris & ponderis & pretij, nempè Spiritū S.

Psal. *Terra nostra dedit fructum suum?*

Miseramus Deo Patri, quod fuerat in terra nostra optimum?

Quod habui summum pretium (ait ille) *persoluit ibi.* Teren. in Andr.

Vicissim Deus Pater, quod in cœlo optimum habuit, hùc remisit.

Psal.67. *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, cepisti dona hominibus*; abduxisti quos captiuos tenebres, vicisti: ipsi homines dediderũt se tibi, etiã tores & rebelles.

Datum Patri, vt daret.

Do, vt des, ait prouerbium. Excursus sit & rec gratiarum; sint charitum coniunctæ manus, & rus in orbem ducatur vt beneficiũ beneficiũ pari

Aureo illo hamo antè piscandum fuit.

* 2. *Christi immortalitatis* probandæ studium.

D. August. serm. de Spiritu-sancto. Ita factum pura vt crederemus Christum ad Patrem peruenisse, qu iàm de cœlo tale donum mittebat.

Cum venerit Paracletus, ille arguet mundum de Iustitia, mea scilicet, *quia ad Patrem vado.* Ioan. 16.

Arguet item *mundum de Iustitia* mea, qui sc. tantũ apud Patrem possim.

Sed & arguet de immortalitate mea, quam scilicet Spiritus S. à me ad vos missio testabitur. Non enim mittere, aut agere quidquã potest, qui omninò nõ est.

Talis fuit ista probatio, qualis quõdam Dorotheæ, virginis Cappadocis, Cæsariẽsis, apud Scribam Theophilum, qui se in tormentis multa de vitâ futura iactantem, amarè irridebat.

Ferunt enim certè, illam pro Christi nomine à Fabritio Præfecto diũ tortam, cùm tandem ad capitale supplicium duceretur, & diceret, *gaudere se, quod ad sponsũ iret, cuius Paradisus omnium florũ omniumque fructuũ ferax, multò amœnius, quàm dici possit, vernaret, suauiusque fragraret*, & Theophilus Scriba ridiculi causa illam rogasset, *vt cùm eò peruenisset, inde sibi rosas aliquot mittendas curaret*; promisisse ei, *facturũ se, ne quid impossibile esse crẽdentibus falso opinaretur.* Itaque postquã decollata est, Theophilo in Curia versanti, puerũ cũ recentiũ cistula rosarũ apparuisse, (&

qui-

quidē brumæ tēpore, quando nihil in aruis ſolet florere) eaſq; ipſi à Dorothea, ex ſui ſpōſi Paradiſo, miſſas dixiſſe, & obtuliſſe, ac mòx ex oculis euanuiſſe: tandēque accidiſſe, vt Theophilus, ſeriò factū videns, quod dumtaxat per iocū & deridiculum popoſcerat, quia fieri poſſe non credebat, Chriſtianus, imò & Martyr tandem, fieret, non amplius roſas, ſed lauream beatorum recepturus. *Euſeb. Cæſar. hiſt. Eccleſ. lib. 8. c. 17. & poſt eum, Marulus lib. 5. Exempl. c. 6.*

Sic Iacob Patriarchę facta fides, de vita Ioſephi ſui, crediti tamdiū mortui, cùm dona ab eo ad ſe miſſa vidit. *Geneſ.*

Sic exploratoribus, de vbertate terræ promiſſionis creditum, poſtquàm viſus ingens ille palmes cum vua ſua, vecte inde ad pop. à duob° exportatus. *Nu. 13.*

Ex vngue leonem intellexerunt, & ex gutta prægustata maris ſalſedinem.

Potuit videri tunc quibuſdam anima minimè immortalis, errore ſc. veterum, ac nouorum Epicureorum: aut ſaltem nō facilè credi ille cœlo recipiēdus, & apud Deum Patrem multum autoritatis habiturus, qui paulò antè fuiſſet ſic in crucē actus à ſuis, à populi primoribus, &c. vt vt anima eius eſſet immortalis.

Ieſus enim *crucifixus Iudæis ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia.*

Ergò his erroribus refellendis, nō debuit Paracletus antè mitti, quàm Chriſtus abîſſet, cœloque receptus eſſet, vt ab illo & immortali, & glorioſo miſſus eſſe crederetur.

Ioan. 16. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, ille me clarificabit*, hùc ſpectat.

Cæterùm cōmodè, nec abs re hîc (etſi extra rē) quoniam Paracleti nomē iā aliquoties vſurpaui, hodieq;, & toto deinceps octiduo, in officio diuino ſæpè vſurpatur, in gratiā ſimpliciorū aut illiteratiorū, è plebe,

cleroue, hominum, admonēdum puto, quomodo Paracleti nomen pronuntiandum sit. Sæpè enim à multis, neque ijs omninò indoctis, hic erratur.

Grammatica Theologicis adsuere nec pigeat, nec pudet, quæ sint è re Christi.

Paracletus ergò (ait Polyd. Verg.) *Græcum vocabulum est, id est* παράκλητος, *& significat aduocatum, doctorem, hortatorem, consolatorem... Et illud notissimū est, Paracletum per e scribēdum in penultima, eamque producendam: nàm si legeris paraclytū per y in penultima, facies Christum sceleratorum consocium, qui suis discipulis promisit fore, vt Pater eius nomine, talē ad ipsos mitteret doctorē: quippe paraclytus apud Græcos nomen est cōpositū à* παρὰ *præpositione, quæ prater, & κλυτὸς, quod celebrem inclytumque significat. Ergò quū ea præpositio hoc loco pro sine ponatur, & cum κλυτὸς coniuncta, pro eo quòd sine fama est ac planè infamis, nō vtique conuenit Christi promissioni. Imò atq; adeò hinc videre licet, quàm parum rectè faciant... qui ita apud Ioannem Euangelistā legunt: seu quàm turpiter peccent, qui etiàm de errore moniti, tantùm abest, vt velint rectam tenere viam, perindè quasi non veritatis, cui Christus sese comparauit, quū dixit, Ego sum Via & Veritas, sed consuetudinis, quamuis deprauatissimæ obseruatores esse debeant, &c.* Polyd. Virgil. lib. 5. de Inuent. c. 13.

Scandalo sunt, qui eiusmodi sunt, doctioribus auditoribus, tàm bonis, quàm malis, opinātibus aliquēdo vel idcircò, nihil Monachis ac Sacerdotibus esse indoctius. Docti nomen magno multoq; constat; indocti, puncto aut syllaba.

Certum est, maiores nostros sanè doctissimos, & linguarum interpretes, benè pronuntiasse, à quibus piaculū est, in deterius degenerare, si Spiridioni, Tremithūtis in Cypro insula Episcopo, non ferendū visū est, a non malo ad melius, per nouitatem ascendere.

Ferunt

Ferunt enim, cùm aliquandò Cyprij Episcopi, alicuius vtilitatis gratia conueniissent, & collecta celebraretur, iniunctũ fuisse Triphyllio Episc. Ledresli, viro eloquentia & sapientia claro, vt concionem haberet ad pop.cumq; ille locus in mediũ veniisset, *Tolle lectum tuũ & ambula*, & Triphyllius mutans nomen, *cubile* pro *lecto*, dixisset; Spiridionem etiam tum præsentẽ indignatum in eum, &, de cathedra Sacerdotali exilientem, dixisse; *Tu melior es eo, qui lectũ dixit, quia eius verbis vti vereris?* Hoc autẽ fecit pop.conspiciente, mediocritatẽ docẽs eum, qui eloquij supercilio præsumebat. Erat enim idoneus ad pudorem incutiendũ, cum esset venerandus, & operibus glorioſus, simulq; senex æuo, atq; Sacerdotis officio. *Sozo.li.1.c.10.hi.tri.*

Quid (si renascatur) dicturus sit Spiridion, malè mutantibus nobis Paracleti quantitatem, & cũ ea honorabile significatũ eiusdem vocis, in blasphemiam?

Incredibile, quantillo momento, quantum vocum significata mutentur, vt literulę ademptione, spiritus additione, quantitatis mutatione, &c. Lapis, apis erit, si solũ l tollis: ex arcâ, hara fiet, si adspirabis: homines in arbores mutabis, si quãtitatẽ populi voce mutaueris. *Pópulus est arbor: populus collectio gentis.*

Hinc illud Gallorum prouerbium: *Propter vnum punctum Martinus perdit asellum.*

Nec hic audio obiectantes Lantfranci factum, aut aliud D. Thomæ Aquinatis, illi persimile.

Lantfrancum enim ferũt, virum omni scientia sæculari perfectè imbutum, quũ Monachus in loco Herliuini ad mensam legeret, & inter legendum dixisset, vti oportebat, sed tamen Priori tũ præsidenti, homini scilicet illiterato displicuisset, & aliter dicere ab illo iussus esset (velut si dixisset *docêre*, vel *obêdit*, media lõga, sicut est, Prior autẽ breuiare imperasset) tũ illũ vt sapientẽ, & nõ ignarũ, obedientiã nõ tã Donato debe-

 ri, quam

ri, quâ Christo, dimisisse quod benè pronũtiauerit & arbitrio Prioris dixisse, quod se non rectè dicentiebat. *Trithemius li.2.de viris illustribus Ord.S. Benedicti, c.99. Simile narratur de D.Thom.Aquin.in vita ipsius gestis Lantfranci Cantuariensis Episc. apud Vincent. histor.lib.25.num.36.* Non audio, inquam, ista hic.

* j. *Nam ibi*, ex obedientia laudabili ita factum: hic, aut ex incuria, aut insciti a, & moris ordinisque maiorum culpabili negligẽtia. Ibi obedientia, hic inobedientia.

* ij. *Aliud* in Refectorio, in mensa labi, corã paucis monachis, partim doctis, partim indoctis, omnibus tamen eiusdem propositi, & vim obedientiæ æquè intelligentibus, & indè scandalum nõ passuris; *aliud* in Templo coram tota Ecclesia, non tantũ Clero, sed etiã Laicis, plerisque etiam sæpè aduersæ Religionis (nam tum patet Ecclesia vniuersis) ideoque indè facilè vel Clerum, vel Catholicos vniuersim, ac eorum sacra & scita, contemturis.

Multis fraudi, atque ignominiæ est non rarò, vel vnius ex eodem grege ignorantia.

Et crimine ab vno, Disce omnes, ait ille. Vir.2.Aenei.

* iij. *Aliud*, mutari quantitatem, manente sensu: *aliud* sensu etiam corrupto, vt in Paracleti vitium contingit.

* iiij. *Aliud*, mutari sensum, sed in sensum æquis bonum, aut non malum; aliud in sensum impium, & in blasphemiam, vt fit, cum Paraclytus penultima breui pronuntiatur.

Itaque aueam, voueamque, in Templis esse, vt correctores chori ad cãtum, sic & ad rectam decentemque lectionem: item in Monachorum Cœnaculis seu Refectoriis, qui multorum Præsidentium, alioqui sanctorum, sed indoctorum vice, rectè corrigendis mensæ lectoribus vacent, ne dùm vel malè legit Lector

ctor mẽsæ, vel Præses indoctus aut omninò tacet, aut malè corrigit (vt sæpè fit:) vitiosas quantitates pro veris & probatis, auditu cæteri imbibãt, saltem iuniores. *Nox nocti si indicet scientiam*: & *si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt* Matthæi 15.

Sed de his fortassè nimis multa; ad rem ipsam ergò reuertamur.

Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifaciam.

II.

Cùr hodie præcisè missus: cur triplici specie, Venti, Ignis, & Linguarum; & quid in Apostolis effecerit.

Dilatum autem hoc tantũ beneficium in hunc diem Pentecostes, id est Quinquagesimæ, seu *Quinquagenariæ* (sic enim *Latinè dici potest, quòd, vsque ad hanc celebritatẽ, à Resurrectione Domini, interfint dies quinquaginta*, ait Polydorus Virg. loco citato) non frustrà.

Factum ità studio { 1. *Conformitatis*; 2. *Significationis*; 3. *Publicationis*.

* 1. *Conformitatis*, vt quo die, & interuallo à liberatione ex AEgypto, Lex vetus data Israeli, in monte Synai; eodem daretur Christianis in monte Sion lex noua, veteris obscuræ, mutilæ, rigidæq;, clara interpres, integrans, & mitigans, Notario aut Scribâ, ipso Spiritu sancto, inscribente eam, non iam æreis & lapideis tabulis vt tùm, sed *tabulis cordis carnalibus*, aut cereis.

Vt quorundam saltem Festorum communione Iudæis coniungeremur.

Festorum dierum apud Iudæos; tres isti illustrissimi fuêre; vtpotè quibus quotannis omnes virilis sexus cõuenire Ierosolymos, ex omnibus Iudææ finibus, vt sacris interessent, tenebantur;

1. *Pascha*, seu Agni immolatio & comestio, veteris migrationis publica festiuitas, à barbarâ Pharaonis in Ægypto seruitute ad festum in Lunam Martij, sexto lo nouo Mosaico, primi mẽsis, qui Nysan deindè est adpellatus, 14. incidebat.

2. *Pentecoste*, id est, memoria Legis Mosaicæ diuinitùs acceptæ in mõte Sinai, quinquagesimo, post excussum seruitutis iugum, die. Incidebat in sextum diem, mẽsis Siuan, qui respondit Maio: vocabaturque alio nomine *Festum hebdomadum*, seu Septimanarum. 2. *Mach.* 12.

3. *Scenopegia*, id est, festum Tabernaculorum, quo tempore, quod 40. annos olim vixissent in deserto, sub tentorijs, tabernaculis, casisque tumultuariè erectis, octo diebus, sub vmbraculis è quercu virgulto & thyrso excitatis agebant. Incidebat in mẽsis Septembris quintum decimum, alioquin nomine dicebatur *Collecta fructuum*, vt distingueretur ab illâ alterâ collectâ frugum. *De hoc festo agitur Leuit.* 23. *Num.* 29. *Deuter.* 16. *Ierem.* 8. *De his festis, vide Carolum Sigonium de Rep. Hebraeorum lib.* 3. *c.* 9. *& seqq.*

Ex his Iudæorum festis, duo nobis Christianis remanserunt, sed ab alijs, & ipsis melioribus causis.

Pascha

Pascha quidem, à iugo Diaboli, per Christi mortem ab animis nostris excusso, & transitu *in libertatem filiorum Dei*. Facti enim tùm sumus ex *filijs iræ*, filij gratiæ, ex Inferni titionibus, igni deuotis, & vilissimis Diaboli mancipijs, Cęli hęredes, filij Dei &c.

Pentecoste autem, à Lege gratiæ, seu spirituali, cordibus nostris, per Spiritum-sanctum, Dei digitum, hodiè inscriptâ.

Pascha autem nostrũ in idem tempus, cum Paschate Iudæorũ, inciderat. Incidere ergò voluit Deus & Pentecósten nostrã, cum Pentecoste Iudęorum, septimâ scilicet Dominicâ ab ipso Resurrectionis die.

D. Aug. de spiritu & literâ capit. 16. *Dies enim quinquaginta cõputãtur à celebratione Paschæ, quæ occisione figuratæ ouis per Moysẽ fieri præcepta est, in significationẽ vtique futuræ Dominicæ Passionis, vsque ad diẽ, quo Moyses legẽ accepit in tabulis digito Dei conscriptis. Similiter ab Occisione & Resurrectione illius, qui sicut ouis ad immolandũ ductus est, quinquaginta diebus in vnũ cõgregatos fideles digitus Dei, hoc est Spiritus-sãctus impleuit.*

Synagogâ solitis ritibus memoriam datæ sibi legis refricante, & quasi terminante, datum nouæ legi, id est Euangelio, principium.

Benè tùm *cœpit Deus* legẽ nouã autorare ac firmare, *vt ipse se ostẽderet Creatorẽ, qui opera operibus intexeret, & prosequeretur opus, quod ipse iàm cœperat: vt si faber domũ renouare disponat, nõ à fundamẽtis, sed à culminibus incipiat soluere vetustatẽ. Itaque ibi prius manũ admouet, vbi ante desierat.* D. Amb. lib. 4. in Lucã sub finem, sed de sabbato loquens, & Socru Simonis curata à febribus.

Lex in monte Sina; spiritus in monte Sion;

Lex in vertice montis; Spiritus in monte, in culmine domus, in cœnaculo.

Lex 50. die; Spiritus in Pẽtecoste, seu Quinquagesima.

* 2. *Significationis.* { 1. *Remissionis peccatorum;* 2. *Libertatis;* 3. *Restitutionis veterum iurium.*

* j. *Remissionis* peccatorũ. Nàm vt in veteri legimus quinquagesimus seu Iubilæi erat totus Indulgentiæ, & inusitatæ Clemẽtiæ; sic hæc Spiritus-sancti fusio in die Pentecostes, tota erat Iustificationis, & Purgationis gratuitæ.

Baptizabimini Spiritu sancto, nõ post multos hos dies.

Hinc Ecclesia in Hymno: *Solennis vrgebat dies,*
Quo, mystico septemplici,
Orbis volutus septies
Signat beata tempora.

De septenario numero sacro, vide apud Greg. Nazianzenum orat . . . . de Pentecoste. Item apud Macrobium lib. 1. in Somnium Scipi. cap. 6. rarissima.

Per septenarium numerum ferè omnem perfectionem intelligimus, quòd sicut is claudit omne tempus, & perficit: ità septem dona Spiritus-sancti perfectionem omnigenam important. *Vide & Ioannem Picum Mirandulanum in Quæstionibus.*

* ij. *Libertatis.* Sicut enim anno illo Iubilæi seu quinquagesimo, Iudæi more maiorum, fratres suos emptitios, qui in seruos pretio se illis vendiderant, manumittere tenebãtur, & pristinæ libertati reddere; sic vt nos à iugo dæmonis per Spiritum-sanctũ liberandos, & libertate filiorum Dei donandos, congruentius significaretur, dilatum istud donatiuum in hunc diem.

Vbi spiritus Domini, ibi libertas.

Rom. 8. *Non accepistis Spiritum seruitutis, iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater.)*

O pretiosam, & iucundam libertatem.

Ista *Non benè pro toto libertas venditur auro.*

O, *Nolite*

O, Nolite iterùm iugo seruitutis contineri.
Sit, vinctos semel esse satis; *satis vna, superque*
Vidimus excidia. Virg. 1. Aeneid.

*iij. *Restitutionis* veterum iurium, vt domûs, aût agri &c. olim venditorum, pro ratâ parte temporis. Ius enim Patriæ hæreditatis, quolibet anno quinquagesimo reddebatur.

Vt ergò Cœli ius olim peccato maiorum nobis ereptum, Spiritûs-sancti aduenientis gratiâ nobis redditum iri aptius signaretur, hic dies mittendo Spiritui præstolandus fuit.

Gratis venundati, gratis & sine argento redimemini.

*3. *Publicationis*, vt non vni solùm vrbi tantum Dei donatiuum innotesceret, sed toti terræ Iudæorũ, imò toti orbi, per aduenas illic infinitos, & sũmã, illâ solẽnitate, Ierosolymis pop. frequentiã, in reditu ad suos longè lateque tàm insolitæ rei famam diditurã. Etsi hæc causa non præcipua sit (vt vult Caluinus.)

Quæ enim gens ignoraret, quod Ierosolyma tanto festo didicisset?

* *Item:* Vt quasi ad lapidem Lydiũ, multarum gẽtium illùc coactarum auribus probarent, se varijs linguis incorruptissimè loqui.

Vt Christus nasci voluit, omnibus vndequaque, ad descriptionem, ac censum ab Augusto imperatum, ad Metropoles suas, conuenientibus: sed & crucifigi Paschalis festi frequẽtiâ, vt tantas res nemo nesciret: sic vt lõgè lateque spargeretur, nõ solùm doni fama, sed & Spiritus-sancti, personæ in Trinitate tertiæ, hactenùs satis inauditæ, notitia, expectatus festissimus dies Pentecostes.

Neque, si Spiritus-sanctus est, audiuimus. aiũt illi. Act.
Spiritũ S. Sadducæi prorsùs nõ putarũt, sicut nec Angelos, nec Resurrectionẽ. Gre. Naz. orat. 6. de Spiritu-S.

Vt *Deum*

Vt *Deum esse*, sit *vox naturæ* (vti ait Damascenus lib. 1. de fide Orthodoxa:) & vt de Filio Dei aliud nôrint Philosophi, Trismegistus enim dixit: *Mens genuit Monadem*, id est, Deus Deum: & D. Augustinus in libris Confess. legisse se memorat in libris Platonis, quædam illi Euangelio Ioannis *In principio erat verbum &c.* valdè conformia: de Spiritu tamen Sancto nihil prorsus intellexerunt.

Opportunitas ergò ista publicādi illius toto orbe, commodè est expectata.

At cùr hàc trina specie, (inquis) { 1. *Venti?* 2. *Ignis?* 3. *Linguarum?* } trium rerum omnium violentissimarum?

Cur Deus *amictus lumine sicut vestimento? Psal.*

Dicam. Trium violentissimorum specie personatus venit, ad significādam tàm diuinam venientis potentiam omnia donātem, quàm vires, quas erat Apostolis, & eorum posteris ac vicarijs, hodie collaturus.

Quid fortius { 1. *Vento?* 2. *Igne?* 3. *Linguâ?*

* 1. *Vento*, qui terræ viscera inclusus vi erumpit, subuertit turres, montes, vrbes, quin sæpè commouet orbem totum, vt memoria nostra anno 1580. Aprilis, qua de re adolescens adhùc in Houdano Montensi vidi. Iusi, vtens tùm Præceptore Poeta laureato:

aprILIs seXto treMVIt conterrItate LLVs,
(horresCo referens) CeVratIs aCta noto.

Ventus non nunquā Turres, Pyramides sacras, quālibet multo æris Campani pondere graues, Arces, Vrbes totas subruit, quasique dorso suo ità excutit, vt sternax equus sessorem suum.

Ventus naues iàm per se grauissimas, sed & saburratas, impositoq; onere grauiores, tāquam floris lanuginē, bullā, aut pulli nascentis plumas mouet, ac vel sagitta Parthica ocyus quolibet exsufflat.

Vertit, euertit, Argos, Centauros, naues maximas facilius, quàm tu pilam palmariam.

In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis. pſal.

Ludit in humanis ventoſa potentia rebus.

Ventorum curſus impediri aut ſiſti ſic nõ poteſt, vt vis aquarum, obicibus oppoſitis; ignium, aquis ſuperfuſis. *Fit via vi* ventis.

Pro ventorum etiã varietate, qualitas temporum variatur.

Hyeme, Aquilione ſpirante, ingruũt tempeſtates, ac curſus fructuũ terræ mòx ſiſtitur: Aeſtate, Auſtro ſibilante redit ſerenitas, totaq; terræ facies renouatur; prata ridẽt, hilareſcũt ſegetes, horti refloreſcũt.

Luc. 12. *Cùm videritis Auſtrum flantem, dicite, quia æſtas erit.*

Cant. 4. *Veni Auſter, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.*

* 2. *Igne.* Is enim omnia ſoluit, & conflat.

Igne, lapides in æs ſoluuntur.

Ignis ferrum, æs, chalybem domat, & liquat.

Quin etiàm tandem domitũ iri *ſæculum per ignem* quis neſcit?

Ignis ſupplicium, perdomandis Dæmonibus decretũ, & peccatoribus obduratiſsimis, quos non anni domuêre decem, non quæuis flagella & malleationes, non vlla beneficia.

Ignis, ferrumq́ue, minæ Regum iratorũ extremæ.

Nabuchodonoſori nihil viſum igne potentius euincendæ trium adoleſcentulorum conſtantiæ, nihil Decio debellandæ Laurentij firmitati.

Hæretici terrore ignium compeſcuntur.

* 3. *Linguâ. Linguam hominum nemo domare poteſt.* Iac. Sæpè, quod nulla vis poteſt, poteſt vis linguæ in vtramque partem.

Pyrrhus Epirotarum Rex, Linguâ vnius Oratoris ſui

ſui Cineæ, plures vrbes genteſq; victas; quàm Lucius haſtâ, aut ferro ſubactas numerabat.

Lingua tertia multos commouit.

Ergò, quoniàm qui hodie veniebat erat fortissimus, fortiſsimoſque erat effecturus Apoſtolos, ideo hoc triplici ſchemate perſonatus adparuit.

Signa ſacramentorum ſpectabilia, in adſpectibili & inuiſilis gratiæ, quàm denotant, habere oportet ſimilitudinem quàm expreſsiſsimam.

Confirmatio iſta Apoſtolorum fuit (*donec induamini virtute ex alto*, dixerat Chriſtus, de alio re & hoc tempore loquens:) itaq; ea gratia rebus fortibus fuit adumbranda.

Pſal. 74. *Ego confirmaui columnas eius.*

Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.

Luc. 21. *Dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere omnes aduerſarij veſtri.*

Ierem. 1. *Ego dedi te hodiè in ciuitatem munitam, & in columnã ferream, & in murum æreum, ſuper omnem terram, Regibus Iuda, Principibus eius, & ſacerdotibus & populo terræ. Et bellabunt aduerſũ te, & nõ prævalebunt.*

Ergò commodiſsimè Ventorum, Ignium, Linguarumq; ſpecies hûc quæſitæ. Sed paulo latiùs de Igne & Linguis cenſeo nùnc dicendum.

Species ergò Ignis ſumpta optimè congruebat { 1. *Naturæ diuinæ;* 2. *Perſonæ ſpiritus-Sancti;* 2. *Effectis.*

* 1. *Naturæ diuinæ* Ignis certè excellit omnia elementa. { 1. *Specie.* 2. *Ordine,* 3. *Virtute.*

* 1. *Specie*, non enim eſt pulchrius elementum, vt cuius pulchritudine illecta animalcula circumuolitando pereunt, infantuli alludendo comburuntur.

D. Franciſcus ſic alloquebatur: *Mi frater ignis, præ cæteris rebus æmulandi decoris, virtuoſum, pulchrum, & vtilem*

vtilem,te creauit Altissimus. Bonau. c.5.vitæ eius,§.8.

Ignẽ à Prometheo è cęlo allatũ primũq; visũ Satyrus cõplecti volebat,& exosculari.*Eras.l.*8.*Apopht.*

* ij *Ordine.* Est enim elementorum sublimissimũ.

* iij *Vigore.* Nullum enim elementum illo actuosius:nulli cedit agendi vi,& facultatibus.

At quidDeo aut Speciosi⁹,autExcelsi⁹,aut Potẽti⁹?

Adeò naturæ diuinæ repræsentandę Ignis congruit,vt etiàm quædam olim Gentes Ignem pro Deo coluerint.

Nunc Rex Romanorum secundus instituit, vt Ignis perennis,tanquàm imago virtutis æternæ, & rerum omnium principium,coleretur.

Virgunculas teneras eius custodes ac Sacerdotes esse voluit,Vestales appellatas,inter sextum & decimum ætatis hùc delectas,quas & stipendio publico donauit, priuilegiis etiam honorauit populus Rom. quam maximis, quale imprimis fuit, vt mors ei remitteretur, cui capitis damnato, & ad supplicium iàm eunti Vestalis aliqua occurreret atque interueniret,si tamẽ casus,non studiũ,occursũ illum feciſſet.

Nec tu aliud Vestã,quàm viuam intellige flammam. Ouid.lib.6.Fast.

Quin imò hanc vnam ex Diis penatibus esse volunt,quos AEneas in Italiam Troiâ auexit, qua de re Virgil.2.AEneid.

Sic ait,& manibus vittas, Vestamque potentem,
AEternumque adytis effert penetralibus ignem.

Cui sententię non obscurè adstipulatur &Liuius, cùm Vestæ sacra vetustissima esse adserit, & ab Albanis accepta,à Numa autẽ Pompilio primùm Romę instituta,multisque cæremoniis facta venerabiliora.

Chaldea quoq; superstitione Ignis adoratur,vt patet ex iis,quę deAbrahami fortitudine,&causaChaldææ ab illo relictæ,à cõmentatorib⁹ genes. tradũtur.

Per-

Perfica olim consuetudine etiam circumfertur sacer Ignis, quem adorabat populus, agebant tercentí sexagintaquinque Sacerdotes (numerus diebus anni congrueret) vt certa gerebant namenta.

Precor vos per Deos patrios æternumque ignem, præfertur altaribus, fulgoremque Solis intra finesque mei orientis, aiebat Darius milites alloquens. *Curtius lib. 4. hist.*

Adeò diuinitatis proprium symbolum est Ignis, vt dixerit Pythagoras: *Numquàm loquaris de Deo sine lumine*; quin & nos Romanè Catholici, causam eam reddimus, cur Missa sine lumine non sit celebranda, quòd scilicet signet Dei in Eucharistia præsentiam. *Ignis in altari meo semper ardebit.*

Quin & ipse verus Deus noster frequentissimè in igne hominibus apparuit.

Moysi, in rubo ardenti, sed incombusto. Exod. 3.

Pop. Israel in monte Sinai, cùm leges ferret, & tabulas Moysi daret. *Ostēdit tibi Deus ignem suum maximum, & audisti verba eius de medio ignis.* Deut. 4.

Erat autem species gloriæ Domini, quasi ignis ardēs, super verticē mōtis, in conspectu filiorum Israel. Exod.

Et in itinere per desertum, *in columnâ nubis loquebatur ad eos.*

Quidā etiàm Ignis dici voluit Deus verus, & ab igne nomen habere.

Deus noster ignis consumens est, consumens inquā omnem peccatorum scoriam, & rubiginem. *Deut. 4.*

Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur? Luc. 12.

Vt Prometheum Poetæ fingunt cœlo illatum, ignem ibi à Sole suffuratum esse, terris intulisse, luteumque suum hominē illo animâsse; sic verum est, nos à Christo è cœlo in terram delapso accensos nouo igne

igne charitatis, à quo antè igneo animę vigore donati fueramus. *Ipsę illuminat omnem hominem venientē in hunc mundum.* Ioan. 1.

D. Greg. Nanz. orat. 5. seu de Filio 2. *Dei vocabulū .... vel à currēdo, vel vrendo deducunt homines in hoc genere elegantes, propter motus perpetuitatem, & quod habitus vitiosos consumat: (hinc enim fit, vt dicatur ignis edax &c.)*

Natura autē diuina rectè adsimilatur Igni, maximè ob eius
1. *Incorporeitatem;*
2. *Vitalitatem;*
3. *Puritatem;*
4. *Nobilitatem;*
5. *Actionem potentem, ac multifariā.*

* *1. Ob Incorporeitatem.* Vnum enim illud omnium elementorum est subtilissimum, in omnibus, & per omnia, sine permixtione funditur; illabitur densissimis, vt ferro, æri, chalybi: secerniturque à rebus omnibus, neque vllius corporis causa materialis est.

Nataque de flammâ corpora nulla vides. Ouid. lib. 6. de Fastis.

Subtiliorem omnibus alijs rebus corporalibus, & naturæ spirituali proximum dicit Dionysius Hierarchiæ Angel. cap. 12.

Haud cognoscitur ipse per se, nisi adhibeatur materia, in quam vim facultatemque suam exerceat; teneri, vinciri, cohiberi, misceri, videri non potest. Medius censetur inter visibilia & inuisibilia.

Incorporeitatis eius clarū testimonium est, quòd semper sursùm fertur, nec humilitatem vllam ferre potest, leuissimum scilicet elementorum: fornacibus & fornicibus inclusus, viam vi sibi in sublime facit, & celeritate magnâ præditus est. Nàm grauiora, & magis corporea deorsùm feruntur, tardeque mouentur.

Ignis nullo pondere est præditus. Ari. l. 4. de Cęlo, c. 4.

Est autem autem Diuinitas planè incorporea & summè spiritalis substantia.

Itaque rectè Lyranus noster, Doctor literalis, in Exodum scribens, docet idcircò Deum in specie ignis, qui non est figurabilis, Moysi apparuisse, quòd populus Israel cum AEgyptijs multum diuque versatus, ad Idololatriam pronus esset.

Ignis inextinctus templo seruatur in illo.

Effigiem nullam Vesta, nec ignis habent. Ouid. lib. 6. Fast.

*ij. *Vitalitatem.* Heraclitus enim Ignem prodidit rerum principium. *Lucret. lib. 1.*

Cic. lib. 3. de Finib. *Sed omnia vestri, Balbe, solent ad igneam vim referre, Heraclitum vt opinor, sequentes.*

In totâ rerum naturâ, nihil maiorem vim mouendi igne possidet: omnium autem rerum ortus, aut motus est, aut motu constat: reliquæ verò materiæ partes calore deficiente otiosæ iacent, ac veluti mortuæ, igniquè vim, tamquàm animam desiderant, atque ea quocumque modo accedente, ad agendum ipsæ & patiendum aptæ fiunt.

Plutarch. tom. 1. vit. in Camillo.

Sine solis igneo calore neque nasci quicquam, neque augeri potest. Lactant. lib. 1. institut. capit. 12.

Calore, quasi quodam igne, fouemur, & animamur omnes in matrum vteris, aues in ouis ac medulis: vt contra eius abitu ac defectu exanimamur.

Antiquantur vniuersa & deficiunt, quæ virtute igneâ non seruantur, vt patet ex senibus, cum calore naturali, vt quondam Dauid ipse, deficiuntur.

Animam quidam igneum vigorem adpellant.

Zeno Stoicus, Ignem. Cic. 1. Tusc.

Hinc Poetæ Prometheum fabulantur, ferulâ ignem è cœlo furtim terris intulisse, & luteum suum hominis

hominis simulachrum illo animâsse.

Cùm enim in cœlo corpora omnia cœlesti igne animata vidisset, ferulam rotæ Solis admouit, eaque succensa ignem terris intulit, eoque luteum hominis simulachrum à se formatum ad vnguem, animauit: quod nostræ scriptuuæ dicunt: *Inspirauit Deus in faciem eius spiraculum vitæ &c.* Genes.

A Veteribus institutum est, vt sacramento ignis, & aquæ, nuptiarum fœdera sanciantur; quòd fœtus animantium calore & humore corporentur, atque animẽtur ad vitam.

Lactant. lib. 2. de Instit. cap. 9.

Ignis elementum *soli homini datum. Nos enim quoniam cœleste, atque immortale animal sumus, igne vtimur; qui nobis in argumentum immortalitatis datus est: quoniam ignis è cœlo est. cuius natura, quia mobilis est, & sursum nititur, vitæ continet rationem.* Idem, ibid.

Hinc mortuos, vulgò extinctos Latinè dicimus, metaphorâ ab igne ductâ, quasi viuat homo cùm adhùc ignitus est; intereat, cùm igne est destitutus.

Et nonnunquàm morientium animæ videntur emigrare, radioli, aut faculæ instar.

Vitalis spirituum vis
Flammarumque, animæque vices & nomina supplet.

Interpres Bartasij lib. 2. hebd. 1.

Virg. 4. AEneid. de Didone:

Iris *dextra crinem secat: omnis & vnâ*
Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit.

Anima recedente corpus frigere, quid est, nisi testimonium locuples, animam ad igneam naturam accedere?

Et quid est Amor, cuius ope generamur, quàm

ignis quidam, duos sic vniens & copulans, vt vnus indè resultet? *Homo hominem generat, & Sol.*

Prou. est: *Ignis media vita.*

Quàm multa animalcula videmus nasci, è lunae cadaueribus solis ardore calefactis.

Imò fuêre, qui homines primos sic natos affirmarint.

Anaximander nescio quis Milesius, & Empedocles in hac hæresi fuêre.

* iij. *Puritatem. Aer, Aqua, Terra putrescũt, cùm sint Ignis pastus,* ait Arist. lib. 4. Meteor. c. 1.

Ignis verò vnus non putrescit, quià est calidissimus, siccus, & incontaminatissimum omnium elementorum, adeò vt Ignis symbolum vt ipsius puritatis. Aegyptij enim hieroglyphicis suis rem purã, imò sordes omnes depurgantem, expressuri, Ignem pingebant.

Puritatis argumentum est, quòd vnicum elementorum nihil nutriat.

Item quòd illabatur & penetret, vniuersa.

Imò omnia purgat, & ἁγνιστικον quoddam est, id est, purgandi vim habens.

Excoquam ad purum scoriam tuam.

Ignis metalla, quæ non vorat, purgat. Aurum enim ignium vi fieri pũrius nemo ignorat.

Igne quoque purgatur ager lenticosus.

Fulgure percussum animal venenosum, veneno exuitur. *Seneca Plin.*

Igne fiunt lustrationes, & Februationes.

Purgationes, quas catharmos vocant, non citra ignem fiebant.

Plin. lib. 26. hist. nat. c. 27. *Pestilentiæ, quæ solis obscuratione contrahitur, ignis fussitum multiformiter auxiliari certum est.*

Ignibus purgatorijs etiàm nùnc scoriæ peccatorum no-

nostrorum post hanc vitam excoquuntur.

Nouissimè & *sæculum per ignem* purgabitur, vt olim Pentapolis Sodomorum.

Matth. 3. *Ipse* Christus *baptizabit vos in Spiritu S. & igni.* Quo ex loco Seleuciani & Hermiani quidam Hæretici crediderũt, ignem Baptismi esse materiã, & in ipso baptizabant. *Vide Alfonsum à Castro tit. Bapt. hær.* 1.

At quid Diuinitate ipsa purius aut simplicius?

Ergò rectè in Igne datus Spiritus S. Deus.

* iiij. *Nobilitatem.* Est enim elementorum sublimissimũ, vt cui cætera, quasi in subsellijs & ad pedes, subsidunt, aut subiacent, quodq; si aliis fortè per vim aliquandò supponi cõtingit, per media ipsa vi maiore perrũpit, donec in centrum, velut in tribunal ac quasi solũ suũ, ascẽderit ac resederit, vndè cætera despicit.

Dionys. Hierarch. Ang. c. 12. *Ignis est renouatiuus omnium, naturæ custos... non recipiens ignominiam minorationis.*

In Igne principium virtutis motiuæ, mouet enim se & alia, ipse à nullo inferiori se mouetur.

Ignis in rebus omnibus est incluſus, etsi minimè id appareat, quod ex forti corporum collisione euidetur, sic enim Ignis excutitur, & ex lapidibus, & ex ferro, ex ossibus, imò verò & ex aquosis nubibus, vt patet ex fulmine.

Quis nescit, non modò nobilis, qui apud Paradinũ viderit Symbolica Insignia Philippi Burgundiæ Ducis, nempè Igniarium è silice ignem excutiens, & inscriptionem eius istam legerit, *Antè ferit, quàm flammamicet?* aut duo ligna laurea, in modum Crucis decussatæ aut S. Andreæ (vt vocant) transuersa, ignem confricta emittentia, cum hâc epigraphe: *Flammescit vterque?* sed etiàm rusticus quiuis rusticissimus?

Lapidum enim collisione, quis non in agro ignes

Suscitat extinctos, *foliisque & cortice succo*
Nutrit, & ad flammas animam perducit amici Ouid. lib.8.metam.

*Vide symbola Heroica M. Gulielmi Paradini pag.*45.*&* 49.

Collisi inter sese durius duo laurei bacilli, ex concussu reddunt (si Plinio creditur.)

Idem præstare Leonis ossa plerique autumant.

In Terrâ, in Aquâ, in Aere, in AEthere quotidie videmus illum emicare, & existere, concursione aut concussione duarum rerum violentiore.

Confrictu quamlibet lento, sed diuturniore, nihil non incalescit.

An non ergò ille verum simulacrum Dei, *sublimissimi, nobilissimi*, motoris omnium primi, *à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*, & qui in omnibus est incircumscriptus, nulli visilis, nisi per effectus? qui fons nobilitatis rerum omnium est?

* v. *Actionem potentem*, ac multifariam. *Virtuosum, pulcrum, & vtilem te creauit Altissimus*, aiebat D. Frac. *Bonau. vita c.*5.

Nihil non Igne domatur.

Excoquit saxum violentus Ignis. Pontanus.

Ignis item liquidum facit as aurumque resolvit. Lucretius lib.6. rer. Nat.

Ferrum, chalybemque non modò mollit, cereum ac' ductilem reddit, sed etiàm liquat, ac (si forte salutaris) reddit potabilem, ac fluentem.

Perpetuò alioquî duratura, *dum immobile saxum*
Accolet, Imperiumque Pater Romanus habebit, ignis edax penè momento euerterit, contriuerit, hauserit.

Quot syluas, quot palatia, quot templa, quot arces, quot vrbes heluo iste gulosissimus, iam olim-

que

que sic absorpsit, vt, vbi fuerint, ne ex vestigijs quidem possis agnoscere.

Ecquanam de re dicas?

Iamque opus exegi, quod nec Iouis ira, nec ignes. Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas? Oui. in fine Metam.

Prouerbio nostrate rectè dicitur: *Post Ignis grassationem, nullas superesse reliquias.*

Incensę vrbis domos, opesque ignis auarus habet, quas nunquam ex aluo infernè aut supernè sit reiecturus, aut ad fundum fæcem vllam remissurus.

Nil sic mortales vti incendia reformidant, & illas Samsonis faciferas vulpes, per sata domosq; grassantes. *Iudic.* 15.

Ignis in Ioabi segetes ab Absolone iectus, cogendi eius & postulata extorquendi vim habuit. 2. Regg. 14.

Nihilominùs si *destruit; ædificat* quoque, & *mutat quadrata rotundis.* Horat.

Bartasius Poetarum Gallorum facilè princeps, Ignem scitissimè vocat *Alchymistam, Fabrum, Coquum,*

Chirurgum, Fusorem, Aurifabrum, Tormentorum maiorum vel artificem vel explosorem,

Omnipotentem, Omnifabrum &c. Gul. Bart. hebdom. 1. lib. 2.

Succurrit mirari, nihil penè non Igne perfici. Plin. li. 26. nat. hist. c. 26.

Sustuleris Ignem, aut omninò toto (si fieri posset) orbe extinxeris; tùm vnà omnes artes, omnes homines, plantasque sustuleris.

Hinc, *Exulibus Ignis & Aqua interdici solebat*, quos mori Reip. expediret. *Lactant. li. 2. instit. c. 9.*

Quid igitur Deo similius Actori, Auctorique omnium? *sine quo factum est nihil.* Ioan. 1.

Ioan.15. *Sine me nihil potestis facere.*

Sap. 7. *Omnium artifex docuit me Sapientia.*

Luc.1. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

* 2. *Personæ* Spiritus-sancti, ratione { 1. *Amoris;* 2. *Sterilitatis;* 3. *Consubstantialitatis.*

*j. *Amoris.* Nàm amor eleganter ignis dicitur.

Occultum inspires ignem. Virg.1. Aeneid.

Meus ignis Amyntas. Ecloga 3.

Ignem veni mittere in terras, &c. Luc.12.

Spiritus autem Sanctus dicitur mutuus Amor Patris& Filij, vel procedens per amorem Patris&Filij, vel vtriq; charitate nos coniungens.

D. Aug.lib.6.de Trinit.c.3. *Spiritus-sanctus est summa charitas, vtrumque coniungens, nosque subiungens.* Vide Mag. sent. lib. 1.dist. 31. §. L.

Amoris casti&sancti Spiritus-sanctus per gratiam effector est,&(vt profano vocabulo piè abutar) Leno est sanctæ charitatis; Cupido castus; sanctus cordium Incendiarius;Dei cum hominibus,& hominum inter se paranymphus.

Et tui amoris in eis ignem accende, clamat ad illum mater Ecclesia.

Item; est forma atque exemplar Amoris perfectissimum. Ars benè amandi,&formula.

* ij. *Sterilitatis.* Etsi enim Ignis,vitæ omnium,(vti dixi) causa est, non tamen materialis, nec ferax, vt cætera elementa. Hàc enim nihil Igne sterilius. Fructu caret & fœtu.

Gignit Terra, gignit Aqua, & hausto Aere omnia animalia viuũt;at secundùm materiam quid nascitur, aut nutritur ab Igne? Ne ipsa quidem Salamandra.

Hinc quidam ausi vocem Ignis ità deriuare ab *In* priuatiua præpositione, & *gigno*, quod scilicet in Igne nihil nascatur.

Itaque

Itaque & illum Vestam virginem veteres adpellârunt.

Lactant. lib.1. Institut. c.12. *Idcircò virginem putant Vestam, quià Ignis inuiolabile sit elementum, nihilque nasci possit ex eo, quippè qui omnia, quæ arripuerit, absumat.*

Nec tu aliud Vestam, quàm viuam intellige flammam,
Nataque de flammâ corpora nulla vides. Ouid. libr. 6. Fast.

Sic in diuinis Spiritus sanctus solus nullam personam generat.

Personæ vni huic soli, in Trinitate, dicere affirmanter licet: *Ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero.* Isai. 66.

In Spiritu-sancto vltimus est limes ac terminus diuinæ seu generationis, seu productionis.

Tamquàm sexagenario, lex Papia fibulam (vt sic dicam) imposuit.

Spiritus quidem *Domini*, rerum initio, *ferebatur super aquas*, quasi auis quæ incubat ouis, ad rerum procreationem. *Genes.*

Et: *Spiritus-sanctus superuenit in Mariam, & virtus Altissimi obumbrauit ei.* Luc. 1.

Et: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* psal.

Non tamen idcircò Spiritus-sanctus Pater propriè dici potest, aut productor quasi è suâ substantiâ.

Sed ne quidem Pater Christi ipsius dici potest, & si, fide Apostolorum & nostra, *is conceptus est de Spiritu-sancto, natus ex Mariâ virgine.* vide Mag. sen. lib. 3. dist. 4. §. B. & C.

*iij. *Consubstantialitatis* cum reliquis personis,

contra Macedonium Constantinopolitanum Antistitem, eiusque sectatores, qui Spiritum-sanctum creaturam esse tradebãt, & à productoris essentia mouebant.

Elias Cretensis comment. ad orat. 6. Gregorij de spiritu sancto. *Quòd eiusdem sit essentiæ cum Patre, & illius Sermone substantiali.*

Deut. 4. *Deus tuus ignis consumens est*, de quo Ternium est dictum.

Effectis in Apostolis, nempè
1. *Purgationis*;
2. *Eruditionis*;
3. *Amoris, & vnionis arctissimæ cum Deo*;
4. *Vnionis, seu Concordiæ.*

* j. *Purgationis* à peccatis; Ignis enim (vti audistis) & purus & purgans.

Vt Ignis cremat, purgat, calefacit, & illuminat; sic Spiritus-sanctus, cremat peccata; purgat corda; calefacit voluntatem, & illuminat intellectum.

Baptisabimini spiritu S. non post multos hos dies.

Excoquam ad purum scoriam tuam.

Elias Cretensis comment. ad orat. 6. Greg. Naz. de Spiritu-sancto. *Quòd spiritus sanctus vim purgandi, crassasque res & prauos habitus absumendi habeat; sicut ignis materiam auro non cognatam absumit.*

* ij. *Eruditionis*, seu illuminationis intellectus, quam lux ignis significat.

Ioa. 14. *Paracletus Spiritus-sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.*

Psal. 148. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, instar columnæ ignis, Israelitas in deserto noctu dirigentis; aut Phari, errantes in mari ad portũ reuocantis.

Psal. 50. *Incerta & occulta Sapientiæ tuæ manifestasti mihi.*

Chri-

Christus multa gesit instar prudentium Imperatorum. Vt illi clausas aliquandò dant litteras & leges Tribunis, & Centurionibus, sed non antè resignandas aut legendas, quàm eò ventum sit, quò est decretum (quod Amilcar Pœnus aliquando in nauali expeditione fecit:) vel tabellas pomi citrini succo scriptas, cuiusmodi scriptura non apparet, quòd alba sit, nisi postquàm est igni admota; Sic Christus multa hactenus dixerat, & velut tabulis animorum Apostolorum suorum inscripserat, quæ nollet tamen ipsis omninò aperta esse aut planè intellecta ante certum tempus, aut quæ certè ipsi legere aut intelligere, præ mentis hebetudine ac ruditate non possent. Itaque hunc ignem Spiritus-sancti hodiè misit, & eorum pectoribus, quasi tabellis citrino scriptis, admouit, & vt interpretè dedit, cuius ope legere tãdẽ atq; intelligere, sacramẽtosas & occultas illas literarum suarum notas possent, & earum *signacula soluere*.

Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea, aiebat de lotione pedum. *Ioan. 13.*

Docentur sæpè & discere coguntur pueruli verba & res nondum intellectas, sed quas adultiores facti intelligant.

Et fuerant præterea adhùc imperiti rerum multarum, Apostoli, quarum vt apud incapaces bardosq; Christus nullam voluerat facere mentionem, curam earum totam Spiritui-sancto suo tempore reseruans.

Io. 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modò.*

Noua quoque monstra hæreseon & opinionũ erãt suboritura: nouos labyrinthos erant Dædala philosophorum & hæreticorum ingenia excitatura.

Noui casus, nouæ quæstiones, nouæ perplexitates, passim toto orbe erant emersuræ domi, foris

foris nouæ disputationes, & bella vocalia cum Philosophis nascitura adhùc inexpertis, quibus mentem domandis, soluendis, ac superandis Apostolus hinc illucque, quasi noui Hercules, destinabantur.

Hùc ergò lux ista ipsis hodiè illata est, huc olim iste missus est, cuius ineffabili potentia mox factum ex bardis heri & rudibus, hodiè doctissimi, vel in Sorbonâ doctiores, & ipso Salomone scientiores.

Chorus ille tùnc factus *sapientiæ dux est, & stultitium emendator.*

Impletum tùnc illud: *Dabo vobis os, cui non poterunt resistere omnes aduersarij vestri.*

Et illud: *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcumque solueris super terram &c.*

Est enim & *clauis scientiæ*; clauis profectò regia, vel domesticorum communis (vt vulgo vocant) omnia æquè ostia familiæ totius aperiens, non aurea illa quidem, id est, eloquens scientia, sed ferrea, id est, scientia solida, eademque commodissima. Quid enim prodest aurea, si non aperit quod volumus? quid noceat plumbea, si aperit?

O viros exiguâ suâ operâ, ac nullo pretio deperditè doctissimos. &c.

Nobis *non iacet in molli veneranda scientia lecto,*
Vt nec per ventos assa columba venit.
Ex nobis *qui studet optatam cursu contingere metam,*
Multa tulit, fecit que puer sudauit & alsit:
Abstinuit Venere & Baccho. Qui addit scientiam, addit & laborem.

Ex quo fit, vt etsi Apostolorum eruditio fuerit vberior, mirabilior, & certior; nostra tamen sit fortior, ad meritum vtilior, & glorioſior, quâ ferè differt virginitas hominum, ab illa Angelorum.

Res ista ipsis accidit non parta labore, sed infusa, & obtrusa.

Quæ

Quæ constant, aut accidunt pretio aut labore magno, magni fiunt.

*iij. *Amoris*, & vnionis cum Deo arctissimæ.

Erecta tũm phratria seu *societas ardentium*: institutus Ordo Seraphinorum terrigenarum.

*1. *Ne deinceps* ipsi peccarent, qui compescere peccata tenerentur, auerruncare, atque eruderare vastum hunc, & iamdiu senticosum, mundi agrum.

Ne suis & ipsi sordibus, & quasi fimo, Augeæ stabulum triginta totos annos irrepurgatum, quod repurgandum suscipiebant, id est mundum vitiosissimum, inquinarent.

Constitui te, vt euellas, & destruas, & dissperdas, & dissipes, & adifices, & plantes. Ierem. 1.

Et certè, exindè lætaliter peccasse Apostolos, negant vniuersi.

Decuit. *Carere* enim *debet omni vitio, qui in alterũ paratus est dicere.* Cic. in Sall.

Loripedem rectus derideat: AEthiopem albus.

*2. *Vt patriam*, & omnia pro Christo relinquerent, tota deindè vita, toto orbe peregrinaturi, & velut perpetui exules futuri, ob Euangelij vbique dissemination em, quæ sunt ingentis in Deum amoris argumenta.

*3. *Vt Christo* vni, non sibi rebus omnibus gerendis studerent; Christo, nõ sibi vrbes, populosque adquirerent; tædia pascendorum gregum fortiter deuorarent, &c.

Gregem, non se pascerent: homines, nõ res hominum quærerent, aut saluos vellent.

Petre amas me? pasce oues meas.

*4. *Vt mortis* genus nullum pro Christo reformidarẽt, Petrus, Andreas, & Philippus Crucis; Paulus Capitis; Bar-ptolomęus decoriationis &c. nõ odium omnium publicum & capitale pro veritate.

Veri-

Veritas enim odium parit. Terent. in Andr.

Fatuum nescio quem in Gallia dixisse bene verbum vel Salomone sapientissimo dignissimum & Sybillæ foliis verius, scilicet: *Quatuor Matres habas reperiri, ex quarum tamen qualibet proles nulla longè nequissima. Primam esse Veritatem, cuius proles Ira seu Odium. Alteram, Prosperitatem, cuius proles Superbia; Tertiam, Securitatem seu Confidentiam, cuius proles sit Periculum; Quartam, Familiaritatem, quæ pariat Contemptum.* Ex libello Italo-Gallico Facetiarum, mihi pag. 38. 39.

Odiorum seminarium fæcundissimum, prædicatio veritatis.

Grauis est nobis ad videndum, qui improperat nobis peccata legis, qui contrarius est operibus nostris, &c. Sap. 2.

Eritis odio omnibus hominibus; scopus publicæ non solùm maleuolentiæ, sed & maledicentiæ.

Et ex vobis morte afficient.

Ioan. 16. *Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.*

Non nisi valdè ardenter amantium est, amati gratia, in mortem certam, pudendam, & cum cruciatu tolerandam ruere.

D. Chrysost. homil. de profectu Euang. *Anima quãdo diuino amore & desiderio verè corripitur, ad nullã huius vitæ se conuertit: sed sicut mente moti, contemnunt ignem, & ferrum, & feras, & pelagus, & omnia: ità pij furore quodam maximè spirituali ac honestissimo insaniunt, deridentes omnia quæ vident.*

O si nùnc periculo capitis mitras gereremus, conciones haberemus, Missas celebraremus &c. quotiquisq; Episcopatum, vulgò bonum opus vocatum (vti reuera est) tàm ambitiosè desideraret, tam fidenter prædicaret? &c.

Quàm paucos nùnc videtis, aut auditis, vel ad fidei

desertores, vel ad Turcas prædicandi Christi causa, periculo capitis, emigrare, vt olim sæpè Franciscus noster cum suis? Tepuit scilicet,& refrixit, imò glaciata nûnc est in nobis Charitas Christi.

Ergò Apostoli,vt talia passim auderent,magnis amoris ignibus fuerunt incendendi.

Hodiè quilibet ex illo mystico Christi corpore, venis

Hausit amorifferos penitùs flagrãtibus ignes. Fr.Phil.

Inflammandi prorsùs fuêre amore Christi, & diuino quodam quasi furore dementandi, vt talia vellent.

Quòd est sæpè militibus nostris aut mustum, aut vinum Hispanicum,aut ardens vinum, seu quam aquam vitæ vocant,ad prælia aut velitationes audacius ineundas,liberaliùs bibisse; hoc Apostolis hodierna ista Spiritus S. receptio.

* iiij.*Vnionis*, seu Concordiæ,in exemplum & tesseram domesticorum Christi;ad meritum; & ad omnium aduersorum atque aduersantium victoriam.

Nàm Concordia paruæres crescunt, discordia maximæ dilabuntur, aiebat Rex Micipsa. *Sallust.in bello Iugurthino.*

Habet enim Ignis vim vnitiuam etiàm metallorũ durisimorum, & quidem sæpè toto cœlo differentium.

Et fuit profectò in ipsis Apostolis deindè vnio summa, vt vt antè aliquandò dissensionibus contendissent.

Credentium erat cor vnum,& anima vna.

Omnibus *Idem velle, atque idem nolle, quæ demum firma amicitia est.* Sallust.in Coniurat.Catilinæ.

In orbe sibi dispertiendo lis nulla,non ob regiones alias alijs remotiores,tenuiores, steriliores, efferatiores,intractabiliores,&c.

Qui-

Quilibet sibi decretam, quamlibet duram, perlibenter subijt prouinciam.

Cuiusque ipsorum, ad quemque, hæc vox erat: *ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram legeris, ego ad sinistram pergam.* Gen. 13.

Seniorem prouincias partiri patiebatur iunior; iuniorem prę eligere, senior hortabatur.

At dicas: Ecquænam (quæso) potissimè operatus est spiritus sanctus in Apostolis?

Dicam: 1. *Munditiem;* 2. *Fortitudinem;* 3. *Eruditionem;* 4. *Eloquentiã omnilinguẽ, & ardentẽ.*

* 1. *Munditiem*, perpurgando à peccatis præteritis, & à futuris tuendo.

Induemini virtute Baptisabimini Spiritu-sancto non post multos hos dies. ex alto.

Sanitatis præsentis custos & auctor fuit, amissæ reparator Medicus iste.

Ignis iste pro sacro amuleto, & gestamine alexicaco ipsis fuit.

Necessariũ. Alioquî *ab immundo quid mundabitur?*

* 2. *Fortitudinem*, vt qui anteà ad ancillulæ vocem, *& motæ ad lunam trepidabat arundinis vmbram*, deinceps non totîus Concilii Ierosolymitani, non Neronis, & aliorum Tyrannorum terroribus terreretur.

D. Greg. homil. 30. in c. 14. Ioannis de die sancto Pentec. *Quales Doctores sanctæ Ecclesiæ ante aduentum huius Spiritus fuerint, scimus: & post aduentum illius, cuius fortitudinis facti sunt, conspicimus. Certè ipse pastor Ecclesiæ ... quantæ debilitatis, quantæque formidinis ante aduentum Spiritûs fuerit, ancilla ostiariare quisita dicat. Vna enim mulieris voce perculsus, dum mori timuit, vitam negauit ... Sed vir iste tantæ formidinis, qualis post aduentum Spiritûs existat, audiamus. Fit*

conuen-

conuentus Magistratus atque Seniorum: cæsis denuntiatur Apostolis, ne in nomine Iesu loqui debeant. Petrus magna autoritate respondet. Obedire oportet Deo magis quam hominibus?

Transformatum illum ex fœminâ in virum dicere aliquis posit, ex timida oue in impauidum leonem.

Antè, dixisses eum Salmacidem Cariæ fontem, qui effeminare viros dicitur, ingressum fuisse: pòst verò, virum ex mero ferro factum in ipsa Lemno, & ipsius Vulcani officina ac manu: ita tùnc mollis & meticulosus, ita pòst impeterritus fuit.

Antè, oues oue duce procedebant; pòst, Leunculi omnes, duce leone.

**3. Eruditionem.*

Ioan. 14. *Paracletus Spiritus-sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia.*

Act. 2. *Et prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ: & iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt.*

Oracula orbis repentè facti sunt,

*4. *Eloquentiam* omnilinguem, & ardentem, constatem quadruplici miraculo
1. *Notitiâ vocum propriarum;*
2. *Intelligentia significatorum earumdem;*
3. *Aptatione organorum;*
4. *Suadelâ & Apophthegmatis.*

*1. *Notitiâ* vocum propriarum cuiusuis linguæ, Hebreæ, Lat. Germ. Hispanicæ, Gallicæ, Schyticæ &c. cùm antè vix rusticè Hebraicè nôssent.

Illis deindè nec Lexico, nec Calepino vllo, nec vllius linguæ thesauro opus fuit. Ipse Spiritus-S. pro Catholico pleniore, certè certiore, & tutiore, quã fit illud seu Balbi Monachi Dominicani Ianuensis, (vt vult Ioannes Myntzenbergius in dedicatoria Eroticorum opusculorum Ouidij:) seu Ioannis Ianuensis (vt habent

(vt habet ipsa Catholici inscriptio) melioris Theologi, quàm Grammatici; imò pro bibliotheca seu Ptolemaica, seu Vaticana fuit.

Quilibet, bibliotheca quædam animata.

Quacumque linguâ loquerentur, tàm prompè omnia dicebât, vt primos eius linguæ autores diceres.

Omne quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Genes. 2.

* ij. *Intelligentiâ* significatorum earumdem. Non enim Apostoli vt pici aut psittaci non intellectas linguarum peregrinarum voces proferebant.

Non sententias loquebantur, quas ipsi non intelligerent, vt sæpè pueruli Scenici & Comœdi, aut rr in templo illiteratæ Vestales, aut vt Eunuchus ille Æthiopiæ librum Isaiæ in rhedâ. *Act. 8.*

Legere & non intelligere, negligere est.

Quidquid quauis lingua legerent, audirent, intelligebant, intelligenterque dicebant.

* iij. *Aptatione* organorum, vt faucium, dentium, labiorum &c. ad accentus benè pronunciandos, quæ miram quandam in orationibus vim ac potestatem habent. Nam ita quisque vt audit, mouetur.

Habent enim linguæ singulæ, singula idiomata non modò dictionum & sententiarum, sed & sonorum.

Stomachosè quædam Gentes, quædam stridulè, quædam caninè valdè, quædam serpentinè & sibilanter pronuntiant.

Ipse elementorum sonus .... aliter de erudito, aliter de rustico ore profertur.

D. Hieronym. epist. ad Lætam.

Non facilè Gallus Leodicè aut Germanicè pronuntiet; nec contrà.

Fuisse ferunt, qui sibi dentes limari iuberet & æquari

æquari, & aptius Hebræa aut Græca pronunciaret, tantum olim magnis viris discendi, & alijs proficiendi studium fuit.

Sonis homines, vt ære tinnitu, dignoscimus. Quintil. lib. II. instit. cap. 3.

Quibusdam linguis pronuntiandis, vel exilitate, vel pinguedine, vel celeritate, vel tarditate nimiâ laboramus.

Quosdam accentus velut acriores, parùm efferimus, & alijs non dissimilibus, sed quasi hebetioribus, permutamus.

Germanis in stomacho, Latinis in faucibus, Gallis in labijs summis sua loquentia.

Quædam linguæ verba ab imo pulmone, quasi trochleis tracta proferunt, & simplicem vocis naturam pleniore quodam sono, in faucibus circumlinunt, quod Græci κατὰ πεπλασμένον dicunt, *vt ait Quintil. lib. I. Instit. capit.* 8. vt ferè Germanica.

Quædam contrà, toto penè ore inani & semiclauso, summis dumtaxat labijs sua pronuntiant, vt ferè Gallica.

Et ipsi, vt Catulo, est suauis appellatio literarum, &, vt in Cetheo, suauiloquentia. Dulcis est illi, non latrans, aut exprobrans sonus.

Sed & quibusdam hominibus, naturæ vitio, accidit, non posse certas literas aptè pronuntiare, vt nonnullis serpentinã literam S. alijs caninam R, quã Demosthenes quoque laborauit, vndè vt linguam corrigeret, & quasi adroderet, lapillos acutiores ori ingerebat, & eos lingua voluens dicere domi solebat; quemadmodum etiàm, vt spiritus ei esset quàm longissimus, *scandens in aduersum, continuabat quàm posset plurimos versus.* Quintil. instit. lib. II. cap. 3.

Memini quoque, me ætatis circiter 27. cùm in me maior in concionando linguæ tarditas desideraretur,

conantem celeritati imperare, etiàm calculos, aliquando duos, aliquando vnicum, aliquando ternos, aliquando planos, quà lati erant, & subrotundos, quà longi, è via & arena sumpsisse, & totâ Concionandi horariâ, aut circiter de Passione Domini, sensi, quasi frenum volubilitatis, in ore gessisse, subinguaque voluisse; sæpèque alias lapillos acutiores & mordaciores ore inter colloquia gestauisse, vt in Cicionibus porrò valerem dictione expressiore, egestis iàm illis.

Ergò omnia loquelæ organa in Apostolis hodiè diuinitus sunt recocta, recusa, reformata, quasi & retornata, & sic aptata decẽti omnium linguarum pronuntiationi, vt porrò eos Gallicè loquentes, aut Scythicè &c. ibi natos diceres.

Indè patet: *Nonne ecce isti omnes qui loquuntur Galilæi sunt, & quomodò nos audiuimus vnusquisque linguam nostram, in quâ nati sumus?* Act. 2.

Theophrastos omnes appellare licuisset, tàm erat illorum eloquendi nitor Diuinus, vt ex eo nomẽ trahere potuerint.

Nunquam homo sic loquutus est. Ioan. 7.

Non aliter Musæ, non aliter Deus ipse cum hominibus loquuturus, si contingat cum hominibus conuersari, quod de Platone (opinor) aliquãdo est dictũ.

Quantò Cicero reliquis Oratoribus melior, & Oloris seu Cygni cantus anserino suauior; tantò Apostoli hodiè reliquis hominibus facti eloquẽtiores, Auditores suos omnes, vinctos catenis aureis ad Christi fidem pertrahebant.

*iiij. *Suadelâ*, & vt in Periclis ore, quadam persuasionis Dea Pytho, in labijs cuiusque hùc necessaria, vtpotè tot paradoxis Euangelicis mundo aliter longè persuaso persuadendis, qualia sunt: Eundem, Hominem & Deum esse: Natum esse semel ex Patre sine

Matre

Matre; iterum ex Matre Virgine, sine Patre; Cruciarium, autorem salutis vniuersæ esse; Crucifixum, deceretum Iudicem vniuersorum; Beatos esse pauperes, & pro Cruciario illo morientes &c. Proh. paradoxa multa, & admirabilia Ciceronianis illis, & Stoicis longè incredibiliora.

Sed eiusmodi *Spiritus-sanctus dabat eloqui illis.* Act.

Eloqui (inquam) id est, scitè diserteque dicere.

Vatablus annotat. marg. *Vox Græca significat præclarè & sententiosè eloqui:*

Non picarum instar garrire cæperunt, sed miranda loqui, sed quot verba, tot oracula edere.

Græcis est, pro *eloqui*, ἀποφθέγγεσθαι; vnde apophthegmata.

D. Bernard. *Venit Spiritus-sanctus super discipulos in linguis igneis, vt verba loquerentur ignea, & legem igneam prædicarent.*

*Dixi autem quidem omni linguem eloquentiam omnium & singulorum, sed tamen fortè non parem singulorum omni lingua, sed ea maximam, qua Gẽs, ad quam quisque esset destinandus, vteretur, etsi alijs quoque linguis quilibet satis eleganter loqueretur, ad transitus vbique commoditatem seu 15. tãtum, seu 22. seu 72. seu plures linguæ, toto, quàm latè patet, orbe terrarum, recensentur.

Michael Glycas parte 3. Annal. *Hoc Spiritus-sanctus singulari quodam consilio sic administrauit, ne qua inter Apostolos esset eà de re discordia quò scilicet vnicuique abeundũ foret. Ideoque singulis suâ in linguâ data est quædam quasi norma & regula. verbi gratia, Romana veteris linguæ? Romã igitur abito. Persicè loqueris? ad Persas proficiscitor. Hanc igitur in certâ linguâ regulam acceperunt. Rursum verò, quia Romam profecturis per nationes multas iter faciundum erat:*

*erat: iccircò linguas alias, tanquàm opitulatrices vo-
ris, accipiebãt, quum illam primam ordinationis quæ lo-
co haberent. Videmus enim singulos Apostolos etiam di-
uersis vsos fuisse linguis, vt quibus varias nationes ag-
grãdas fuerint. Licet hoc de Pauli verbis hisce colligas: Ago Deo meo gratias, quòd magis, quàm vestrûm quisquis, linguas teneo peregrinas.*

Idem ibid. *Quindecim verò linguarum dona tunc acceperunt Apostoli, (quemadmodum Chrysostomus inquit) ad vsum illorum, qui præsentes erant. Quid enim opus fuisset linguâ Persicâ, vel alijs, non præsentibus quibus vterentur? Et fuerunt omninò linguæ quindecim propterea, vt hinc intelligeretur Sacrosanctæ Trinitatis efficacitas, cum ministris duodecim coniuncta. Videretur verò Petrum, qui Galilæus esset, Romanâ linguâ tunc primùm, quam nunquàm anteà discendo percepisset: itidemque singulos reliquorum peculiari quadam lingua loquentes.*

Quindecim tantum ponit iste, forsitã quod quindecim tantum nationes, præter Iudaicam, in Actis Apost. memorantur tùm dixisse: *nos audiuimus vnusquisque linguam nostram, in qua nati sumus.* Act. 2.

Nemo enim rectè putârit, nõ plures esse toto orbe nationes, aut enumeratione illa, aut verbo isto fretus: *Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi, viri religiosi, ex omni natione quæ sub cælo est.* Act. 2.

* *Nàm plures* esse constat, vel indè saltem, quòd *Mithridati*, Regi Ponti, Romanorum hosti quondam capitalissimo, *duas & viginti linguas, quot nationibus imperabat, traditur notas fuisse.* Quintil. libr. 11. Instit. c. 2.

* *Deinde*; quòd verisimile sit, tot linguas diuersas esse, quot fuerunt turris illius nominatissimæ Babelis ædificatores, qui, confusione linguarum diuinitus immissâ, cũ anteà esset *tota terra labij vnius & ser-*

& sermonum eorundem, coacti sunt à tam minaci tantæque molis opere desistere, alijs alios non intelligentibus, ideoque his ita imperantibus, istis contraria agentibus; adferentibus his lateres, cùm cæmentum adferre ab alijs; his trullam porrigentibus, cùm malleum dare ab alijs poscerentur *Genes.* 11.

Alijs, ab alijs sibi tùm illudi, opinantibus, & grauissimè indignantibus, *facta est contentio inter principes, & errare fecit eos.*

Discordia res maximæ dilabuntur. Sallust. in Iugurthino.

Sed quindecim dumtaxat fabros, tanto operi adtollendo, adfuisse quis credat, Capitolio scilicet, ipsi Cœlo, Cœli Domino, ac Cœlitibus obponendo, vt *cuius culmen ad cælum pertingere* autores voluerant, *quasi ad cælum per eam ascensuri*, vt loquitur Sibylla: *cuius crassitudo erat tanta, vt proceritatem obscuraret?* (teste Iosepho lib. 1. Antiq. Iud. c. 4.)

Potius *ingens operarum numerus*, vt ait Iosephus ibidem.

Ergò & ingens quoque numerus linguarum.

Centum esse posse, videtur insinuare Virgilius, vbi ait:

Non mihi si linguæ centum, sint oráque centum,
Omnia pœnarum percurrere nomina possem. lib. 6. AEneid.

Maximè verò succrescet linguarum numerus, si cuiusque linguæ quælibet paulo illustrior differentia vel idioma, vna lingua censeatur. Nam vnius Græcorum gentis quinque sunt linguæ præcipuæ, Communis, Attica, Ionica, Dorica, AEolica, & dives ille *Crassus* inde laudatur, quòd *cùm Asiæ præesset, quinque Græci sermonis differentias sic tenuit, vt quâ quisque apud eum lingua postulasset, eadem sibi ius redditum ferret.* Quintil. lib. 11. Instit. c. 2.

Gallica verò noſtra lingua, bone Deus, quot linguas, id eſt differentias, diſſecta eſt, & quidem tas, vt alius alium populus non intelligat.

Eſt Gallica Francorum, eſt Gallica Picardorum & VValonum (vt vocant:) eſt Leodienſium, eâ bonum &c. vix à delicatis Francorum etiàm vicinum auribus intelligibiliũ, adeò vt Franciſcus I. Rex Gall. aliquandò mirãdo quæſierit, ecquo ex fonte ea Bononum lingua ſcaturîſſet, & an à quoquam alio populo intelligeretur, aut exprimeretur? *G. Boucherus, ia. mo 3. veſpertinarum, veſpertinâ 35.*

Septuaginta duas plerique numerant. Sed ſub Iudice lis ſit, de numero ipſo.

Ingentis tamen opus potentiæ profectò fuit, vno momento, tot linguarum peritos feciſſe tot homines, anteà tàm bardos, quot in Actis Apoſt. recenſentur.

Themiſtoclem miramur, quem *vnum intra annum optimè locutum eſſe Perſicè conſtat.* Quintil. lib. 11. inſtit. c. 2.

Nobis ætas tota conteritur, pauculis ediſcendis, ſumptu & labore infinito, neque ferè vmquàm villa tàm perfectè diſcitur, vt à naturâ nobis inſita videatur, aut non perfacilè peregrinitas noſtra alicunde agnoſcatur. Vt ſimia ſemper ſimia, ſic ſemper olet ac ſpirat vernaculum.

Theophraſtus ipſe Lesbius, etiàm poſtquàm viginti totos (aut circiter) annos Athenis egerat, iamque eloquentibus accenſeretur, vnde & illi Theophraſti nomẽ, quaſi diuina eius dictio eſſet; tamen piſcem emturiens & licitans, audiuit à muliere piſcariâ Athenienſi, vt prima verba protulerat: *mi hoſpes*, tanti omninò emes, non minoris, quo illa verbo peregrinitatem aliquam in eius ſermone adhuc notari inſinuabat.

Et

Et quàm pauci multas simùl linguas callent.

Fridericum quendam nescio quotum in Imperatoribus memorant, loquentem Græcè, Latinè, Hebraicè, Arabicè, Mauricè, Germanicè, Gallicè, Italicè.

Bodinus meminit viri cuiusdam Corcyræ nati, (quo interptete Sultanus Solymannus vtebatur) qui exactissimè loqueretur Græcè, tàm quomodo vulgus quàm quomodò literati; item Turcicè, Arabicè, Mauricè, Tartaricè, Persicè, Hebraicè, Armenicè, Moscouiticè, Hungaricè, Slauonicè, Italicè, Hispanicè, Germanicè, Latinè, Gallicè. Proh, portentum ingenij, ac memoriæ. Totne ac tantarum rerum capax esse vnius hominis caput.

At tamen quid hic vnus inter tàm multos vix trilingues, aut bilingues?

Et quàm immensi hoc laboris ac sumptus fuit.

Sed hodiè vno momento, plurimi bardi homines, ferè centum viginti, omnium linguarum peritissimi facti sunt, & vnà rerum omnium doctissimi.

Intrusa illis vel infusa derepentè summa rerum verborumque copia, Erasmicâ illâ infinities copiosior.

Conueniētissimè; vt, quemadmodum linguæ vnius in multas diuisio populos olim disgregârat, nunc linguarum omnium in ora paucorum hominum coitio & collectio, dispersos eosdem populos Christo adgregaret. *Contraria contrarijs curantur.* Greg.

D. Gregor. in homil. Pentecost. *Qui contra Deum turrim ædificare conati sunt, communionem vnius linguæ perdiderunt: in his autem, qui Deum humiliter metuebant, linguæ omnes vnitæ sunt.*

Nihil enim tàm potens ad conciliandos animos hominum, quam idem sermo, vti contrà nihil potentius

tius adeosdem auertendos, quam ipsa sermonis inter se diuersitas.

Psal. 54. *Præcipita Domine, diuide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate.*

Eccl. 28. *Lingua tertia multos commouit, & dispersit illos de gente in gentem &c.*

Opus omninò erat donatiuo illo linguarum, tàm ad ritè communicandum tractandumque cum tot Gentibus, quàm ad irrependum, latendum, ac turò cum ipsis versandum, ne scilicet antè tempus primo quoque peregrino Apostoli verbo, ab aduersarijs deprehenderentur, atque anteuenirentur, Euangelij prædicatione nondum inceptâ. Etiàm Bonis cautio conuenit. Omnia etiàm tuta, præsertim in hostico, formidanda. Non dico, *si non castè, saltem caute*: sed *Et castè, & cautè.*

Fuerunt tunc Apostoli ignitis illis linguis sic instructi, similes trecentis vulpibus incendiarijs Samsonis. Vt enim illæ Philistæis, segetes suas amprouisò incendendo, rem frumentariâ debilitarunt; sic illi cautione magnâ Euangelio docendo, & amore Dei frigidos anteà populos velut furtim incendendo, regnum Diaboli deminuerunt, Christi auxerunt.

Vel certè similes illi igni, quem in scriniolo cùm corona & peplo inclusum, muneris loco, Creusæ misit Medea, quo ipsa cum tota Regia exusta est (qua de re Plutarch. tomo 2. vit. in Alexandro:) nisi quòd ille nocuit, hîc incredibiliter profuit.

III.

Quâ præparatione vsi Apostoli.

Beneficium hoc sanè maximum & gratuitum, faciens ad habentis seu accipientis sanctitatem, & gratis datum ad Ecclesiæ ipsius vtilitatem.

Gratia

Gratia pro rebus meritò debetur inemptis.

At non tamen datum imparatis, aut indiſpoſitis.

Actus actiuorum ſunt in patiente diſpoſito, ait ſchola.

Sigillum ſeſe quidem imprimere vult ac nititur, ſed in ceram vel oris, vel auris, vel manus calore, aut vero igne tepefactam ac præmollitam.

Sol irradiare cuiuſque cellulam paratus eſt, ita, ſed ſi feneſtræ illi patent, & ſi obex nullus opponitur.

Semina ſparſurus terram præſulcat arator;
Orator primùm verbis accommodat aures:
Pictor lauigat, & ſibi dedolat antè tabellam,
Quàm Venerem adpingat, pulchrumque adiungat Adonim. Ex noſtris luſibus.

Fax vim recipit ignes, ac ſine alimento per ſe flagrat, ità, ſed *ſiccata*, ait Plinius lib. 14. c. 20.

Apoſtolorum ergò præparationes fuêre
1. *Solitudo aut cum Probis conuerſatio;*
2. *Seſſio;*
3. *Concordia;*
4. *Oratio perſeuerans.*

*1. *Solitudo*, aut cum Probis conuerſatio. Ieroſolymis enim, vel in cœnaculo, vel in templo ipſo, orationibus addicti, curis ſæculi valere iuſsis, ſuæ tantum profeſsionis hominibus mixti degebant tùnc Apoſtoli, admoniti à Chriſto ſic facere: *Vos autem ſedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Luc. 24.

Et erant ſemper in templo, laudantes & benedicentes Deum. Ibid.

Quantùm hùc profit ſolitudo, vide in Monomachia noſtra in illud: *Ductus eſt Ieſus in deſertum.*

Ducam

Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.

Vt qui amant,& tractare familiarius gestiũt,omnem tertium,quasi lupum in fabulâ,auersantur: ita Deus ad hominem, & in hominem venturus Gill. Prou.*Omnia tertius interturbat.*

*2.*Sessio.*Impleuit totam domum, vbi erant sedentes.* Act.

*Sedete in ciuitate &c.*vt sup.

Qui enim sedet,est { 1.*Quietior*; 2.*Seipso minor*; 3.*Grauior & compositior.*

*1.*Quietior.Sedent fatigati, vt Christus ad puteum.*Ioan.*4.

Feriæ, à curarum mundi strepitu, illis præpeream.& sessio qualis erat Magdalenæ,audientis verbum Domini ad pedes eius è subsello,& qualis est Monachorum,sedentariorum,&sellulariorum,orantium, meditantium &c.

Sedere enim significare solet mentis quietudinem.

Luc.14.Turrim ædificaturus *prius sedens computat sumptus &c.*

Eccle.38.*Sapientia scribæ in tempore vacuitatis,& qui minoratur actu,sapientiam percipiet.*

Carmina secessum scribentis,& otia quærunt. Ouid. lib.1.Trist.

Genes.24.*Isaac egressus ad meditandum in agro, inclinata iàm die.*

Isai.66.*Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem & quietum?* versio communis: *Ad quem respiciam,nisi ad pauperculum &c.*

Vt ferè non nisi malaciæ tempore Reges & Proceres, maximè Heroinæ, petunt mare: nec nauim conscendunt cauti mercatores, iàm vi tempestatis ingruente vel in portu:nec equum insolentem, sed tolu-

volutarium potius principes fęminę: sic nec Spiritus-sanctus pectora curarum grauium & numerosarum vndis agitata. Subsidant antè necesse est.

S. AEgidius, non ille Athenienſis, sed Assisinas, D. Francisci socius, ità philosophabatur: Quemadmodum Rex potens nunquam filiam suam, virgunculã tenerrimam, & charissimam, equo instar Bucephali calcitroso & sternaci, sed cicurato & gradario, aut mulæ tantum est crediturus; sic nec Deus gratiam suam homini Ardelioni, inquieto, & variè agitato. Dicamus verbis ipsius: *Sicut Rex aliquis Magnus, si vellet mittere filiam suam ad aliquem locum, non poneret eam super equum indomitum, superbum & calcitrosum, sed super equum mansuetum, & suauiter ambulantem; sic Deus non ponit gratiam suam in superbis, sed in humilibus & mansuetis.* Ex lib. sentent. aurearum S. Patris AEgidij Assisinatis cap. 4.

Quidne Christus quidem ipse barbaro equo, sed asinæ, & pullo eius insidere voluit, Ierosolymos regiè ingressurus. *Matth.* 21.

Sedendum, quiescendum, stagnandum.

Nimio plus sapio sedens, ait Plautus in Mostell.

Animus sedendo fit prudens, sedendo (inquam) & sedando motus affectuum.

Cicero Academicum acturus sedere vult, vt significet aliquid stabilius differi.

Iudices olim & nunc sedere soliti, cùm quid deliberandum aut statuendum.

Sedebitis & vos: iudicantes 12. tribus Israel. Matth. 19.

Sedemus & nos in templo caussarum Conscientię vestræ auditores & Iudices.

Sedent & Patres Ecclesiæ in Concilijs, vnde voces illæ: sessio prima, sessio 2.

Sedet Pont. Max. in sede Petri. Hinc vox sedis Rõ.

Boni-

Bonifacius in cap. fin. de sentent. & re iudic. in VI. *Sententia, quam scriptam edi, à Iudice litigatoribus non recitari, vel quam ab ipso stando, non sedendo, proferri contingit, nullius penitùs est momenti.*

Tanti sedere est, etiàm in rebus humanis. *O sessio quàm sedero totus, cuius ne minima quidem pars sedet, in quo nihil tranquillum, nihil quietum, sed actum nihil, nihil vnquàm in eodem permanens statu.* D. Bernard. in *Eccè nos.*

Variè motæ, & commotæ animæ vitiorum negotiorumque tempestate, & peripateticæ seu deambulatrices, & per omnia vagæ, omninò gratiæ Spiritus-sancti sunt incapaces. *O sessio.*

Vel hominis, Iuuenta ideò philosophiæ moralis incapax Aristoteli credita, quòd tot adhùc moribus est agitata, neque dùm satis sedet, ideoque meritò illud Bernardi vsurpet; *Nihil in me sedet, sed cuncta in motu sunt, omnia nutant, fluctuant vniuersa.* D. Bernard. vbi suprà.

Cor impij quasi mare feruens, quasi freneticus, aut acutissimè febricitans.

Incredibile, vt commoueant hominem ambitio, auaritia, odia, libidines, &c.

Vel Delo insula sunt inquietiores, qui his agitantur.

Sedendum ergò cuique hùc adspiranti, non tàm vt hic pro concione corporibus sedetis, quàm animis, à curis multis, à vitijs maximè.

Quiescite agere peruersè. Isai. 1.

Sedete, Principes bellatores, à turbis, à bellis, vt quiescant plebeculæ. Poli estis, mundique axes: nisi quiescitis, omnia moueri necesse est.

Motus, & sessio, aut quies populorum, ex motu est aut quiete Principum.

Patres

Patresfamilias, hactenùs ad Indos vsque, irrequieto diuitiarum ſtudio, vagari ſoliti, iàm ſedete tandē, & de anima cogitatè, graues annis, & canis notabiles. *Sedete in ciuitate, &c.*

Adoleſcentes, hactenùs importuni ſaltatores, irrequieti luſores, curſores nocturni &c. iàm ſedete, recipite vos in ſecretius cubiculum honeſtarum nuptiarum.

Apuleius lib. 6. *Luxuria puerilis nuptialibus pedicis colliganda eſt,* & colligenda.

Adoleſcentulæ, & matronæ, hactenùs ab omni natione quę ſub cœlo eſt, cultum, & luxum mendicare, & ad oſtentationem tentationemque vagari ſolitæ, ſedete honeſtate, ac mediocritate contentæ. Eſtote quod dicimini, Domiſellæ veræ, à ſedendo domi ità dictæ, vel Domicellæ quaſi domicolæ, aut ſemper domi & in cella.

Vſquequò & ſeruis, & pecoribus, & agris ipſis veſtris requiem aliquam dabitis, nullam autem vobis ipſis?

Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? aiebat Rex neceſſariò occupatiſsimus. *Pſal.*

Saltem *Luce ſacra, requieſcat humus, requieſcat arator,*

Et *graue, ſuſpenſo vomere, ceſſet opus.* Tibull. libr. 2. eleg. 1.

*ij. *Seipſo minor* & contractior penè dimidio, vel certè pro ſedis aut celſitudine, aut humilitate, quæ res eſt ſubmiſsionis ſeu humiliationis ſui ſymbolum.

Sederunt tunc Apoſtoli, id eſt, ſe quàm modeſtiſsimè & valdè ſubmiſsè habuerunt.

Pſal. *Qui emittis fontes in conuallibus. Per medium montium pertranſibunt aquæ.*

Pſal

Psal. *Deus humilia respicit, & alta à longè cognoscit,*

Psal. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus,* ab eoque elongabitur.

Vt quibus vertigo facilè contingit, ægrè equisæduis vtuntur, rarissimè in turrium fastigijs visuntur; sic ferè Deus animos odit sublimiores.

Vt gloria sequitur fugientem, sic Dei gratia se nihili facientem.

Sedendum ergò cuique, id est, minorandâ & humilianda { 1. *Corda,* 2. *Verba,* 3 *Vestium pompa.*

* 1. *Corda,* vt, quasi poplitibus prioribus flexis, instar equorum cicuriorum, tantùm Dominum insessurum ephippio excipiamus.

* 2. *Verba,* ne hinnitu multo, & nostri iactantiâ, Domini aures obtundamus.

Asino, cogitabundo & somnolento animali, Christus vehi maluit, quàm equo & sonipede, & fremente, & hinniente, denique plurimi strepitus & ostentationis, tàm sui, quàm sessoris.

Vix enim est quisquam qui non equo conscenso fiat superbior,

Rarum quid *humilitas honorata,*

* 3. *Vestium pompa,* merum superbiæ vexillũ, Deo odiosissimum.

Sit ephippiatus, sit egregiè phaleratus bucephalus, dum Alexandrum sessorem suum expectat; contrà sit incultus, qui Spiritum-sanctum.

Super pullum asinæ olim sedit Dominus, *super quem ante nemo adhùc sederat hominum,* infrænem, impexum, inephippiatum &c Leuiter stratum dumtaxat rudibus Apostolorum vestimentis, vel quo die vrbem regiam velut triumphans erat ingressurus.

Talem ambit Spiritus-sanctus.

Quemadmodum non opes iactant, sed pannositatem

tem suam ostentant, qui cautè mendicant; sic qui dona Spiritus S. affectant, corde, ore, cultu modestiam præferant.

Sic Deiotarus Tetrarches Gallo Græcię penè totius, Rex Armeniæ minoris, *depositis . . . regijs insignibus, neque tantùm priuato vestitu, sed etiam reorum habitu supplex ad Cæsarem venit oratum, vt sibi ignosceret*, & mòx impetrauit. *A. Hirtius lib. de bello Alexandrino.*

* iij. *Grauior*, & compositior. Hinc sedere, in Hieroglyphicis Maiestatem, & augustum honorem indicat, vt notat Pierius lib. 43.

Iocis ergò, ludis, choreis, incompositis motibus & moribus, leuitationibusq; omnibus valedicendum; cupidis gratiæ Dei nugæ & nuces relinquendæ, abijcienda cunabularium crepundia.

Hæc dies aliam vitam adfert, alios mores postulat. Terent. in Andr. Act. 1. Scen. 2.

*3. *Concordia. Erant perseuerantes vnanimiter.* Act. 1. *Erant pariter in eodem loco*, quod scitè vertit Arias *vnanimiter*, vti & ante eum Vatablus: alij *concorditer*, Galli, *tous d'vn accord*. Omnibus idem animus, eadem Fides, Spes, Charitas. Non quot capita, tot sententiæ.

* j. *Adhùc recens* erat scilicet illa Magistri sui lectio: *In hoc cognoscent omnes, quià discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Io. 13.

Adhùc vltimæ lectionis illius syllabæ, & quasi Echo, in ipsorum auribus tinniebant.

* ij. *Et concordes* timor hostis circumfusi faciebat, & vita acta in hostico.

* iij. *Deniq;* res angusta domi, & ipsius per omnia communio, ac iustissima distributio,

* j. *Bellorum* enim ac iurgiorum seminarium, diuitiæ, vel inter Abrahamum ipsum, ac Lothũ nepotem. Prou. Gall. Qui *a terre, a guerre*, id est, qui terram habet, bellum habet.

* ij. *Meum* ac tuum, frigida verba, innumera quoque gignunt bella. *Chrysost.*

* iiij. *Iniustæ* quoque rerum dispensationes, quæstus & messes aureæ è Repub. collectæ, sunt pestes concordiæ, parentes repetundarum.

Isai. 32. *Opus Iustitiæ, pax,* id est, Pax, est Iustitiæ filia.

Psal. *Iustitia & Pax osculatæ sunt,* id est, Iustitiam Pax consequitur, iniustitiam, discordiæ & bella.

Cic. 2. Off. *Iustitiæ tanta vis est, vt ne illi quidem, qui maleficio & scelere pascuntur, possint sine vllâ particulâ Iustitiæ viuere. Nam qui eorum cuipiam, qui vnà latrocinantur, clam furatur aliquid, aut eripit, is sibi ne in latrocinio quidem relinquat locum: ille autem, qui Archipirata dicitur, nisi æquabiliter prædam dispertiat, aut interficiatur à socijs, aut relinquatur, quin etiam leges latronum esse dicuntur, quibus pareant,* quas obseruent: *ità, propter æquabilem prædæ partitionem,* & *Bargulus Illurius* (al. Bargulis Illyricus) *latro, de quo est apud Theopompum, magnas opes habuit: & multò maiores Viriatus Lusitanus &c.*

Virga AEquitatis, virga regni tui, id est, Iustitiâ regnâ fulciuntur.

Vix quisquam tam mollis aut patiens, qui rem publicam priuatam fieri, diripi, aut iniquius dispensari non grauiter indignetur.

Quis enim dissimulet, si iuxta Pauli sententiâ, *Vnus esurit, alius autem ebrius est?*

Si capite pingui & turgido, gracile sit corpus ac macilentum?

Spectatum admissi risum (imò fletum) *teneatis amici?* Horat. in Arte.

Quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. 1. Cor. 4.

AEqua ergò rerum omniũ dispensatio, *prout cuiq; opus erat,* facilè Apostolorũ conuentum concordem tenuit,

tenuit, concordia Spiritum-sanctum promeruit.

Concordiæ igitur, & parentis eius Iustitiæ seu Aequabilitatis prima cura sit, eandem gratiam affectantibus.

Psa. *In pace factus est locus eius*, id est, vel Pacis tempore templum eius à Salomone pacifico illo Rege Deo positum est: vel, vbi pax, ibi Deo habitare est iucundissimum. Illi Discordia, carcer, imò Infernus; Concordia verò, Paradisus.

Vbi charitas, aut Pax, *ibi Deus est.*

Quemadmodum in magnum hunc mundum Filius Dei ingredi antè noluit, quam esset, Iani portis iterum sub Cæs. Augusto claussis, pacatissimus: sic nec Spiritui-sancto libet in Microcosmũ vllũ illabi, nisi tranquillum, & pacem altissimam cum omnibus studiosè colentem.

Quarum enim personarum eadem est natura; earundem & eadem sunt studia.

Et duorum amicorum idem velle, idem nolle. Pacificos vult Filius, Pacificos Spiritus-S.

Sicut ignis diuersione titionum extinguitur; sic Spiritus-sancti gratia, animorum discordijs diuertitur.

Non in commotione Dominus, sed in sibilo auræ tenuis, 3. *Regg.* 19.

Quid iuuat, Christianos in templa, in Comitia cõuenire corporibus, disiungi voluntatibus? Eodẽ monasterio capi, eadem mensâ sacrâ, profanâ vti, item eodem vestitu, fratres dici; nihilominus, canum feliumque instar, altercari, digladiari? &c.

In pace, in pace factus est locus eius.

* 4. *Oratio perseuerans. Erant perseuerantes vnanimiter in oratione, cum* mulieribus, *Mariâ matre Iesu, & fratribus eius.* Act. 1.

Orabant, & quidem multi, ijque optimi, & Vir-

gine Maria quoque preces coniungente, & quidem omnes *vnanimiter*, ac perseueranter.

Sap.7.*Inuocaui, & venit in me Spiritus sapientiæ.*

Impossibile est, multorum preces non exaudiri. D. Hieron.ep.ad Nepotianum.

Sic orare, est Deum, velut tota acie & effusis castris, impugnare & cogere.

Obruitur numero Deus: ac tùm *sic pugnat, vt vincere nolit*, vel non possit.

D.Leo serm. 3. de Ieiunio septimi mensis. *Plenissima obtinebitur peccatorum abolitio, quandò totius Ecclesiæ vna est oratio, vna confessio. Si enim duorum, vel trium Sanctorum pio consensu, omnia quæ poposcerint, Dominus præstanda promittit; quid negabitur multorum milium plebi, vnam obseruantiam pariter exequenti & per vnum spiritum concorditer supplicanti?*

Orant Apostoli, etsi anteà sanctè Magister promisisset, Spiritum S. propediē missum iri, vt eò citius aut libētius promissa repręsentētur, quę sic desiderātur.

Orant, vt quà possunt, mitti mereantur.

Orant, vt digna venturi fiant habitacula.

Orant, ignosci, si quid est in ipsis, quod latet ipsos, Deo autem patet, quod possit tanti hospitis aduentū remorari. *Ab occultis meis munda me.* psal.

Propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui. psal.

His artibus tale donatiuum impetratur.

Sic Superi rogari se volūt, sic cogi se gaudent Patres, Matres, Magnates, ad ea, quæ etiàm alioqui daturi sunt.

Et profectò, vile admodum esse oportet donum, quod vel saltem peti non mereatur (ait prouerbiū.)

D.Chrys.hom.de profect.Euang. *Si differt aliquandò Dominus* (exaudire orātem scilicet) *nō id odio facit, neq; te auersatur: sed differēdo, diutiùs te secū seruare vult.*

vult. Sicuti & patres filios indulgentiùs amantes, quò illos diutiùs apud se detineant, quos desides vident, dedita opera morantur aliquid daturi.

His aliisq; illiciis Apostoli Spiritum-sanctum ad se in hospitium suum adtraxerunt, vt ad eos, & in eos veniret, *amictus lumine sicut vestimento.*

Sic capitur Deus, sic recipitur, sic tenetur

Per vestigia ista antecursorum istorũ eamus (Auditores) hæreat pede pes, & paria consequemur.

Palæ, & Micæ.

*1. *Quæri* possit; An Apostoli deindè singuli, singulis tantum linguis, vnus Græca, alius Latina &c. an singuli omnibus omninò linguis loquerentur?

Resp. Dicendum, singulos omnibus loquutos, vna tamen præcelluisse, vt indè agnosceretur, ad quam Gentem esset quisque aptiùs destinandus. *Mich. Glycas sup.*

*2. *Quæri* possit; An verè loquerentur variis linguis apud varios, cùm opus esset, an verò tãtùm vnica, id est, patria semper loquentes, à variis simùl gentibus intelligerentur?

Seruatum certè *Traiectẽsem Episcopum, hac Spiritus sancti gratia dotatum fuisse ferunt, vt prædicantem audientes alienigenæ diuersæque nationes, vnaquæque sua lingua loquutum putarent, nihil non intelligentes, quod ab illo esset prolatum.* Marulus lib. 3. exemp. c. 4.

De B. Antonio Paduano, fratre ac Patre nostro, sic à maioribus nostris accepimus. Cùm Papa Gregorius huius nominis IX. Romæ Iubilæum publicasset, Cruciatæ aduersus Mauros, qui tùm Terrã-sanctam proh dolor, occuparãt, declarãdæ studio; tunc noster S. Antonius quodam die concionem habens ad populum

ſanè valdè numeroſum, mixtum Gallis multis, Græcis, Anglis, Italis, Germanis, Slauis, Hiſpanis, aliisq; exteris, ità ab omnibus & ſingulis, etſi vna lingua loquens, intellectus eſt, ac ſi ſingulorũ Lingua vernacula loqueretur, ingenti ſanè omnium admiratione. Ipſe Pontifex, qui & eam concionem audierat, ſanctum virum *ſanctam arcam teſtamenti* adpellauit. F. *Marcus Vlyſſip. Ep. Portuenſis, Chronicorum Ordinis D. Franc. tom. 1. volumine 2. lib. 5. c. 21. fol. 226.*

S. Vincentio Ferrario Dominicano, ea quoq; diuinitus gratia collata fuit, vt cùm, per varias regiones Valentinâ ſuâ dumtaxat lingua concionaretur, tamen ſinguli tàm pueri, quam ætate prouecti, æquè eum intelligerent, ac ſi in ſingulorum patriâ natus fuiſſet, & ipſorum idiomate loquutus. Multi quoq; Græci, Teutonici, Sardi, Hungari, & alij alio cœlo nati, cùm vernaculè tantùm loqui ſcirent, nec aliam, quàm patriam linguam intelligerent, cum aliis ad audiendũ Sanctum concionantẽ concurrentes, cõcione peractâ faſsi ſunt, ſe ſingula eius verba percepiſſe, nõ minùs, quã ſi cuiuſq; lingua loquutus fuiſſet. In ipſa Galliæ regione, quæ nùnc Britannia dicitur, ſunt populi quidam, quos noſtri Britones Britonizantes vocant, quorum lingua ſolis ipſis cognita eſt, quorũ multitudo idioma nec ſciũt; nec intelligunt, & ipſi tamen quoque virum hunc Dei Valẽtino ſuo idiomate loquentem diſtinctiſsimè intelligebant, & maximos ex eius doctrina fructus capiebant. *F. Petrus Ranzanus in vita eius lib. 2. c. 8. apud Surium 5. April.*

O mira dona Dei in hos duos ſocios Ordines, Dominicanorum & Franciſcanorum

* j. *Quidni?* Si. n. olim vnicum manna omnem ſapotem continebat, & cuiq; ſapiebat, pro adpetitu & merito; cùr non & eadem lingua cuique potuerit diuinitus intelligi?

* ij. Et

*ij. *Et sanè res* ea miraculi maioris fuisset, sed & quotidiani miraculi, nēpè toties quoties essent Apostoli loquuti peregrinis. Nàm nil noui est, linguā hominis vnicam variis idiomatis loqui; sed nouū omninò, eumdem sonum, & verbum, pro tot aliis & aliis sonis & verbis, eodē instāti à tot Auditoribus accipi.

Semel edoctis Apostolis variis linguis loqui, nullo deinceps aut paruo miraculo variè loquebantur.

*iij. *Deinde*; expeditius id erat, ad conciones habendas.

Nàm cùm sæpè contingat, vnius eiusdemq; concionis variarum linguarum populos fieri auditores, tūc vnica lingua loquentes, intelligentibus eos plurimis pluribus proficerēt, at contrà necessariò eadem, alia atq; alia lingua, repetenda fuissent, nō sic, si vna lingua loquentes omnes intellexissent.

**Respondeo* igitur, Apostolos singulos variis linguis verè loquutos fuisse; Item vna tantum loquētes, ab omnibus ètiàm diuersissimarum nationum intellectos fuisse.

*i. *Omnibus* loquutos singulos ità probo.

*j. *Nisi ità* fuisset, ipsi ab exteris hominibus dicta, aut proposita, intelligere non potuissent, ac sic nec cū ipsis reciprocè, de quacumq; re aut dubio, tractare, ac resoluere, nisi fortè per interpretem, quod sumptuosum & parum commodum fuisset.

*ij. *Suspectos* Magiæ Apostolos habuissent sui auditores, vt qui aliis sermone peregrino loquerentur, quem ipsimet ab aliis pronūtiatum non intelligerēt.

Facunt næ intelligendo, vt nihil intelligant. Terent.

*iij. *Scribere* ad Barbaras Gentes neq; legere, neq; intelligere possent, nisi vel simili aut maiori miraculo in scriptura Apostolica & in oculis Auditorū vt in sermone Apostolorum & auribus Auditorū, posito, vt scilicet & Hebraici characteres, & verba ipsa re

eadem, tamen Græcis Græca, Latinis Latina, adparerent &c. vel adhibito interprete, quod esset incómodum.

At miracula non sunt temerè neque ponenda, neque multiplicanda.

Sed & *fruſtrà fit per plura, quod fieri potest per pauciora,* etiàm faciliùs, citiùs, & meliùs. Ergò.

*2. *Loquentes* autem aliquandò linguâ vnicâ, diuersissimis tamen nationibus fuisse intellectos, ſic euidetur.

*j. *Actorum* 1. dicitur: *Audiebat vnuſquiſque linguâ ſuâ illos loquentes.*

Sed hoc fieri non potuit, nisi vel singulis Apostolis, altero post alterum, concionatis, aut vno eorum ac solo, in corona tantâ tàm diuersarum Gentium, reliquis tacentibus, concionante.

Non primo modo.

* Quià tàm exiguo tempore, singuli ordine, omnium adstantium linguis loqui non potuissent.

* *Sed nec* tamdiu aures patientes accommodarent Auditores.

* *Neque ſatis* esset, singulos Apostolos tùnc ordine audiri, Petrum linguâ Hebraica, Ioannem Græca, Iacobum Latina, ac sic de cæteris, vt singuli posse loqui omnibus linguis ab ijsdem illis Auditoribus censerentur, vti censum tùnc est, sed præterea singulos ordine, linguis omnibus & singulis, ordine quoque concionari coram ijsdem oportuisset.

At nullius aures, aut pectus tàm ferreum, vt tàm multos vno die Concionatores, singulos tot ordine linguis dicentes, pati aut ferre posset.

Vix Demosthenem & AEschinem vno die Athenienses patienter audierint.

* *Deindè*; quæ tanta vel patientia, vel intellectus capacitas, vt vel rem vnam tot linguis repeti,

ab

ab vno eodemque Concionatore tàm Battologo, toleraret; vel eundem, eodem die de 14. aut 15. argumẽtis varijs ac difficillimis, copiosè, subtiliter, & eloquenter disputantem capere, & assequi posset? quorum saltem alterum fieri erat nec esse, nisi vnicâ linguà loquuti, ab omnibus simùl Gentibus intelligerentur. Ergò.

* ij. *AElamitæ* aliter nõ caperent Hebraicè loquẽtem: nec Hæbrei AElamiticè, ac sic de cæteris; vel singulis Gentibus multùm perîsset temporis, donec lingua sua aliquid audiret?

Ergò secundò modo contigit; vt aliquandò vnica lingua loquentes, æquè à diuersissimis nationibus simùl intelligerentur.

*3. *De lingua*, Vide Linguam Erasmi.

Item; de damnis, & commodis linguæ, *Vide Gueuarram nostrum tomo 2. epist. aurr. pag. 92. 98. 203. item in Oratorio Religiosorum cap. 20.*

De linguæ potentiâ vide apud nostrum Corneliũ Mussum, *initio partis 4. Concionis hodiernæ.*

Textorem in Officina tit. *Taciturni*, & tit. *Homines liberæ & importunæ loquacitatis*, mihi pag. 1211.

Vt porcorũ, imò & hominũ valetudo bona aut mala, internoscitur linguæ cuiusq; adspectu; sic interna sanitas, & morbi, eiusdem linguæ auditu intelliguntur.

Loquela tua manifestum te facit.

Ex abundantia cordis, os loquitur.

De confusione linguarum, *vide Pererium tom. 2. in Genes. lib. 16. disp. 7.*

Prou. Gall. *Qui langue ha, a Rome va*; id est, cui lingua non deest, Romam peruenit.

*4. D. *Bernardinus* Senensis noster, cùm aliquãdò Lucę cõcionem haberet ad pop. visus est ciui cuidam religioso, ex ore eiaculari flammam ignis seu linguã

igneam, sesquicubitali longitudine, instar radij Solaris, ex quâ scintillulæ plures promicabant. R. P. F. *Marcus Vlissip. Ep. Portuensis tom.* 3. *Chronic. Ord. Minorum lib.* 2. *cap.* 12. *fol.* 113.

* 5. *Iustiniani Augusti temporibus, dùm contra Catholicorum fidem exorta à VVandalis persequutio inhumana in Africâ vehementer insaniret; quidam in defensione veritatis Episcopi fortiter persistentes, ad medium sunt deducti. Quos VVandalorum Rex, eos verbis, muneribus flectere ad perfidiam non valens, tormentis frangere posse sese credidit. Nàm cùm eis in ipsâ defensione veritatis silentium indiceret, nec tamen ipsi contra perfidiam tacerent, non tacendo forsitan consensisse viderentur: raptus in furorem, eorum linguas abscindi radicitus præcepit. Res mira, & multis nota senioribus, quià ita pro defensione veritatis, etiam sine linguâ loquebantur, sicut priùs per linguam consueuerant.... Hi itaque eo tempore profugi ad Constantinopolitanam vrbem venerunt. Eoque tempore, quo pro explendis responsis Ecclesiæ ad Principem ipse transmissus sum, seniorem quemdam Episcopum reperi, qui se adhùc eorum ora sine linguis loquëtia vidisse testabatur, dà vt apertis oribus clamarent: Ecce, videte, quià linguas non habemus & loquimur. Videbatur enim à respicientibus, vt ferebat, abscisis radicitùs linguis, quasi quoddã barathrũ patebat in gutture: & tamẽ ore vacuo plena ad integrũ verba formabãtur.* D. Gre. li. 3. Dial. c. 32.

* 6. De *Fausto* Manichæo D. August. lib. 5. Cõfes. cap. 5. *Nõ parùm existimari se voluit, seâ Spiritũ-sanctũ, consolatorẽ & ditatorem fidelium tuorum, auctoritate plenariâ personaliter in se esse persuadere conatus est.*

* *Origenes* homil. 11. in Numeros in illud: Quomodò cecidisti de cœlo Lucifer &c. *Si hæc omnia ad angelos quosdam magnæ virtutis referri cogit ratio veritatis: nonne eâdem consequentiâ etiàm quæ de bonis,*

vel

vel Principibus, vel Gētibus conscribuntur, ad bonarū, vt supra diximus, virtutū Angelos, ministrosq; referrentur? sed & illud, quod in Genesi scriptū legimus, Deū, ad Angelos sine dubio loquentē, dicere: Venite, confundamus linguas eorum: quid aliud putandū est, nisi quòd diuersi angeli diuersas in hominibus linguas operati sint, ac loquelas? vt verbi gratiâ: Vnus aliquis fuerit, qui Babyloniā tunc vni homini impresserit linguā: alius, qui alij Aegyptiā: & alius, qui Græcā: & sic diuersarum gentiū ipsi illi fortasse principes fuerint, qui & linguarū ac loquelæ videbātur autores. Manserit autē lingua per Adā primitus data, vt putamus Hebræa, in eâ parte hominū, quæ nō pars alicuius Angeli, vel Principis facta est, sed quæ Dei portio permansit.

*8. Hora tertiâ diei factum hoc diuinum donatiuum, aut circiter.

Iudęi, vt horas noctis in partes quatuor, quas vigilias vocabāt, sic dies in quaterna spatia (quorū singula tres horas caperent) diuidebāt. Et primū quidē spatiū seu tres primæ horæ, *Prima* hora vocabantur, de nomine primæ horę. Reliqua tria spatia, de nomine horę vltimę & præcedētis spatij, denominationē accipiebant, vt, verbi gratiâ; quiā hora Tertia Iudæorū finit primū quadrantē, secundus quadrans denominationē ab eâ accipit, *Tertia* hora dicitur. Tertius quadrans hora *sexta* dicitur, de nomine horæ sextæ terminātis, & claudētis secundū quadrantē. Quartus quadrās hora *Nona* dicitur, de nomine horæ Nonæ, in quā tertius quadrās desinit. Et de hâc horarū nomēclatura & ratione, mentionem habes in historia Passionis D.N. Iesu Christi apud Euāgel. *Lalamātius medicus Heduus.* Baronius Car. to. 1. Annal. ad annū Christi 34. pa. 221. *Euāgelistarū testimonio exploratū habetur, crucī affixum fuisse Dominū ante horā sextā; nā post quā crucifixus est, ab hora sexta vsq; ad horā nonā, factæ sūt tenebræ Mar-*

cus

eus item horâ sextâ tenebras factas esse super vniuersam terram affirmat, qui & ait crucifixum Christum horâ tertiâ: cui cùm aduersari videatur Ioannes Euangelista, quòd dicat fuisse horam quasi sextam, cùm eum Pilatus esset laturus sententiam; complures tâ antiquorum, quàm recentiorum scriptorum, ad has solendas ambages, desudâsse cognouimus: quorum omnium singulas hic de eâ re recitare sententias prætermittimus; illam tamen, quam veriorem putamus, referemus.

Sicut igitur apud Iudæos nox in quatuor vigilias, ità dies in quatuor horas seu stationes diuidebatur, sed diuersimodè quoque id effici quidam volunt, (Corn. Iansen. concord. c. 142. & alij) diuidentes in hunc modum, dicentésque à diluculo vsque ad horam diei tertiam exclusiuè, vt aiunt, horam esse Primam: Secundâ, a tertiâ vsque ad horam diei sextam dicebatur ab ijs hora Tertia, eò quòd à tertiâ initium sumpsisset: Tertiam verò partem eam, quæ ab horâ sextâ vsque ad nonam progrederetur, Sextâ nuncupabant, quod similiter ab horâ sextâ inchoaretur: Quartam denique incipientem à nonâ, & vsque ad solis occasum perdurantem, Nonam itidem seu vesperam dixêre.

Alij verò, & melius, vt nobis videtur, hanc inierunt rationem numerandi quatuor illas diei partes, quas volunt esse æquales, vt singulæ trium horarum spatio constituantur: eædéque non à principio, sed à fine nomen acipiant, sicque prima pars diei illa, à mane vsque ad tertiam diei horam producta, Tertia diceretur: Secunda, quæ ad sextam horam diei perueniens, Sexta nominaretur: Tertia verò pars diei, vsque ad nonam horam deducta, Nona appellaretur: Quarta, quæ vsque ad noctem durans, Vespera nuncuparetur. Quam sententiam vt veriorem amplectimur; vt quam Petri Apostoli auctoritate firmamus: sic enim in Actis loquitur: Non enim, sicut vos existimatis, hi ebrij sunt, cum sit hora diei Tertia (Act. 2.

(Act.2.) *Sanè quidem si (vt illi volunt) hora Tertia producebatur vsque ad Sextam; quid adeò mirum & inusitatũ significasset Petrus, illos non esse ebrios, eò quòd esset hora diei Tertia, cùm iàm pransos esse ea hora, quæ terminaretur ad Sextam, potuisse, non sit dubium? vndè defensionem illorum, quòd ebrij non essent, Petrus, eò quòd tunc esset hora diei Tertia, in argumentum deducat, manifestissimè significat, horam diei Tertiam esse terminum partis primæ diei, nec tertiæ horæ fines excedere. Quod igitur Ioannes ait fuisse horam quasi sextam, cum Pilatus &c.*

Idem Baronius ibid. pag. 254. *Quod excipit* Petrus *de hora tertia: quid tàm insolens mirumúe videri debet quòd ad suorum excusationem adducit, eos ebrios esse non potuisse, quòd esset hora diei tertia? Nàm (quod & superius vidimus) cùm apud Hebræos etiàm singuli quique dies duodecim horis terminarẽtur; planè hora tertia, quartam diei partem continebat: cumiqúe horæ æstiuæ cæteris longiores esse solerent, quid tàm mirum, inquam, nouũve si ea hora illi prãsi fuissent, homines præsertim peregrini & piscatores? Qui hunc modum soluerit hactenus non inuenimus: sed perfacilis erit eius solutio, si nouerimus Hebræorum illam fuisse à maioribus traditam & vsu receptam, ac tanquàm legem probatam consuetudinem, vt non liceret diebus festis cuiquam ante sextam horam prandere. Memmit eius consuetudinis Iosephus in vita sua, dum hæc ait: Plebs autem non assentiebat horum orationibus, & proculdubio exorta fuisset seditio, nisi concionem soluisset sexta hora superueniens, quæ nostros ad prandium vocare solet sabbatis. Tubæ enim sonitu certas horas Hebræis significari solitas, alibi dictum est. Meritò igitur Petrus excipit de hora diei tertia, cum ante sextam horam diebus festis prandere religio esset. Hæc ex alio loco etiàm declarantur; imò ex his elucidatur alter locus Actorum (10.) quo dici-*

dicitur: Ascendit Petrus ad superiora, vt oraret circa horam sextam: & cùm esuriret, voluit gustare: parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus. Fuisse autem eam diem Sabbatum, quâ non nisi horâ sextâ prandere licet, illud in primis persuadet, quòd tùm pararentur quæ apponenda essent mensæ, quæ videlicet die Paraſceue erant ad esum accommodata: nàm quaratione eadem sexta hora illa parari potuissent, nisi fuissent pridiè præparata? quod insuper dicat Angelus ad Petrum: Surge, descende, & vade cum eis nihil dubitans, & inferius Lucas: Sequenti autem die surgens profectus est cum illis: planè demonstrat, illa ipsa die ob festum id facere nimis licuisse. Hæc ibi.

* 9. *Beatus, quem tu erudieris, domine, & de lege tua docueris eum.* psal.

Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis &c. Corinth.

An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? 2. Cor. 13.

Glorientur Ethnici, hi Appolline, hi Mineruâ, hi Musis, hi Platone, isti Socrate doctore didicisse: Apostoli autem & Christiani, doctore intùs Spiritu-sancto, & Deo Deorum.

Lactant. lib. 3. diu. instit. c. 16. *Abijcienda est omnis philosophia: quia non studendum est sapientiæ, quod sine, ac modo careat; sed sapiendum est, & quidem maturè. Non enim nobis altera vita conceditur, vt, cum in hac sapientiam quæramus, in illa sapere possimus: in hac vtrumque fieri necesse est. citò inueniri debet, vt citò susscipi possit; ne quid pereat ex vitâ, cuius finis incertus est.*

DOMI-

DOMINICA INFRA OCTAuam V. Sacramenti, quæ est 2. post Pentecosten anno 1614. 2. Iunij, Augusti Hannniorum apud Clarissas.

Thema. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.* Luc. 14.

Viator & festinans, nepti meæ chariss. sorori vestræ, ac vobis omnibus gratificaturus (ô animæ Deo charæ) hûc ascendi, rogatu Patris vestri.

Dicendum ergò hîc hodiè mihi
1. *Deum dici Opt. Maximum; & hic euideri, vtrumque epitheton ei conuenire.*
2. *Cœna hodierni Euangelij vndè magna æstimanda;*
3. *Homines pessimè ac proiectissimè ergà Deum se habere,* AVE.

I.

Deum dici Opt. Max. & hic euideri, vtrumque epitheton ei conueniri.

SOlent ferè tàm Ethnici quàm sacri scriptores, quoties Deum nominant, his epithetis seu adiunctis duobus *Optimũ Maximiqúe* illum ornare (Animæ religiosissimæ &c.) aut saltem Boni Magniqúe. Sed & prima statim vox omnium hominum, vel in mœstitiâ exclamantium, est, *Deus bone. Dij boni.* &c. Meritò. *Nemo enim bonus, nisi solus Deus:* nemo verè potẽs, nisi Deus ipse, aut per ipsum, & in ipso. Nemo potens, *nemo magnus sine aliquo afflatu diuino vnquam fuit.* Cic. lib. 2. de Nat. Deorum.

Deus

Deus est summum Bonum, vel pueruli adhûc balbutientes in scholis audiebamus.

Bonum (inquam) suiq; causâ expetendum. Optimum, cuius causâ cætera bona sint expetenda.

**Optimus* ille sit necesse est, ex quo, tanquàm riuuli ex fonte, promanant, quæcunq; sunt bona, & ab illo habent vt talia sint.

Lactant. lib. 3. instit. diu. c. 9. *Necesse est, vt multò mirabilior sit, qui mirabilia perfecit*: multò melior, qui tot bona.

**Optimus*, qui nôrit etiam *de malis benè facere*, & quasi oleum de petra, mella de felle ac veneno. *D. Augustin. Enchiridij c.* 27.

Vt quidquid tangebat Midas, aurum fiebat; ità Deo volente, omnia etiàm pessima vertuntur *in bonum*.

**Optimus*, qui nulla malà esse permitteret, nisi indè vellet bene facere. *Idem ibid.*

Vt sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Deut. 32.

* *Optimus*, qui infra culpæ meritum pœnas irrogat, supra virtutis laborem coronat.

**Optimus*, cuius bonitas & *misericordia super omnia opera eius*. psal.

* *Optimus*, qui dat maiora petitis, quæ nec sperare audeas, nec aspirare.

* *Optimus, Qui doleat, quoties cogitur, esse ferox.* Gemit & flet pœnas sumpturus.

**Optimus, vt qui etiam in nobis sua propria dona coronet,*

Tamquam nostra; ferit nolentem ambire coronas. Nos aliquandò poetando.

Magnus idem, & Maximus, imò Trismegistus ac termaximus.

Magnus Dominus, & laudabilis nimis. psal.

Magnitudinis eius non est finis. psal.

*Mag-

* *Magnus*, non mole, sed potestate, vt ne tibi fingas nescio quem fabulosum Gargentuam (vt est in prou.) aut Gigantem Euceladum &c.

* *Magnus*, qui vbiq; sit, nec vsquàm capi possit.

* *Magnus*, cuius centrum vbique, circumferentia nusquam.

* *Magnus*, quem nec cœli cœlorum capere possunt.

* *Magnus* qui magna gerat, faciatque, & multò maiora, quàm iàm fecerit, aut vmquam sit facturus, possit.

Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Matth. 3.

* *Papè, Quam magnus*, qui tantam mundi huius machinam ex nihilo condiderit, erexerit: totam terræ molem Oceanumque in medio aere, millis basibus fultã sustenderit, nullis trochleis aut funibus adhàc sustẽtet, sed sic iubeat ibi pẽdere, vt ferè pendulæ volitant bullę pueriles, quas per ludum ex calycibus nuceis, aquâ & sapone plenis, trimuli conflant, & efflant, aut in ventum leuiter eijciunt.

* *Maiorem* tamen quidam censent, ex operum minimorum creatione, vt minimæ muscæ volantis, currentis, videntis, spirantis &c. quorum operum organa nescias vbi sint.

Sic ferè in maiori pretio, quã alij, is scriptor fuit, qui Iliadẽ tàm tenuiter scripsit, vt nuce claudi posset: is faber, qui nauem omnibus partibus constantem tàm paruam fabricauit, vt apiculæ alâ tegi posset.

AElianus libr. 1. variæ histor. c. 17. *Hæc sunt opera Myrmecidæ Milesii, & Callicratis Lacedæmonij, quæ propter nimiam exilitatem in admiratione habentur. Quadrigas fecerunt, quæ sub musca possent abscondi, & in sesamo distichon elegeium literis aureis inscripserunt.*

Magnitudo autem, & Bonitas Dei summa, aliàs quidem sæpè, sed nùnc in hodierno Euangelio affatim ostenditur.

Deum agnoscimus ex operibus eius. Cicero. 1. Tuscul.

*j. *Magnitudo*, in cœna magna. *Homo quidam fecit cœnam magnam &c.*

*ij. *Bonitas*, in repetitâ inuitatione inuitatorum, suppletione, & substitutione aliorum, in recusantium, & absentium locum: *Vocauit multos. Et misit seruum suum horæ cœnæ dicere inuitatis, vt venirent &c.*

Cœnam autē magnam vocāt ferè, quà à

1. *Conuiuatoris amplitudine;*
2. *Conuiuarum numero;*
3. *Esculentorum poculentorumque numero, pretio, mole &c.*
4. *Duratione epuli;*
5. *Ministrorum numero & excellentia.*
6. *Vultu bono Conuiuatoris.*

*1. *Conuiuatoris amplitudine.* Si is Rex, Sapiens, Bellator magnus &c.

Nàm ad conuiuium Regis aut Sapientis. &c. *quis* non libentissimè venerit, magis ipsius, quàm epularum, aut vinorum &c. causa?

Quidam etiàm magno id mercentur, irrepturi vel irrupturi, si aliter non liceat.

Sic *ex vltimis Galliarum Hispaniarumque finibus, ad T. Liuium lacteo eloquentiæ fonte manantem, ventum est, & quos ad sui contemplationem Roma non traxerat, vnius hominis fama perduxit.* D. Hieronymus ep. ad Paulinum de omnibus diu. hist. libris.

Sic Regina Saba Ierosolymam ex suo Austro venit, vt vel videret, & audiret Salomonis sapientiam, quæ

quæ est suauissimus pastus animorum. 3. *Reg.*

Ego sanè in felicitatibus meis numero, Deoque habeo gratiam, non tàm quòd Romæ genium recreauì, & hilarescere potui, si volui, epulis mensæ Illustrissimi Cardinalis Cæsaris Baronij, Deus bone, quàm sancti, & quàm docti viri, in eius ipsius palatio; sed quòd ipso Baronio vsus sum conuiuatore, in eadem mensa, præsertim mòx morituro, & quidē inuitatus antè ab eo, & ipso epuli die accersitus, anno 1607. etsi merito meo sanè nullo.

Quanti Aman, apud amicos, & Zarem vxorem suam, facit, semel se & iterùm Estheris Reginæ fore conuiuam.

Regina (inquit) *Esther nullum alium vocauit ad conuiuium cum Rege, præter me, apud quam etiam cras, cum Rege pransurus sum.* Esther. 5.

Cùm quid datur spectabis, & dantem adspice. Senec. in Thyeste Act. 3.

Chilo noluit ante Periandri conuiuio interesse, quàm quæsisset, ac certò resciisset, *qui essent reliqui conuiuæ futuri.*

Senec. ep. 19. *Antè circumspiciendum est, cum quibus edas & bibas, quàm quid edas, & bibas,* ait Epicurus.

Quis non malit, vel *siliquis, & pane secundo,* atroque, & minutali *viuere,* cum illis septem Græciæ sapientibus, aut cum Platone, aut magno aliquo amico, quàm epulari cum perdito, vel cum hoste?

Quis non ibi malit meram argentei fontis vndam, etiàm ex Samio poculo, aut concaua manu bibere, quàm alibi ex auro merum vel Falernum, vel Falisscum, etiàm meracissimum, & sepositum Consule Manlio? Ratione cōuiuatoris magni, aut amati, spernantur minus chari, vina, & farcimina quoque optima, *Et Lucanica ventre cum Falisco.* Martialis lib. 1.

* 2. *Conuiuarum numero.* Cùm multi confluunt Cùm omnibus liberè ingredi licet,& assidere: cũ conuiuator ait:

Porta patens esto, nulli claudaris honesto.

Gall. prou. *Courtouuerte.*

Platonis conuiuium constat viginti conuiuis: Varronis 9.

Xenophonti placet, vt conuiuator ipse sit nonus.

Esther. 1. Assueri conuiuium hac nulli secundum fuit. *Fecit* enim illud *cunctis principibus, & pueris suis, fortißimis Persarum, & Medorum inclytis, & præfectis prouinciarum &c.*

Cumque implerentur dies conuiuij, inuitauit omnem pop. qui inuentus est in Susan, à maximo vsq; ad minimum.

Magna etiàm fuerunt hoc adspectu quæ Christus aliquoties parauit suis Auditoribus. Fuerunt enim hîc 4. hic 5. milia.

* 3. *Esculentorum,* poculentorumque numero, pretio &c.

Vt cum tot sunt fercula, quot literæ alphabeti.

Tot perdices, quot conuiuæ &c.

Cùm piscibus & carnibus vesci licet, quam mensam Commissariorum vocamus nostrate prouerbio.

Cùm maria omnia,& viuaria, fatigantur, vt omnis generis indè expiscationem, vna mensa complectatur, vna horula heluetur.

Cùm terra, agri, & sylvæ omnes, venatione turbantur, vt cerui, hinnuli, apri &c. habeantur: & porcelli Troiani quoque proponantur.

Cùm per AErem ipsum totum ope miluorum, prædatum itur, vt phasiani, ardeæ, & omnis generis

neris aues colligantur, & omnibus cupedijs mensa oneretur.

Interea gustus elementa per omnia quærunt. Iuuenal.

Gula in oculis.

Cùm Auiaria, Viuaria, Leporaria, Roboraria omnia depopulantur.

Denique; cùm *in patina Vitellij sunt Scarorum iecinora; Phasianorum è Colchis, & Pauonum è Samijs cerebella; linguæ Phœnicopterorum; Murænarum lactes à Carpathio vsque fretoque Hispaniæ per Nauarchos ac triremes petitarum.* Suet. Tranquillus in Vitellio cap. 13.

Glisceras eas cœnas vocant, quæ multis ferculis opulentæ & instructæ, nouis subindè crescunt epulis; Item *Solis mensam.*

Item; cùm vina omnis generis (Gallica, Rhenana, Hispanica, Canarica, Italica, Falerna &c. nectar ferè & ambrosia Deorum propinantur.

Quæ tamen in Christianis non laudo.

Quoniàm vna aliqua cœna emi possit arx, aut prouincia, & Castris integris tàm sæpè defectu stipendij tumultuantibus, stipendia numerari.

Quoniam Lazari multi indè multis diebus commodè ali possint: Xenodochia sustentari &c. Virgines nubiles elocari &c.

Quoniam tributis fortè nouis grauanda plebecula, &c.

Cato certè aiebat, difficilè eam Remp. saluam fore, vbi pisciculus pluris, quam bos, venit. *Plutarch.*

Et verò Homerus refert in conuiuijs Regum olim & Optimatum, nihil præter bouillam assam fuisse.

* 4. *Duratione*. Vt cùm in multam noctem cœnæ protenduntur, cum duobus diebus nox vna adsuitur, id est hesterno & crastino ; cum læti conuiuæ *noctem verterunt in diem*. Iob.

In noctem prandium ducitur, in diem cœna.

Assueri Regis conuiuium toto semestri durasse legitur.

Etsi diuturna illa conuiuia insalubria sunt corpori, animæ verò ipsi parùm salutaria, natura scilicet paucis, parabilibusque contenta , & tempore ità malè pereunte; & animis ad iram, Venerem, & detractionem sic incalescentibus. In chaos nescio quod omnia confunduntur , & fit ex recreatione confusio.

Sedit populus manducare , & surrexerunt ludere. Exod.

* 5. *Ministrorum numero*, & excellentia.

Vt cùm adeò multi, vt ad nutum omnium seruiant, ferant, fundant, nuntient, renuntient &c. *Milia milium ministrabant ei* &c. Daniel.

Et cùm ipsi quoque nobiles ministrant, Ganymedes, Hebe &c. Virg. 1. Aeneid.

Dant famuli manibus lymphas, Cereremque canistris
Expediunt, tonsisque ferunt mantilia villis.
Quinquaginta intùs famulæ, quibus ordine longo
Cura penum struere , & flammis adolere Penates:
Centum aliæ totidemque pares ætate ministri,
Qui dapibus mensas onerent, & pocula ponant, conuiuio illo, quo Dido Aeneam excepit. Regina Saba in aula Salomonis miratur cumprimis *ordinem ministrorum*. 3. Regg.

Itaque in Græcorum conuiuijs semper erant, & qui cibos partiretur arte , & vocabatur *Daitros*, & *Carptor*, & alius aliquis , cui incumbebat prouidere,

dere, an omnes æqualiter biberent, & ex eodem vino, qui & vocabatur *Oenopta*.

Primus quasi cœnæ virginis violator, alter iàm defloratæ pocillator, & ad iustam hilaritatem incentor.

Vnde est illud Agesilai Regis Lacedæmoniorum, quum in comporatione quadam, sortibus ex more ductis, factus esset princeps conuiuij, cuius partes erant præscribere, quantum quisque biberet, responsum laudabile, ad pincernam interrogantem, quantum cuique vini deberet apponere: *Si multum*, inquit, *vini parátum est; dato cuique quantum poscit: sin parùm, cunctis ex æquo diuidito.* Quâ dexteritate mirè prospexit, tam ne parata vini copia deficeret importunè eos, quibus placeret largior potatio; quàm ne ad bibendum cogerentur, quibus esset magis amica sobrietas: & rursus in maiore vini copia, per æqualitatem, murmuris occasionem excluſit.

Conuiuij Assueri laus ea fuit non vltima, non fuisse, *qui cogeret ad bibendum*. Esth.

Nemo ad pocula damnabatur.

Videtur in nuptijs factis in Cana Galilææ, talis ferè minister fuisse, qui Architriclinus dictus est: defectui tamen vini non satis prouidisse. *Ioan.2.*

Est, vera censura, ostentatio illa nimia est, à tàm multis rem vnam fieri.

Senecæ *placet cibus non multorum manibus ministratus*, lib. de Tranq.

Neque ferè vsquàm segniora ministeria, quàm vbi multitudo ministrorum, alteris in alteros officia reiectantibus.

* 6. *Vultu bono Conuiuatoris*, qui vnus pro omnibus bellarijs, & super omnia est.

Super omnia vultus
Acceſſere boni, nec iners pauperque voluntas, ait Ouidius de ſenibus ac pauperibus Philemone & Baucide, cum Iouem ac Mercurium errantes casâ ac cœna, ignotos tamen excepiſſent. *Ouid lib. 8. Metam.*

Hilarem datorem diligit vel *Deus* ipſe quoque.

Ferculorum omnium gratiſsimum, frons hilaris conuiuatoris, & cor quaſi ridens in patinâ.

Hinc illa barbarior loquutio *facere bonum vultum*, pro hilariter ſe habere, aut excipere.

Et ferunt lingua Anglorum dici *bonum vultum*, quod nos gallicè dicimus, *bone chere*, mutuata ab eis ſubſtantiua dictione.

Galli eleganti ſanè prouerbio dicunt: *Belle chere vault bien vn mets*) quod I. Nucerinus (opinor) Latinè ſic reddidit:

Æquiparat lætus lautiſsima fercula vultus.

Nucerinus lib. prouerbiorum mihi pag. 19.

In Cœna, quæ nobis à Deo parata hîc dicitur, adſunt hæc omnia, & quidem longè ampliſsima, vt eodem ordine ſum oſtenſurus.

II.

Cœna hodierni Euangelij vnde magna æſtimanda.

Sed primùm dicamus, quid Cœna iſta ſignificet.

Cœna hîc dicit
1. *Gratiæ diuinæ refectionem;*
2. *Euchariſticam menſam;*
3. *Verbi Dei prædicationem;*
4. *Gloriæ æternæ collationem.*

* j. *Gratiæ diuinæ refectionem*, quæ conſiſtit in infuſione virtutum, & collatione donorum Spiritus ſancti, quæ animam viuificant, ac ſuſtentant.

Eccle. 5. *Cibabit illam pane vitæ & intellectus.*

Ioan. 1. *Gratia & veritas per Ieſum facta eſt.*

Dicitur autem cœna, quod in vltima mundi ætate parata ſit, non ante legem, non ſub lege.

* ij. Eucha-

1.Cor.10.*Nos sumus, in quos fines sæculorū deuenerūt.*

* ij.*Eucharisticam*, mensam. In cœna enim vltima ea instituta est.

Vndè æquè & Hæretici, & Catholici vocant Cœnam Domini.

Quam benè, cum & nomen Cœnæ, etymologia græca, significet communionem.

Cœna ergò hęc Eucharistica magna, quà à
- 1. *Conuiuatoris summa dignitate;*
- 2. *Conuiuarum numero ingenti;*
- 3. *Ciborum numero, & pretio &c.*
- 4. *Duratione.*
- 5. *Ministrorum frequentia, & excellentia;*
- 6. *Vultu bono Conuiuatoris.*

* 1.*Conuiuatoris summa dignitate*, Christo scilicet, *cuius magnitudinis non est finis.* psal.

Longa Regum serie ortus est quà homo; quà Deus, *illigenus* à Patre, & *Ioue summo*. Est *Magnum Patris incrementum*; *Dominus dominantium*; *Princeps Regum terræ*; Le grand Signeur, quem titulum sibi Turcarum Imperator vlurpat, nobis proh dolor, ferentibus.

* 2.*Conuiuarum numero &c.* Quot sunt baptisati, tot sunt communicantes, aut hùc apti.

Cum discipulis meis facio Pascha.

Isa.25.*Faciet Dominus in monte hoc omnibus populis conuiuium pinguium &c.* omnibus populis. Assuerus suo tantum populo parauerat.

Prou.9.*Si quis est paruulus, veniat ad me. Et insipientibus loquuta est sapientia: Venite comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.*

Matth.11.*Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.*

Ioan.6.*In nouissimo die magno festiuitatis, stabat Iesus, & clamabat, dicens: si quis sitit, veniat ad me, & bibat.*

Sed & Christus ipse quoque tam conuiua hîc, quâ conuiuator.

Se cibat ipse cibus.

Sic Dauid se suis manibus gessisse legitur.

*3. *Ciborum numero &c.* Totus enim buccella exigua Deus-homo sumitur: Caro; Sanguis; Anima; Diuinitas ipsa, Naturæ duæ, Persona vna.

Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum. D. Tho.

Ioann. 6. *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi.*

Poculo vno tantumdem sumitur.

Ibid. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.*

Et habet in se vberius certè quàm *manna, omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem.* Sap. 16.

Nàm de manna hoc ferunt memorabile, quòd bonis quidquid libebat, sapiebat, optantibus perdicem, perdicem; caponem, caponem; panem cupienti, panem &c.

DEVS MEVS, ET OMNIA, aiebat D. Franciscus noster.

Isai. 25. *Faciet Dominus in monte hoc omnibus populis conuiuium pinguium, vindemiæ, pinguium medullatorũ, vindemiæ defecatæ.*

Horat. lib. 2. serm. sat. 3. *Filius AEsopi* (Tragœdisc.) *detractam ex aure Metellæ,*

Scilicet vt decies solidum exorbere, taceto

Diluit insignem vaccam .i. vnionem seu margaritam, precij decies centũ milium sestertium nũmmũ.

C. Cæsarem Caligulam similiter portentosissima ciborum genera fuisse commẽtum, vt pretiosissimas margaritas aceto liquefactas absorberet, autor est Suetonius.

Ferunt M. Antonium Augusti sororium, & Cleopatram Reginam AEgypti, concertasse, vter alterum vinceret conuiuij celebritate.

Cùm

Cùm ergò prior conuiuiùm maximè opiparum instruxisset Antonius, Cleopatra suũ quoque instruxit, sed tale, vt se victorẽ penè iàm videret Antonius, nisi tandem Cleopatra vnione seu margarito(quod vnionem Romanæ deliciæ vocauêre, teste Plinio lib. 9. nat. hist. c. 35. quoniã nulli duo reperiantur indiscreti vel candore, vel magnitudine, vel orbe, vel læuore vel põdere, haud promptis rebus simul in gemma illa reperiri)in vasculum aceto plenum immerso, ibique liquefacto, Antonianam cœnam sumptu vicisset. cẽties enim sestertiũ, hoc est centies centenis sestertiis, quæ faciunt CCL. milia aureorum nostrorum, cœnauerat. *Plinius lib. 9.*

Vt quid perditio hæc ? potuit enim venundari multo, & dari pauperibus. Matth. 26. Marc. 14.

At quid hoc ad dignitatem Eucharistiæ? Attamẽ ea non consumitur.

Cibus sum grãdium; cresce, & manducabis me, nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. D. August. lib. 7. Conf. cap. 10.

Quis conuiuator cõuiuas suos proprio pascit cruore & carne?

Si quis humana carne pascat aut sanguine; pascit alieno.

Et quidẽ sæpè in ferculis & poculis diuitũ, Militum, Causidicorũ &c est caro & sãguis; sed pauperũ. Hic autem caro & sanguis ipsius conuiuatoris.

Denique vt suum aliquis sanguinem aut carnem aliis propinet, vt Catilina &c. non tamen alium dat quam humanum; at hic caro est & sanguis Dei incarnati.

* 4. *Duratione.* Vsque ad finem sæculi, & vltrà, sed aliter.

Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi, in hoc sacramentali conuiuio.

Quoties-

Quotiescumque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annũtiabitis, donec veniat. 1. Corint. 11.

Quotidie celebratur in Ecclesia: quotidie àquouis adiri mensa hæc potest.

Quò frequentius, hoc melius, dum familiaritas contemptum non pariat.

Sunt qui de hac mensa quoque interpretentur illud: *Panem nostrum quotidianum da nobis &c.*

Dimidio tãtum hebdomadis sub Anti Christo deficiet hostia.

Quinimò, idem est, eritque in æternum passus in cœlis Angelorum, & animarum iàm beatarum, sed aliter.

Non cibus beatorum mutabitur, sed sumendi modus, & quasi condimentum, vt fit in cibis nonnullis, qui aliter atque aliter conditi, alii ac meliores putantur.

Oculis tùnc maximè gustabitur, qui nunc ore sumitur. Ab ore in oculos transibit.

* 5. *Ministrorum frequentia* & excellentia.

Sacerdotes enim, ijque ritè vncti instar Regum hîc ministrant, consecrando, distribuendo; imò per eos Christus ipse.

D. Chrysost. homil. 60. ad pop. Antioch. *Quemadmodum ipsa fecit in illa cœna, idem ea nùnc quoque facit. Nos ministrorum tenemus locum: qui vero sanctificat ea, & immutat, ipse est ... Non enim illam quidem Christus, hanc autem homo perficit, verùm & hanc ipse quoque.*

Idem. *Tu Laice, cùm Sacerdotem videris offerentem, ne vt sacerdotem esse putes hoc facientem, sed Christi manum inuisibiliter extensam.*

D. Ambros. lib. 4. de sacramentis c. 4. *Consecratio quibus verbis est, & cuius sermonibus? Domini Iesu. Nam per re-*

per reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris: vbi verò venitur, vt conficiatur venerabile Sacramentum, iàm nõ suis sermonibus sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi. Ergò sermo Christi hoc conficit Sacramentum.

Sed & Christus ipse aliquandò priuatis amicis id porrexit, vt S. Claræ, non illi Assisinati, sed Montis-Falconis, & nostri Ordinis, vt nostri annales habent.

Ferunt enim eam aliquandò, post orationem extaticam, cùm tempus adueniſſet, quo cæteræ Religiosæ ad communionem ituræ erant, chlamyde neglecta, cum cæteris processisse. Cùm verò eam Soror eius idcircò ab altaris communione prohibuisset, eaque, ad orationem secretam regressa, deploraret longam dilecti sui Iesu absentiam, mòx apparuisse illi Dominum Iesum, & suis manibus communionem illi porrexisse. *F. Marcus ab Vlyssip. in Chronicis FF. Minorum to. 2. lib. 5. c. 41. §. 1.*

Nonnullis ipsi Angeli communionem in os detulerunt, vt D. Bonau. nostro.

* 6. *Vultu bono* Conuiuatoris. Quàm lętâ fronte Christum putatis primum illud dedisse, qui tunc cantauerit cum suis (id enim significat illud, *Et hymno dicto:*) qui aliàs ne risisse quidem vnquàm, sępè autem fleſſe legitur?

Dat Deus *omnibus affluenter, & non improperat.*

Non commemorat odiosè cuiusque ferculi, aut poculi pretium, contra morum ciuilitatem. *Erasl. lib. de ciuilit. morum.*

Sed de hac cœnâ satis.

* iij. *Verbi Dei & Euangelij prædicationem.* Nàm & iste est suauissimus pastus animorum.

Matth. 4. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo,*

verbo, quod procedit de ore Dei, seu scripto, seu prolato, seu infuso.

Hæc cœna, mentis est, non corporis: cœna inquâ. Nàm prandia & ientacula sunt dogmata philosophorum, & omnis lux humanæ rationis.

Hæc esca non ore, sed aure, oculis, ac mente hauritur, & animum non corpus impinguat, nec grauat sumpta, licet auidissimè, & copiosissimè.

Cœna etiam magna est, quà à
1. *Conuiuatore ipso*;
2. *Conuiuatorum numero*;
3. *Ciborum numero, pretio, mole, &c.*
4. *Duratione*;
5. *Ministrorum frequentia & excellentia*;
6. *Vultu bono Conuiuatoris.*

* 1. *Conuiuatore ipso.* Christus enim ipse est, & Spiritus sanctus, qui conuiuium hoc parat, ora & calamos Magistrorum, Doctorum, ac Scriptorum mouendo; etiàm immediatè quibusdam infundendo, atque intùs tacitè docendo.

Hinc illa Concionatorum Catholicorum, Oratorum, ac poetarum Ethnicorum, à Dei inuocatione, dicendi exordia &c.

Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Enthei scilicet tùnc estis.

Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis, ait Paulus 1. Cor. 11.

Euangelium meum ab hominibus non accepi, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi. Galat. 1.

Ps. 44. *Lingua mea calamus scribe velocitèr scribentis.*

2. Pet. 1. *Spiritu-sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.*

Psal.

Psal. *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multâ.*

Prou. *Sapientia ædificauit sibi domum, miscuit vinum, & posuit mensam &c.*

Symbol. Apost. *Qui loquutus est per prophetas.*

Cic. lib. 2. de Nat. Deorum. *Nemo magnus sine aliquo afflatu diuino vnquam fuit.*

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo;
Sedibus ætherei spiritus ille venit, Ouid.

2. Conuiuarum numero; Vocauit multos.

Nequidem sacrorum vsu prohibiti, prohibentur adire & audire conciones.

Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos.*

Porta patens esto: nulli claudaris honesto. Gall. Court, ouuerte.

Ioan. 6. *Si quis sitit, veniat ad me.*

Zach. 13. *Erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem &c.*

Est publica ista *Solis mensa.* Omnibus *patet fons iste domus Domini*, vt vt sit etiàm *fons signatus*, ab intelligendi difficultate. *Puteus altus est.* Ioan. 4.

Sapientia misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis, &c. prou. 9.

Schola publica est verbi Dei, ad quam omnes vocantur & admittuntur, etiam excommunicati.

Soli isti quoque permittitur *Lucere* ac ferri *super bonos & malos.*

Nulla re magis lætantur conuiuatores & Concionatores ipsi, quam conuiuarum, id est Auditorum, frequentia.

Ostendit mihi Dominus fluuium aquæ viuæ, splendidũ tamquàm crystallum, in medio plateæ Ierusalem procedentem de sede Dei & Agni. Apoc. 22.

3. Ciborum numero, pretio, mole, &c.

Nam

Nam quibus non de rebus in ſacra ſcriptura & cõcionibus ſacris agitur? De omni ſcibili & ſcitu digno, aut neceſſario ad ſalutem.

Sunt ibi Hiſtorica vbertim, ac literalia, totius deindè ſtructuræ fundamenta.

Sunt Ethica ſeu Moralia, parua, magna, Ariſtotelicis certiora ac ſanctiora; ſunt Allegorica, mythologijs Poetarum, ac veterum ſæculi Theologorum, diuiniora ac veriora.

Illîc *magna volumina ſententiarum, cumuli ſenſuum.* D. Greg. lib. 1. hom. in Ezech.

Ibi lac modò natis infantibus aptum; ibi lac ſenum; ibi cibus ſolidus vegetorum; ibi deliciæ deuotiorum, &c.

Ibi tàm pretioſa, vt ſine his non conſtet ſalus, *Niſi manducaueritis* & hanc quoque carnem Filij *hominis, non habebitis vitam in vobis.*

Sunt quædam tanta fercula, vt ea plenè hic mente capere non poſsimus, qualia ſunt myſterium Trinitatis in vnitate; generationis filij ex Patre ſine matre; & tandè ex matre ſine Patre in Incarnatione; Tranſubſtantiationis in Euchariſtia &c.

D. Ambroſ. lib. 4. in Luc. *Quid tàm altum, quàm altitudinem diuinarum videre, ſcire Dei Filium, & profeſsionem diuinæ generationis aſſumere, quam luet mens humana nõ queat plenè rationis inueſtigatione comprehendere, fidei tamen plenitudo complectitur?*

Idem propè dicendum de Concionibus viua voce factis, in quas omnigena ſcientia ſtudioſiſsimè congeritur: ad quas omnis lectio, auditioque reducitur.

Solis menſa non ipſis ferè copioſior.

Sæpè, vbi ſit quod ames, inter tàm multa, requiras. Ouid.

Obruimur numero ferculorum, *copiáq; ipſa nocet.*

Inopes nos copia fecit.

*4. *Duratione*. Vsque ad finem sæculi. Huius regni ac conuiuij idem finis, qui sæculi.

Etiàm sub Anti-Christo ipso, erunt Enoch & Elias tota libertate Euangelium prædicantes. Vt tũ prematur veritas, non tamen obprimetur.

Euangelij tuba nunquàm conticescet. Quamdiu erit qui audiat, tamdiu erit qui dicat, & doceat.

Vt tacere Concionatores ipsos per metum contingeret, ipsi lapides & saxa loquerentur : ipsi septennes pueri concionarentur, vt quidam olim in Ordine D. Francisci : ipsi lactentes etiàm intelligenter verbum Dei lallarent. (*Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem &c.*) & vel asina Balaami rudẽdo erudiret.

*5. *Ministrorum frequentia*, & excellentia.

Minister primus vocalis verbi Dei, quis quæso fuit, nisi ipsum Verbum æternum, Dei Patris Filius? quis scripti, quis infusi, vel intùs impressi, nisi Spiritus-Sanctus?

Deindè sequuti Apostoli 12. & septuaginta duo discipuli, Deus bone! quã multi, quàm vocales, & quãti Doctores! Auditores scilicet Christi ipsius, cursu Theologiæ triennali, & ampliùs. Nam de prophetis nùnc taceo.

Ijdem interno doctore Spiritu-Sancto vsi die Pentecostes, qui *eos docuit omnem veritatem*, & in cuiuslibet vno ore centum penè linguas constituit, id est, cuiuscumque sermonis egregiè peritos effecit vno momento, cùm antè vix benè vernaculè loquerentur.

Et nùnc, quàm multi (laus Deo) & magni in omni gente ac vrbe Concionatores, sed & Scriptores. Non fuit (opinor) à fundata Ecclesia, sæculum vllum feracius.

Iàm non est dicere, vt olim, *Messis quidem multa, ope-*

ta, *operarij autem pauci*: iàm operarij messem superant: habent ferè singulæ spicæ falcem, aut manipuli messorem suum.

Nàm tot quotidiè pullulant, vt templa ipsos non capiant, neque ipse mundus penè libros, qui scribuntur.

Dicere potiùs liceat, quod tabernaculi Mosaici artifices de eleemosynis, ad ædificationem eius collatis Moysi olim dixerunt: *plus offert populus, quàm necessarium est. Iussit ergò Moyses præconis voce cantari: Nec vir, nec mulier, quidquam offerat vltrà in opere Sanctuarij. Sicque cessatum est à muneribus offerendis, eò quòd oblata sufficerent & superabundarent.* Exod. 36.

Nisi fortè dicas; *Operarij verò pauci*, id est, eiusmodi homines, qui opere ipso, & illustribus vitæ probæ exemplis, prædicent, quod genus inter multos Locutuleios rarius est: quamuis multò est facilius exemplo pascere, quàm verbo; ità, conantibus scilicet vtrobique pari studio. Nõ enim tanti constat benè viuere, quanti benè dicere: nec pares sumptus consequendæ Sanctitatis, & Eloquentiæ.

Senec. epist. 88. *Magno impendio temporum, magna alienarum aurium molestiâ laudatio hæc constat: O hominem literatum, simus hoc titulo rusticiore contenti: O virum bonum.*

Nihilominùs locutuleij, dicaces, & dictatores, vt sic vocem, passim multi, *operarij verò pauci.*

Superfunt tamen, beneficio Dei, *septem millia* virorũ & bonorum operariorum, *qui nõ curuauerunt genua ante Baal*, id est, benè dicentium, & probè viuentium satis magna vbertas, pro sæculi infælicitate.

* 6. *Vultu bono* Conuiuatoris. Declarat hoc lætitiâ illa ingens de reduce prodigo, id est, de Publicanis

canis & peccatoribus, factis Christi auditoribus, & sequacibus. *Luc.* 15.

Declarant læti vultus discipulorum Christi, flagellatorum ob verbum Dei. *Act.* 5.

Eorum instabilitas, & perpetui toto orbe discursus. *In omnem terram exiuit sonus eorum.* psal.

In tormentis & morte, pro Euangelio, summa æquanimitas. Nostra posterorum, totis Quadragesimis & Aduentibus quotidiè concionandi diligentia, ac penè importunitas.

Inter concionandi labores ac sudores, læti vultus, nonnunquàm erumpentes ioci & commodi sales, quasi spiritalis gulæ irritamenta, & dormitantiũ in illo conuiuio auditorũ excitabula ac crepitacula.

*iiij. *Gloriæ æternæ collationem.*

Apoc. 19. *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt.* Cœnam, inquit, benè optimè.

*1. *Vt enim cœna* post laborem diurnum datur; ita cœli gloria, post sudores bonorũ operum & certaminum, toto huius vitæ die toleratos.

Psal. 103. *Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam.*

*2. *Vt cœna* est vltima refectionum; ità beatitudo vltimum donorum Dei.

Vt post cœnam frustrà quidquam expectes, nisi fortè quædam bellaria, mensas secundas, aut repotia; ità post glorificationem nihil restat, nisi gloria quædam accidentalis. Nàm tũc animo cuiusque satisfactum vberrimè. Fide, Votis, ac spebus nostris, omnia illic maiora, ac meliora.

Oculus non vidit &c. nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.

Psal. *Satiabor, cùm adparuerit gloria tua.*

Psal. *Torrente voluptatis potabis eos.*

D. Augustin. initio lib. 2. Confess. *Feciſti me Domine*

mine ad te, & inquietum est cor meum, donec requiescat in te. Hoc demum est centrum animorum. Hic tàdem dicitur, *sufficit.*

Proclus lib. de animâ & Dęmonibus. *Communis immutabilisque sententia, beatitudinem designat sufficientia: quibus enim competit habere se benè, eisdem sufficienter habere se conuenit.*

* 3. *Vt post* cœnam ferè non redditur ad laborem; sic nec à gloria illa, ad certamen ac luctum.

Apoc. 14. *Amodò iam dicit Spiritus, vt requiescat à laboribus suis.*

Rom. 6. *Christus resurgens ex mortuis, iàm non moritur, mors illi vltrà non dominabitur.*

Isai. 58. *Requiem tibi dabit Dominus Deus tuus semper.*

Hercules quiuis cùm cœlo illatus est, tùm cessat ab immensis suis laboribus, à monstris domandis &c.

Properet malum quodcumq; dum terra Herculem
Habet, videt qúe. Senec. in Herc. Oetæo Act. 1.

Cœna verò quoque magna ista est, imò omnium maxima, rursus quà à
1. *Conuiuatore.*
2. *Conuiuarum numero;*
3. *Ciborum numero, pretio, mole &c.*
4. *Duratione;*
5. *Ministrorum frequentia & excellentia;*
6. *Vultu bono conuiuatoris.*

* 1. *Conuiuatore.* Deus enim est Trinus & Vnus, qui nos excipit, & pepetuos tunc suos commensales facit, medius ipse sedens, & omnibus quasi ministrans.

* 2. *Conuiuarum* numero. Angeli enim omnes ibi, ibi homines *ex omni natione, quæ sub Cœlo est,* & omnis æui aut sæculi, ab orbe condito.

Cœna ista maximè Catholica & Vniuersalis, vti & Ecclesia.

Matth.

Matth.8. *Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent. &c.*

Apoc.7. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.*

Ibi *Ex omni gente cogniti.*

Græcis, Latinis, Barbaris. Arca Noe, sed iàm quieta & in portu, plena omnis generis rationalium animantium.

Ibi erũt amici, & meliores, & plures quàm hic: imò qui nũnc hostes fuerant penè irreconciliabiles, illic erunt amicissimi.

Habitabit lupus cum agno &c. Isai.

Plato Socratem sic de his loquentem inducit: *Equidem nisi me migraturum putarem, primum quidem ad Deos alios Sapientes & Bonos; deinde, homines ad defunctos, his, qui hic sunt, meliores; iniusta agerem, non molestè ferens mortem.*

Nunc certum habetote, sperare me ad bonos viros iturum. &c.

Propterea haud similiter mortem molestè fero, sed bono animo sum. Plato in Phædone.

AElianus lib.13. de var. hist. c.20. *Cuius Megapolita ex Arcadia, Cercidas nomine, moriens, dixit familiaribus suis, se non ægrè mortem obire. Sperare enim se, conuenturum ex Philosophis, Pythagoram; ex Historicis, Hecatæum; ex Musicis, Olympum; ex Poetis, Homerum; & hac effatus, vt fama est, vitam amisit.*

Ibi, præter Patrem ipsum conuiuatorem, & Spiritum-sanctum, & Christum Hominem-Deum videbimus, ibi Virginem, eius matrem, *os humerosque Deæ similem*; ibi Heroes illos magnos, veteris nouæque legis, ibi ex Eremitis, Elias, Baptistas, Antonios; ibi ex Musicis, Dauides; ibi ex Philosopis nostris, Dionysios Areopagitas, Iustinos Martyres; ibi ex Hi-

ſtoricis ſacris, Moyſes, Eſdras, quatuor Euangeliſtas; Cæſares Baronios; ex Oratoribus Chriſtianis, Baſilios, Nazianzenos, Chryſoſtomos &c. quorum pleroſque videre in vitâ hâc tàm auidè multi optârunt, & vidiſſe, aut alloqui potuiſſe, multi gloriati ſunt.

Superiùs dixi, ex Gallia olim Hiſpaniaque ventũ eſſe Romam, ſolius Liuij videndi ſtudio. *D. Hieron. epiſtola ad Paulinum de omnibus diu. hiſt. libb.*

Minorita quidam, Theologus ſanè magnus, & Græcè doctus, Theologali (vt vocant) beneficio in Galliâ ornatus, Bethuniẽſis, Prou. S. Andreæ, Prouinciæ doctorum virorum ſanè feraciſsimæ, mihi pænè puero & in Ordine tyroni dixit, fortè mihi comes viæ factus, *ſe bis Romam adiſſe, ſemel negotijs vrgentibus; iterùm, ſolo ſtudio videndi audiendique è ſuggeſtu R.P.F. Franciſci Panigarolæ Franciſcani, Ep. Aſtenſis, Deus bone, quàm viri.* tanti, vt Italus quidam & ipſe Minorita Panormitanus, & ad miraculum vſque eloquens, Bruxellis aliquandiù concionatus, miro nobilium plauſu, de Panigarola illo mecum aliquandò loquens, vehementi voce & geſtu vtens exclamaret, totidem (ſi benè recordor) verbis; *mai tal neſſu, mai ne ſera*, id eſt, talis Concionator nunquàm neque fuit, neque vnquam eſt futurus, qualis Panigarola fuit: Rex ſuggeſti, vt Cicero fori, Roſcius theatri.

Eiuſmodi, Eiuſmodi erunt ibi conuiuæ, magni, docti, diſerti, mera luxuriantis Naturæ miracula.

(Animulæ meæ, & Virgines chariſsimæ) ibi aderunt vobis conuiuæ deſideratiſsimæ, Dux veſtra S. Clara; ibi eius ſoror S. Agna; ibi & altera S. Clara à monte Falcone, & ipſa Ordinis Diui Franciſci; ibi Catharinæ illæ Alexandrinæ olim doctiſ-

doctiſsimæ, philoſophorum 50. victrices; ibi Barbaræ minimè barbaræ, imò vrbaniſsimæ &c.

Vbi dulcis Ieſus veſter, noſterque, *Septus choreis virginum*. D. Ambroſ. hymno de Virgg.

In medio iuvencularum tympaniſtriarum. pſal.

Te, te, bone Ieſu, *Quocumque pergis, virgines*, & omnes peccatorum adulterijs incorrupti, *Sequuntur*. D. Ambroſ. ſup.

Ergò vel conuiuarum ipſorum gratia, ipſum conuiuium ſit maximè expetendum, & ambiendum.

D. Gregor. homil. 37. in Euang. *Quæ lingua dicere, vel quis intellectus capere ſufficit, illa ſuperna ciuitatis quanta ſint gaudia; Angelorum choris intereſſe, cum beatiſsimis ſpiritibus gloriæ Conditoris aſſiſtere, præſentem Dei vultum cernere.*

Vt *Iucundus comes in viâ pro vehiculo eſt*; ita in menſa idem pro ferculo ſuauiſsimo.

Nonnullos videas cibi potuſque obliuiſci, paſtos ſolis amici optati adſpectu, cõgreſſu, conſeſſu, colloquio &c.

Expleri mentem nequit, ardeſcit quæ tuendo
Phœniſſa (Dido) *& puero* (Iulo) *pariter, doniſque mouetur;*
——*hæc oculis, hæc pectore toto*
Hæret, & interdum gremio fouet. Virgil. 1. AEneid.

Non erunt hi conuiuæ, aut poſt, aut inter pocula, litigioſi, non mordaces, non percuſſores, non raptores, non homicidæ &c. vt plerique, nunc & olim.

Nec Centauræos Lapithas conuellit in enſes, hæc cæna. *Virgil. in Culice.*

Nam ferunt Centauros benè potos interturbaſſe Pirithoi & Hippodames nuptias, quibus intererant.

Nam tibi ſæuorum ſæuiſsime Centaurorum

Euryte, quàm vino pectus, tàm virgine visa
Ardet, & ebrietas geminata libidine regnat.
Protinus euersæ turbant conuiuia mensæ,
Raptaturque comis per vim noua nupta prehensis,
Eurytus Hippodamen, aliæ quam quisque probabat,
Aut poterat, rapiunt; captæque erat vrbis imago.

Ouid. lib. 12. Metam.

Lætitiæ ac Pacis altissimæ erit hoc conuiuium.

* 3. *Ciborum numero, pretio &c. Beatitudo enim est status omnium bonorum aggregatione perfectus.*

Boetius.

Ecquis verò illîc cibus? Idem qui in cœna Eucharistica; idem inquam, non alius, sed aliter datus, aliterque sumtus.

Nùnc nobis infertur inter duas Lances (vt sic loquar) coopertus. *Verè tu es Deus absconditus*, inter accidentia Sacramenti; aut vt *pannis inuolutus*, multò magis, quàm cùm esses in ipso præsepio. *Ibi* enim *latebat sola Diuinitas*; in Eucharistia verò *latet simul & Humanitas.*

At in cœna ista beatitudinis, idem proponetur discoopertus, & videndus, qualis quantusque est: velamen à facie auferetur: *velum scindetur à summo vsque deorsum.*

Videbimus eum facie ad faciem, sicuti est.

Idem ergò erit, sed aliter datus.

Hinc illud: *Pannis Angelicus*
Fit panis hominum. D. Thom. in Hymno.

Et illud: *Panem Angelorum manducauit homo.*

Sed aliter quoque sumtus; Nàm nùnc in altari ore percipitur; at in Cœna Cęli, oculis atque intellectu, quomodo nùnc Angeli pascuntur.

Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris.*

Tobiæ 12. Vox Raphaelis: *Videbar quidem vobiscum manducare.*

manducare & bibere: sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor. Notum est, pascere capi pro delectare metaphoricè: vndè illud Virgilij 1. AEneid. *oculos picturâ pascit inani*, sed gratâ illâ, quà ab arte, quà à colorum varietate, bonitate; quà ab historiæ repræsentatione.

Cic. 4. ad Attic. 6. *Ego hic pascor Bibliothecâ Fausti.*

Pascemur illîc visione Dei, & Christi.

Cibus illius cœnæ erit, pastus animorum & cordium, Intellectus sc. & Voluntatis summa quies, & votorum omnium finis.

Visio Dei, tota merces. Aug.

Pascet tunc { 1. *Cognitio Veri*, Intellectum; 2. *Apprehensio* Summi Boni, & arcta cum ipso coniunctio, Voluntatē.

* 1. *Cognitio Veri*, clara visio Diuinitatis.

Lactant. lib. 1. diuini. inst. cap. 1. *Nullus suauior animo cibus est, quàm cognitio veritatis.*

Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis, aiebat S. Philippus.

Psal. 79. *Ostende nobis faciem tuam, & salui erimus.*

Non potest non esse iucundissimum, summam scientiam summi boni adipisci, quandoquidem *omnes homines naturâ scire desiderant.* Arist. 1. Meta. ca. 1.

Adeptæ rei tanta est voluptas, quantum est eius adipiscēdę desideriū. Sed anima nil tā desiderat, quàm veritatem. *Aug.* Ergò illic ea adepta, Voluptas sūma.

1. Ioan. 3. *Videbimus eum, sicuti est.*

1. Cor. 13. *Tùnc cognoscam, sicut & cognitus sum.*

Lumine enim glorię adiutus humanus intellectus, Dei videbit essentiam, & in ipso, vti in speculo libero ac voluntario, omnia, quæ facient ad eius beatitudinem amplificandam.

Psal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen.*

Psal. 47. *Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate*

Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri.

D. Greg. *Quid est quod nesciant, qui videntem omnia videm?*

Vt cum speculum mihi opponitur, primùm ipsũ video, deinde me in ipso, & alios & alia, etiã qui à tergo meo me subsannant: sic qui Deo fruuntur in Cœlo, primùm ipsum vident atque intelligunt: deindè in illo quasi speculo seipsos, & cœtera omnia, adeò vt vetula maximè idiota, illic plura & certiùs sciat sola, quàm simul centum Doctores Sorbonici.

Modicum, & videbimus eum; vbi iàm nihil rogemus, nihil interrogemus, quia nihil desiderandum remanebit, nihil quærendum latebit. D. August. tract. 101. in Ioann. sub fine.

Nullum latebit bonum, nullum aderit malũ. D. Aug.

Ibi Magistrum semel vidisse, omnia didicisse est. D. Bernard.

Nòsse nostrum non habebit errorem. D. Aug.

Ierem. 31. *Non docebit vltrà vir proximum, & vir fratrem suum, dicens, Cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me à minimo vsque ad maximum.*

Nec erunt tùnc opiniones de rebus, cum metu contrarij, sed certissima scientia. Quæ Fideinunc sunt, erant experientiæ, visionis, comprehensionis. Pyrrhonica illic nulla; id est, non incerta semper rerũ consideratio, nihil decernens, sed in quærẽdo sẽper occupata, ac ne videre quidem planè quidquam, neque se audire putans, veritatem comprehendi non posse arbitrata, semper & de quauis re ambigens, nihil certò aut seriò adserens, qualis schola Pyrrhonis Philosophi Elidensis fuit; non ità; sed remotâ omni dubitatione, summa omnium certitas erit.

Non

Non illic erit qui dicat: *Vnum scio, quod nihil scio*, vt solebat Socrates, nullus potius erit, qui non dicat: *Omnia scio, omnia possum, in eo qui me illuminat, & confortat.*

* 2. *Adprehensio* Boni summi, id est, Dei, & voluntatis cum ipso coniunctio adeò arcta, vt sit futurus Deus in animæ essentiâ, ex quo tantam capient homines voluptatem, vt quasi alueo suo excedens, sit ad corpus redundatura.

Psal. 35. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*, torrente, inquit, non durationem eius adspectans, cùm torrens sit ad tempus tantùm, sed abundantiam. *Non esurire, non sitire, non præstat nisi iste cibus & potus... id est societas ipsa sanctorum, vbi pax erit, & vnitas plena atque perfecta.* D. Aug. tract. 26. in Ioan.

* 4. *Duratione.* Quid æternitate diuturnius? At cœna ista æterna futura est.

Is verè status dicendus est, si quis alius, quoniam eadem semper vita: nunquam se ipsa deterior, potius melior, quòd Gloria accidentalis aliqua semper auctarij vice accedere poterit.

Status inquam ille est; noster verò qui hîc dicitur, non status, sed merus motus est.

Iob. *Homo nunquam in eodem statu permanet.*

Deficit, aut variat, vt heteroclita vox, vel abundat.

Ita rem illic se habere prorsùs est necessarium, si beatitudo illic constituenda est.

Beatitudinem enim definit Boetius *statum bonorum omnium adgregatione perfectum.* Boet. prosa 2. li. 3. de consol. *Statum*, inquit, notans firmitatem, tenoremque.

Omnium rerum optandarum plenitudinem. August. lib. 5. ciuit. c. 1.

At quis

At quis ſtatus, ſi motus, & tranſitus aut reditus ad deteriora eſſet?

Quomodo conſtaret aggregatione omni bonorũ, ſi ſecuritas ſemper ſic ſtandi deeſſet?

Quomodo abeſſet indolentia & omne malum, ſi qua deteriorum eſſet formido, aut ſuſpitio?

6*. *Vultu bono* Conuiuatoris. Initio eſt dicturus: *Venite benedicti Patris mei &c.* Matth. 25.

Pſal. 15. *Adimplebis me lætitiâ, cum vultu tuo.*

Pſal. 20. *Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.*

Ingenium vultu ſtatque cadítque tuo. Ouidius lib. 1. Faſt.

O Deum verè Optimum Max.

Et: *Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt.* Apocal. 19.

III.

Homines peſſimè ac proiectiſſimè ergà Deum ſe habere.

Et hæc quidem Dei erga homines bonitas, ac magnificentia. Hominum verò, id eſt, viliſſimorum ſeruorum, tanta in tantum talemque Dominum, proh dolor, inurbanitas hic oſtẽditur, vt inuitatorum nemo ad cœnam illam tantam venire voluerit, ſed quiſque excuſationibus caluis vſus ſit: hic *Villam emi*, ille, *Iuga boum emi quinque*; ille, *vxorem duxi &c.*

De quibus ſingulis quià dicere hunc non vacat, de primo dumtaxat videamus Corydone, & homine planè ruſtico, inciuili, & digno certè, qui Villam quà emit, ipſus colat, & adſtiuam eat.

Pallas, quas condidit, arces;
Ipſa colat.

Pecca-

Peccauit ille profectò in multis:
1. *Electione erronea;*
2. *Emtione impedimenti;*
3. *Deceptione sui;*
4. *Neglectu sui;*
5. *Ordinis peruersione;*
6. *Vanitate.* In vno facinore quàm multa delicta.

Quæ omnia, solerter consideranti apparent, verbis excusationis eius comprehensa: dicit enim: *Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam. Rogo te, habe me excusatum.* Luc. 14.

* 1. *Electione erroneâ.* Rem enim paruam & vilem, maximæ & nobilissimæ prætulit, cùm haberet vtriusque optionem.

Verè dicitur: *Est qui eligat, quod est deterius.*

Istam mundi villam exiguam, contemptim ità dictam, regno amplissimo Cælorum prætulit.

Quid enim vastus iste licèt (vt putatur) orbis, aliud est, comparatus Cœlo beatorum, quàm villula, imò punctum?

Certè punctum vocant mathematici totam terrã.

Et iudicio Astrologorum, stella quamlibet parua, maior est totâ terrâ.

Cic. in somnio Scipionis. *Stellarum globi terræ magnitudinem facilè vincebant.*

Senec. præfat. lib. nat. quæst. *Punctum est hoc totũ, in quo nauigatur, bellatur, & regna disponuntur.*

Singulæ autem stellæ, quid nisi aurea quædam pũcta toto cœli tapete diffusa? aut aurei quidam claui, ingens illud tabulatum non tàm compingentes, quàm ornantes; aut foramina studiosè facta, quibus quasi rimis, magnã illam cœli Empyrei lucem mortales peruideant, & appetant?

Et stellarum quàm infinitus est numerus. Ergò valdè exiguam oportet esse terram toti Cœlo comparatam:

tam: Cœlum verò vastissimum, quod corpora tàm multa, tàm immania, maiora toto terrarum orbe cõtineat.

Cic. in somnio Scipionis. *Ipsa terrâ ità mihi parua visa est, vt me Imperij nostri, quo quasi punctum eius attingimus, pœniteret.*

Ex alto si totum orbem terræ despiciant vel Crassus ille diues Romanus, vel ipse Alcibiades Athẽniensis, nec iste agros suos quamlibet latos, nec ille suos, latiores licet, quàm miluus vnius diei volatu possit percurrere, & ex quibus exercitum alere *in promtu* esset, facilè agnoscant; ità nihil essent, tanto totius mundi campo comparati.

Neque valdè magni eum facit Christus *ipse*, qui eum tamen condidit, sed neque Philosophi ipsi paulè seueriores.

Christus certè toti mundo vel animulam vnam docet præferendam.

Matth. 16. *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?*

Philosophi sanctiores affirmant, aurum omne, quod super ac subter terram est, nondum satis esse iustum præmium virtutis cuiuscumque: nec par eius operæ precium.

Virtus omnibus rebus anteit. Plaut. in Amphit.

Et microcosmum, id est, vnum hominem artificio putant magno huic vniuerso anteire, propter tantam epitomen, & tot rerum contractionem, & quasi nuce clausam Iliadem.

Item; vel muscam viuentem, tota hac machina nobiliorem.

Sapientes quidam, in quibus Statilius quidam fuit, Bruto in Cæsarem coniuranti dixêre, *ne orbem quidem tanti esse, vt homini, eius causâ, sint molestiæ adeundæ.*

Deinde

Deindè;vt dumtaxat punctũ sit orbis iste; tamẽ nemo hactenùs adeò potens inuentus est, vt vnus ac solus totius puncti huius dominus esset: imò vix vnquàm, qui dimidium possederit, si tamẽ atomus iste diuidi, aut punctum possit.

Quid ergò possidet vulgus diuitum?

Quid homines mediocris fortunæ? Et quantula est villæ vnius possessio? Puncti angulus, aut propè nihil.

Ergò prauus ac demens elector iste, qui villulam (atque etiàm si totum mundum) cœli possessioni prætulerit. Dij tales, & tam cæcos, ab Imperij septẽuiratu, Electores arcete longissimè: arcete à ferendis, in cuiusuis electione, suffragijs &c.

Macrobus lib. 2. de somnio Scip. *Ideo terræ brevitas tàm diligenter asseritur, vt paruipendendum ambitum famæ vir fortis intelligat.*

An enim quidquam latum potest esse aut longum, quod non punctum ipsum est, sed tantilla pars puncti?

O parvas amplitudines nostras, ô angustos cuiuslibet gloriæ & possessionis terminos, si quis Cœli regno comparet.

Profectò; si dumtaxat villa est, mundus hic totus, quantus quãtus est, cùm idem in tot dominia ac partes sectus sit, ferè nihil eius villæ habere dici possũt, etiàm ditissimi quique.

Ità spectantibus, tàm est locuples Rex quilibet, etiàm Galliæ aut Hispaniæ, quam qui Gallinarium aut columbarium Parisijs, Romæ, aut in magna Babylone, aut Cayro possideret.

Certè rei, etiàm cùm integra est, tàm angustæ partes, in quas tàm multas eam secari necesse est, magnæ esse non possunt; vix atomi nomen pars vlla meretur, non ferè vel ipsum Turcarũ omne dominiũ.

Vix

Vix Priamus tanti, totáque Troia fuit. Ouid. ep. 1. Heroid.

Et tamen, bone Deus. vt nos miſelli, & proh dementiam, atomelli poſſeſsiunculam amamus, vt indè ſuperbimus, cum obtinemus. ſemideos nos credimus, & credi volumus.

Tu tibi liber homo, & Regis conuiua videris. Iuuenal.

* *Villam* ergò *emi* (inquit) id eſt, rem nihilo proximam prætuli Cœlo ipſi, tàm multorum licèt mundorum capaci, ſi tàm magnæ ſunt ſtellæ quàm diximus: vel clarius:

Malui in profundis Inferni conuiua Dæmonis eſſe, pretio ac ſymbolo ingenti collato, quàm Dei Opt. Max. gratis, ac ſine ſymbolo. Prouerb. 9.

* 2. *Emtione impedimenti:* At nemo ſapiens non libenter ſe impedimentis expedit, maximè ijs, quæ curam & ſalutem animæ remorantur.

An non & vulgò pretium damus, vt impedimenta noſtra geſtentur, vel auferantur, vel vt negotia noſtra gerantur?

Quis non libenter viuit in otio, quamlibet appetens ſit imperiorum & honorum maximè negotioſorum? Curiones eſſe, & in Curijs verſari velimus plerique, ſed ſine curis; & honores, ſed ſine oneribus, gerere.

Philoſophi nonnulli, vt omnibus expediti, magno & ſancto otio, in inquiſitione veri toti verſarentur, opes magnas abiecerunt.

Lactat. lib. 1. inſtit. diuin. c. 1. *Magno & excellenti ingenio viri, cum ſe doctrinæ penitùs dedidiſſent; quidquid laboris poterat impendi, contemptis omnibus & priuatis & publicis actionibus, ad inquirendæ veritatis ſtudium contulerũt, exiſtimãtes, multò eſſe præclarius, humanarum, diuinarumque rerum inueſtigare, ac ſcire rationẽ, quã ſtruendis opibus, aut cumulãdis honoribus inhærere.*

Crates

Crates, opum ipse suarum impedimenta, animo sanè excelsissimò ac inimitabili, mersit in mare.

Democritus, bonâ orbis parte peragrata, in patriam reuersus, cum summa inopia, in hortulo, iuxta suæ vrbis muros, se, ad solas rerum naturas contemplandas, contulit.

Carolus V. æternæ memoriæ Imp. imperii impedimentis abdicatis, in monasterium secessit, vni Deo vacaturus.

Hic autem rusticus Corydon non solùm impedimenta, imò impedimentorum fontem vberrimum, sibi accersiuit; sed etiàm emit. *Villam emi*, ait. *Suo sibi iumento malum*, ait prou. Solicitudinum ipse suarum, ac *fortunæ suæ faber fuit*. prou.

Nam (quæso) quid impeditius villa & vicillis quos vulgò à labore, perpetuo illo atque indefesso, totis quatuor anni tempestatibus, meritò VVallonicè vocamus *laboratores*? Quanti enim agricola, tanti & ager eius, id est, pro laboris ac diligentiæ eius modo, fœcundus est. Gall. *Tant vault l'homme, tant vault sa terre*. Sit piger villicus;

Nil nisi eum spinis gramen habebit ager.

**Villam emi* (inquit:) id est, emi perenne laborũ seminarium, cum gratis in otio versari possem.

O cœcas hominum mentes.

**Villam emi*, id est, belli materiam. Prouerbio nostrate dicitur (*qui terre a, guerre a,*) id est, qui agros habet, bella & lites habet. *Dos est agraria, lites.*

Semper habet lites, alternáque iurgia campus.

* *Villam emi*, seu Dominium aliquod, ius agri, & in homines dominatum atque imperium, id est, magni materiem mali, & segetem curarum periculosissimarum, infinitarum, atque intolerandarum, sitamen villa egregiè procurabitur. O rusticum &

paganum hominem, ô stultum Corydonem.

* *Emi* autem, quàm benè dixit, quàm moribus huius æui congruenter. Nàm ferè nùnc pretio, & precibus illo carioribus, plerique dominatus & magistratus comparantur, profani, & sacri fortasse nonnunquàm.

Fortè etiàm nùnc sit reperire Simonem Magum, qui dicat præsente pecunia : *Date & mihi hanc potestatē &c.* faxit Deus Opt. Max. vt & Petrus ille generosè respondeat : *Pecunia tua tecùm sit in perditionem.* Act. 8.

In pretio pretium nùnc est. Dat Census honores.

Adsit scala aurea, clauis aurea, & numerus (vt vocant) aureus; facilè nùnc fuerit etiam indigno ad summa conscendere.

Adsit pretium, *fies de Rhetore Consul :* ex hesterno Bubulco, Eques hodiernus, homo nouus, vt dicitur Hispanorum prouerbio : (*Ayer vaquero, oy caualliero.*)

Plerorumque electiones, non electiones dixeris, sed meras auctiones, sed nundinationes, sed cauponationes.

Licitatores, emptores, ac mercatores suffragiorū dicas nonnullos plerisque locis conuenire.

Iudaizatur, & tantum non dicitur : *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?*

Vendi si posset vni totius Orbis possessio, credo, emptorem inueniret, voto saltem & auiditate.

* *Villam emi. Emi* (inquit) non dono accepi, militiæ, studiorum, operæ iustæ iustum honorarium.

* *Emi* (inquit) non hæres ex asse adij; vt iustum patrimonium. Emi oportuit.

* *Emi.* Olim tempus fuit, quum Villis inemptis, & rude egregij viri, fortes emeritique milites donarentur, quum honores & Imperia meritis tribue-

ren-

rentur &c. illud scilicet, quo verum erat dicere: *Emitur virtute potestas.* Lucanus.

Virtute, non sautoribus. Plautus.

Nunc ferè pretio, Villæ, Vrbes, Dominatus, Præfecturæ, Præturæ comparandæ. *Probitas laudatur, & alget.* Generoso milite vti, vincere; & *scire volunt omnes: mercedem soluere nemo.*

Nundinaria ergò propè omnia, & Mercatores nùncpænè omnes Honorum, Magistratuum, & proh dolor! illi ipsi quoque fortasis, quos minimè oportebat: & earum sæpè Villarum, quæ à nemine vendi, aut subhastari, à nemine emi, gratis tantùm & meritis dari possunt, & quidem iudicio summo.

Illud Christi ad Pilatum: *Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet*; magnum planè continet Sacramentum, hûc quoque pertinens.

De pretio autem quid dicam? quo, quali, aut quanto Villam suam emunt nonnulli.

Auro quidam; quidam obsequijs, sed sæpè nihil differentibus à lenocinijs, homicidijs &c.

Nulli gestanda dabantur
Signa ducis, nisi qui scelerum iam fecerat vsum. Lucanus.

Agrippina Neronis mater *puellaribus annis stuprum cum Lepido spe dominationis admisit, pari cupidine vsq; ad libita Pallantis prouoluta.* Tacit. lib. 14. Annal. c. 1.

Sceleribus sæpè maximis, Venenis, Vi, Fraudibus, Parricidijs &c. animæ pretio ac dispendio emunt nonnulli villas suas. *hic possedit agrum de mercede iniquitatis.* Act. 1.

Vox Iulij Cæsaris quondàm hæc fuit: *Si violandum est ius; regnandi gratiâ*
Violandum est: alijs rebus pietatem colas. Cic. lib. 3. Off. ex Euripide in Phœnissis.

An non animæ ſuæ pretio,& ſcelere maximo, *emere villam* voluit Abſalom, cùm vt regnaret, patremque regno deturbaret, cœpit populo ancillari, & *ſolicitare corda virorum*? 2. Reg.

Ah, *Filius ante diem patrios inquirit in annos*, Ouid. lib. 1. metam.

An non animæ pretio Athalia, necans omne ſemẽ regium? 4. *Regg.*

An non animæ pretio Abimelech ſpurius filius Ierobaal (poſt mortem Gedeonis) cùm 70. viros fratres ſuos legitimos trucidauit, excepto minimo, qui abſconditus eſt, ſtudio Sichimitis dominandi? *Iud.* 9.

An non Amulius, ille æqui contemptor, Rex Albanorum, quum ipſe natu minor Numitorem fratrem, imperio pepulit, filiumque eius Lauſum necauit, filiam verò Iliam fecit Veſtæ Sacerdotem, vt ſpem ſobolis auferret? *Liuius lib. 1. ab vrbe condita.*

Robert. Gaguinus in Compend. geſtorum Franciæ lib 1. c. penultimo in Childeberto. An non & Childebertus Clodouæi primi filius, qui duos nepotes ſuos orphanos Clodomyri filios, quos Regina mater Clotildis educabat, iuſſos per fraudem ad ſe venire, gladio interfici coram ſe iuſsit, manu Clotarij fratris, alterum punctim, alterum cæſim, metuens ne regno alerentur?

An non & Romulus, vt villæ nouæ, id eſt, Romæ ſuæ naſcentis ſolus dominaretur, creditur Remum fratrem occidiſſe?

Fraterno primi maduerunt ſanguine primi. Lucan.

O cæcas hominum mentes, Animam vendere, perdere, vnius villæ, & dominatus exigui ac breuis ſtudio.

Quid prodeſt homini ſi lucretur vniuerſum mundum, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Matth. 16.

Villam emi his artibus, his ſceleribus, his miniſte-

rijs

rijs, his parricidijs. *Emi*, agens indigna, ferenſque.

Honeſtiores non paulò illi, qui iuſto pretio dato dicere poſſunt: *villam emi*; Nàm etſi etiàm valdè pudendum erubeſcendumque eſt, ſic hominibus præfici; non tamen adeò ſceleroſum. Proh, ſcelus, malis artibus, inquiſimis miniſterijs, magiſteria illa, & magiſtratus adipiſci, quibus incumbit artes illas & miniſteria vindicare. Sic poſteà gerunt illa, vt parârunt ſcilicet.

Honeſtiores quoque, qui modeſtè *Villam* quam habent, à ſe fatentur emptam, quam qui virtute ſua partam vaniſimè mentiuntur, non emptam; non maiorum virtute quæſitam, & relictam; non amicorum ſuffragijs conciliatam &c. id eſt, ſe quod ſunt, meritis dumtaxat ſuis eſſe falsò gloriantur. Fatebatur, qui Iunonem ſic affabatur.

Tu mihi quodcumque hoc regni eſt, tu ſceptra Iouẽque

Concilias, tu das epulis accumbere Diuûm,

Nimborumque facis, tempeſtatumq; potentem. Virg. 1. AEneid.

Mirum profectò, audere quoſdam emere Villam aliquam, id eſt, Dignitatem, ac Dominatum publicè, nullo pudore; velle autem videri dicique, virtute obtinuiſſe.

Pulcherrimum verò ob virtutem, villa aut rude à Principe aut Repub. donatum fuiſſe, nec nôn de iuſto hoſte tuliſſe, victo, certamine ſerio, aut ludicro &c.

Geneſ. 48. Ait Iacob ad Ioſeph filium ſuum, iàm iàm moriturus: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.*

Villam emi, inquit, non rapui, aut per calumniam

extorsi, vt quondam Achab vineam Naboth.

Ciceroni aliquid tale obijcere videtur Salluſtius, cùm ait. Sed, vt opinor, illa te magis extollunt, quæ poſt Conſulatum cum Terentiâ vxore de Repub. conſuluiſti, cùm legis Planciæ iudicia domi faciebatis, ex coniuratis alios morte, alios pecuniâ condemnabas, cum tibi alius Tuſculanum, alius Pompeianam villam ædificabat, alius domum emebat: qui verò nihil poterat, is erat calumniæ proximus: is aut domum tuam oppugnatum venerat, aut inſidias Senatui fecerat: denique de eo tibi compertum erat. *Quæ ſi tibi falſa obijcio, redde rationem, quantum patrimonij acceperis, quid tibi litibus accreuerit, quâ ex pecuniâ domum paraueris, Tuſculanum & Pompeianum infinito ſumptu ædificaueris: aut ſi retices, cui poteſt eſſe dubium, quin opulentiam iſtam ex ſanguine, & miſeriis ciuium paraueris?* Salluſt. ſeu quiuis alius, Inuectiua in Cic.

Imperatores aliquot Romani adhûc Ethnici huius notæ. *Sat conſtat Cn. Lentulum Augurem, cui cenſus maximus fuerit, metu & angore ad faſtidium vitæ ab Tiberio Cæſare actum, & vt ne quo niſi ipſo hærede moreretur.* Suet. in Tiberio cap. 49.

C. Caligula *teſtamenta primipilarium, qui ab initio principatus Tiberij, neque illum, neque ſe hæredem reliquiſſent, vt ingrata reſcidit.* Sueton. in Caligula c. 38.

Nerone Neronior nemo, qui *inſtituit vt ingratorum in principem teſtamenta ad fiſcum pertinerent: qui nulli delegauit officium, vt non adyceret, ſcis quid mihi opus ſit, & hoc agamus, ne quis quicquam habeat.* Sueton. in Nerone c. 32.

Caſsius Longinus, Seneca, & Plautus Lateranus, propter diuitiàs à Nerone ad necem compulſi ſunt.

Iuue. ſat. 10. *Temporibus diris igitur, iuſſuque Neronis*
Longinum, & magnos Senecæ prædiuitis hortos
Clauſit, & egregias Lateranorum obſidet ædes
Tota cohors.

Se-

Seneca sic de se, & suis opibus, ad Neronem, sed coactus opinor. *Quo modo in militia aut via fessus, ad minimum oraremi: ita in hoc itinere vitæ senex, & levissimis quoque curis impar, cùm opes meas vltrà sustinere non possim, præsidium peto. Iube eas per procuratores tuos administrari, in tuam fortunam recipe. Nec me in paupertatem ipse detrudam, sed traditis quorum fulgore perstringor, quod temporis, hortorum aut villarum curæ seponitur, in animum reuocabo, &c.*

Offerebat scilicet homo sapiens (vt aiunt) *pellem pro pelle, & cuncta quæ habebat, dabat pro anima sua*, certè satis magnum vitæ redimendæ pretium, nisi cũ Nerone res fuisset, qui, etsi sic Senecæ suo respondisset: *Non tua moderatio, si reddideris pecuniam; nec quies, si reliqueris principem; sed mea auaritia, meæ crudelitatis metus in ore omnium versabitur &c.* complexumque & oscula adiecisset, tamen tandem eum mori iussit, amore Villarum & spoliorum. *Ex Cornel. Tacito lib. 14. Annal. cap. 15.*

Nil Fibro aut Castori huic tùm profuit sese sic euirâsse.

* 3. *Deceptione sui.* Cùm enim Villæ emtione, quæreret in alios dominatum, incidit in miserrimam eorundem seruitutem.

Insinuat ipse illam suam iàm tùm seruitutem, cùm ait; Et *necesse habeo exire &c.* non autem: volo, aut libet exire, sed oportet, *necesse habeo &c.*

O quoties, necessariò exit, aut prodit, ac sæpè extra se, quisquis imperat.

Seruire multis, multis imperantem necesse est, vel seruitute beneuolentiæ & libera, vel seruitute dissimulationis & simulationis, vel seruitute ab officio imperata.

Dormiente grege, pastori vigilandum; pabulante aut ruminante, standum.

Imperatorem stantem oportet mori, aiebat ille.

Antigonus Macedoniæ Rex Regnum vocabat *splẽdidam seruitutem.*

Cicero ipse iàm factus Imp. ità de se aiebat. *Accedit molesta hæc pompa lictorum meorũ, nomẽque Imperij quo appellor, eo si onere carerem, quamuis parua Italiæ latebris contentus essem.* Cicer. lib. 2. epp. fam. ep.16.

Qui maior est vestrûm, sit vester minister.

Operarum operosissima opera regia; non in Curiâ incuria aut otium quærendum est.

Diogenes Cynicus, cùm forte adesset, quo tempore Alexander epistolam miserat ad Antipatrum, per nescio quem Athliam nomine ; Cynico suo *more* quidem, sed certè verisimè, & elegantissimè *dixit: Athlius ab Athlio, per Athliam ad Athlium*, quasi dicat, *Seruus & Miser, miseri filius, ad Miserum, per miserum.* Nàm Athlius Græcis, sonat Latinis miserum, & cum multis laboribus colluctantem, vndè & athletæ nomen. *Diogenes Laert. lib.6.*

Et præterea in miserijs regijs hoc miserrimum, quod miseri cùm sint, non sunt cuiquam miserabiles; imò & fœlices creduntur, salutantur, vt Crassus, diues, etiàm in paupertate.

Hùc spectauit Rex ille (Antigonus, ni fallor) quem ferunt traditum sibi diadema, priusquàm capiti imponeret, retentum diù considerasse, ac tandem ità exclamasse: *O nobilem magis, quàm felicem pannum, quem si quis penitùs cognoscat, quàm multis solicitudinibus & periculis, & miserijs* (in quibus etiàm seruitutem multam & multorum numera) *sit refertus; ne humi quidem iacentem tollere vellet.* Valer. Max. lib. 7. c. 2. Stob. serm. 47.

Forsitan & quinis Pont. Max. adspectat, cùm *Seruũ seruorum Dei* se scribit.

L. Cras-

L. Crassi clari, ac nobilis viri vox fuit: *Eripite nos ex seruitute: Nolite sinere nos cuiquam seruire, nisi vobis vniuersis, quibus & possumus, & debemus.*

Vide Paradoxon 5. Cic.

Est regnum Seruitus, & quidem magnæ & intractabilissimæ beluæ, quià tam multorum capitum.

Vide Sueton. in Tiberio c. 24.

Sub corona sunt serui? sub corona sunt & Reges? Capiuntur serui? abripiuntur, & coguntur seruire? itidem boni Reges, regnare; boni Episcopi, præesse.

Tiberius Cæsar tandem quasi coactus, & querens miseram & onerosam iniungi sibi seruitutem, recepit imperium, nec tamen aliter, quàm vt depositurum se quandoque spem faceret. Sueton. in Tiberio c. 24.

Saul ipse *absconditus domi*, indè ad regnum à pop. abreptus est. 1. *Reg.* 10.

An tu potentem censes, qui nos terret? ipse plus metuit, qui, vt potens esse videatur, in seruientium manu situs est, in satellitum suorum & quasi tutorũ potestate.

Seruit subditis, seruit collegæ si habet: *Qui* enim *collegam habent, habent & Dominum*, aiunt vulgo nostrates.

Omne, sub regno grauior e regnum est. Senec. Trag.

Adde & seruitutem vitiorum, quibus ferè plurimis maxima imperia seruiunt, hic tantò seruiliora, quantò liberiora, & sine Ephoro vllo, aut Censore, non qui corrigat acriter aut corripiat (quotus enim quisque hoc vel ausit vel possit?) sed vel qui leniter submoneat, aut timidè insusurret.

Magnis enim fastigijs, rerum alioquî omnium diuitibus, vnum hoc deest, qui eis dicat veritatem.

*4. *Neglectu sui.* Dùm enim publica curat; priuata, & sua, & se negligit. *Necesse habeo exire*, inquit, id est, meipso neglecto, aliorum solicitum esse.

Plautus in Asinaria: *Qui fundum alienum arat, suum incultùm deserit, ac lapidosum sinit.*

Festucam ex oculo fratris eijciens, trabem in suo non videt.

Morbis aliorum prouident, qui suis non cauent.

Vt alieni matrimonij adpetens, non est sufficiens suo; sic nec alieni negotij, & multorum curator, sufficit curæ sui, vt plurimùm.

Alteri militans & in alieno solo, ad sua reuertens ferè viuit senex & pauper.

Prou. *Iuuenis miles, senex mendicus.*

Tantumne est ab re tuâ otij tibi.

Alienа vt cures, eaque nihil quæ ad te adtinent? Terent. in Heaut. Act. 1. Scen. 1.

Prou. 17. *Oculi stultorum in finibus terræ.*

Visus potentia ad duo simul inspectanda non sufficit. Humanum non est, duobus simùl locis esse.

Notus nimis omnibus, Ignotus moritur sibi, ait Senec. Trag.

Pluribus intenti minor est ad singula virtus.

Hûc spectat cuiusdam Similis Prætorianorum dictis factum.

Dicamus verbis ipsius Dionis Hist. lib. 69. in Hadriano. *Similis verò* (nota lector, nomen Similis proprium hic esse) *quum eos ætate & honore anteiret; nemini (vt ego quidem arbitror) moribus & virtute secundus erat: idque licet ex re perexiguâ cognoscere. Nàm quum Centurio esset, eumque Traianus ad tè Præfectos introò aduocauisset; Turpe est (inquit) tibi Cæsar, cum Centurione, remotis Præfectis, disserere*

rere. *Is deindè Præfecturam Prætorianorum inuitus obijt, quâ posteâ se ipse abdicauit, ac vix tandem dimissus, ruri reliquos septem vitæ annos conquieuit, suoque sepulchro moriens inscribi iussit hæc verba :* HIC IACET SIMILIS, CVIVS *d* AETAS MVLTORVM ANNORVM FVIT, IPSE SEPTEM DVMTAXAT ANNOS VIXIT.

(*d* LXXVI *annorum.*)

Vbi Leunclauius notâ 266. B. 1. *Quod legitur heic in epitaphio Similius,* ὃς μὲν ἔτη τόσα, ζήσας δὲ ἔτη ἑπτὰ *traductum his à Blanco verbis ;* Cuius ætas multorum annorum fuit, ipse septem dumtaxat annos vixit: *omnino vitium scripturæ quoddam habet, quod in voce* τόσα *latitat. Memini de hoc monitum aliquandò me Constantinopoli, quum fortè Cedrinum in manibus haberemus, à Theodosio Zigomala doctissimo Græcorum omnium, quos equidem cognoui, & optimo viro notario Patriarchico. Nam reperisse confirmabat antiquis in libris eius, quem dixi, Cedrini, verum hanc scripturam.*

Σίμιλις ἐν τοῦθα κεῖται, ὃς μὲν ἔτη ος, ζήσας δὲ ἔτη ἑπτὰ,

hoc est;

HIC IACET SIMILIS, CVIVS AETAS LXXVI. ANNORVM FVIT, IPSE SEPTEM DVMTAXAT ANNOS VIXIT. *Recitat autem ipsa Dionis verba Cedrinus, quæ post Cedrinum Zonaras quoque suâ in historia repetiuit. Et hoc modo licet hoc vitium tribus simul ex historicis tollas;* Hæc Leunclauius.

Ouidianum illud, *Benè qui latuit, benè vixit*, hùc referri possit.

Viue tibi, quantumque potes prælustria vita. Ouid. lib. Trist.

Quid suauius, quàm domi manere? & quid vtilius?

Quid

Inprimis cùm à Domino ſuo habitatur, ornatur; &, quod multum eſt, vel ſolum habitata, etiam nullo addito ornatu, non tam facilè ſitu labaſcit, muceſcit, ac veteraſcit.

In ſe deſcendendi, in ſe regrediendi, aut ad ſe redeundi vix tandem habet poteſtatem quiſquis imperat, vel non permittentibus ipſis, quos benè rexit; vel non ſinente beneuolentia ipſa, qua maxima in bonos ſubditos adficitur; vel regnandi ſuauitate præguſtatâ adhùc alliciente; vel Conſcientiæ tamdiu neglectæ, & in chaos horrendum conuerſæ horrore.

Suum Augeæ ſtabulum capax boum ter mille, triginta totos annos irrepurgatum intuens, nec ſe Herculem reputans, nec iam amplius habens Alpheum fluuiũ, quem tranſmittat ad eluendum, id eſt, baptiſmo fluminis, qui ſemel tantùm confertur, deinceps iterum vti non valens, illud ingredi reformidat; foris hæret, dicens: *qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhùc.*

Vel emendandorum & repurgandorum omnium vel veniæ quadã quaſi deſperatione, in luto ſuo eodẽ hæret, aut profundius infigitur, & ſecũ ſic loquitur. *Maior eſt iniquitas mea, quã vt veniam merear.* Gen. 4.

Sic vt virtutem videant, intabeſcant que relicta. Perſ. ſat. 3.

Adeò totus fuit, vbi vehementer amauit, vt numquã domi fuerit, niſi fortè poſt longa interualla, & vt vnius horæ viator & hoſpes; adeò exijt, emigrauitque extra ſe, & è domo animæ ſuæ, magisq; ibi fuit vbi amauit, totoq; animo peregrinatus eſt, vt ciuis factus ſit externi ſoli, ne de reditu in ſe ac ſua cogitet; & ſi fortè viſitat Conſcientiæ ſuæ domũ, quaſi certus redeundi atque in poſterum incolendi, mox retrò pedem refert, territus horrifico viſu noſtrorum, illic per abſentiam

sentiam eius tàm longam aut innatorum, aut aliundè ingressorum, aut illatorsi, & repulsus tetris, quasi Camarinæ nescio cuius Siculæ, fœtoribus, pestis contagia exhalantibus.

Retrocedit ocysimè instar viatoris, cui ex improuiso in syluâ occurrit

coluber mala gramina pastus.

Pallet, vti nudis pressit qui calcibus anguem,

Aut Lugdunensem dicturus Rhetor ad aram. Iuuen. sat. 6.

Dionysio Tyranno ne integrum quidem erat, vt ad iustitiam remigraret, ciuibusque libertatem, & iura redderet: ijs enim sese adolescens improuida ætate irretierat erratis, eaque commiserat, vt saluus esse non posset, si sanus esse cœpisset, ait. Cic. lib. 5. Tusc. qq.

Et tamen eiusmodi *stultorum infinitus est numerus*, id est, curam magis aliorum quam sui affectantium, & imperia ambientium, se negligentium. Vnus quæritur in electionibus, & eligi velint infiniti.

Ecquis est militiæ vel tyro vnius diei, qui non iàm iàm aquilifer aut Dux creari, si possit, velit?

Quod plures sint qui pareant quàm qui imperent, domi, militiæ, & foci, necessitate fit non voluntate, saltem plurimorum. Sceptra, & infulas omnes somniamus.

Nemo non libenter imperet, nemo non sibi videtur habere *faciem dignam imperio*; aut caput, quod mitram gestare possit.

Non sum adeò informis, nuper me in litore vidi. Virg. Buc.

Cæterum, vt stultè egerit iste, quum hanc extra se egrediēdi necessitatem, etiàm pretio, accersiuit (*Necesse habeo exire:*) tamen non parum sapit, quòd hùc se teneri, huc ex officio vrgeri, libens agnoscit.

Omnes enim honoribus aucti, ferè satis intelligimus

gimus honores nostros atq; imperij dignitatem; omnis verò, seu officium non item.

Ingrediendi egrediendique ministerium, Regum est proprium, vt sæpè legas in scriptura, cùm de Regibus agitur.

Oues suas Pastor bonus noscit, & *antè eas vadit &c.*

Nàm sanè quidam ità villas habent, vt eas numquam, aut perrarò visitent, numquam aut rarò, loco exeant, velut adfixi Solio, Otio, Voluptatibus; velut Incurioſi Reip. velut pauidi, periculorum, imò plumæ & vmbræ suæ metuentes.

Ità sunt Pastores, vt fixa in hortis aurium illa terriculamenta, aut Termini & limites lapidei, *in finibus* agrorum constituti.

O Pastor & idolum, derelinquens gregem. Zach. 11. Vide locum & commentatores. Est *pulcher* locus.

Ita immoti manent, vt Terminus in ipso Romæ Capitolio. Vt enim Terminus, fabulosus ille Ethnicorum Deus, cum Capitolium ipsi Ioui erigeretur, Dijs cæteris cedentibus, ne Ioui quidem cedere voluit, sed in æde, vt olim steterat, restitit, sic nec illi, neque amoris, neque honoris Dei studio, pedem *huc* illucue mouerint. *Vide Ouid. 2. Fast.*

Oculis semper alienis videre, & alienis auribus audire, periculosum est ipsis, etſi subditis multò magis. Nàm delatores sæpè faciunt *candida de nigris & de candentibus atra*, quo iure, quaq; iniuria.

Notum lippis & tonsoribus, quàm nigras animas quidam habere passim crediti sunt, boni tamen viri, quod audita & credita, non visa sunt, quæ de illis spargere sui hostes, nimis affectatè his officiosi, hisce iurij.

Illud (*Necesse habeo exire, & illam videre*) opere exer-

exercere oportet eos, ac sæpè sæpius quidem, & qui hominibus, & qui operibus præsunt.

Oculus Domini impinguat equum, agrum, &c.

Ipse Deus, qui tamẽ vbique est, & videt omnia primus, tamen ædificantibus turrim Babel perduellibus, *descendit, vt videret ciuitatem & turrim, quam ædificabant filij Adam.* Genes. 11.

Et filius Dei *propter nos, & propter nostram salutem descendit de cœlis.*

Nequesatis Ioui olim fuit, relatu audisse barbara conuiuia mensæ Lycaoniæ, multaque alia, de humani generis impietate, non omnia credidit, sed ipsus, occultatâ tantisper diuinâ Maiestate (vt poetæ fabulantur) relicto cœlo, & os humerosque homini similis factus, in terram descendit, aliquod regiones peragrauit, tandemque sub noctem ad Lycaonis ipsius Arcadum Regis regiam venit, oculis ipse suis rem totam cogniturus, *venit, vidit, vicit* hominis feritatem digna castigatione.

Medici *quique optimi, post vrinarum inspectionem, etiam optant agrorum conspectum, vt certius ac tutius opitulentur.*

Adeò Dominorum præsentia, & oculus, est regnis necessarius, vt idcircò in regiorum sceptrorum summitate oculus adpingatur.

Qui aures longas, longas potentum manus laudant, ijdem ijsdem optant oculos obtu fiores, qui res non nisi propriùs admotas cognoscant.

Et Pastores animarum summi, Episcopi idcircò dicti, quasi dicas superintendentes, & ex alto omnem gregem speculantes.

Oculis, & ipsorum ictu, ac nutu solo, præsens Iupiter totum concutit orbem.

Ex Suetonio in Cæs. c. 37. Notum est famosum illud

C. Cæ-

C.Cæsaris inter pompæ Triumphi Pontici ferculas *Veni,vidi,vici:* Non vicissetcredo, tùm Romanus miles,nisi Cæsar ipsus venissetvidissetque.

Nec Carolus V.æternæ memoriæ Imperator tàm facile Gandenses turbas pacauisset, nisi ipse,ex vltimis Hispaniarum finibus,per Gallias,illuc venisset. *Necesse* habuit *exire,& videre villam*, & ipsum vidisse profuit.

Obuli tàm ad terrorem sunt duces,quàm ad amorem.

Omnis vis Leoni constat in oculis. Plin.lib.8.c.16.

Optimè ergò iste,vel in insipientia sua summa ait: *Necesse habeo exire,& videre eam.* Eundum redeundumque frequenter ad gregem.

Proceres crebrò oportet adtendere,quorsum torques aureas circum colla gerant, vt scilicet Reipub. & subditorum bono se sciant esse debere deuinctissimos.

Et cùr auro benè gemmato capita Regum coronantur? cùr nisi vt Heroicis virtutibus coronentur,&omnibus antecelltã,vt gemmarum instar prę fulgeant?

Cur geritur sceptrum? nisi, vt suos illo, tanquam virga,cùm opus est, castigent, cùm opus est,defendant,& quasi baculo fulciant,lupum abigant?

*Virga directionis,virga regni tui.*psal.44.

Cùr purpurantur? nisi, vt eximiâ in subditos charitate ardeãt? nisi, vt si opus sit,pro suis,suo sanguine rubricẽtur? *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.*Ioan.10.

Habent, habent vestes, & omnium Procerum gestamina,linguam suam si intelligantur, vti & nostræ Religiosorum coronæ,zonæ,chordæ,cuculli&c.quibus nisi vtrique respondeamus, nil nisi tragico cultu, risum iocumq; nasutulis interpretibus affatim mouebimus. Romanis

Romani tollent Equites Peditesque cachimum. Horat.in Arte.

In me psallebant, qui bibebant vinum. psal.

Factus sum illis in parabolam. psal.

* 5. *Ordinis peruersione.* Commisit fœdum hysteron proteron, Videre enim, & inspicere villam tùm demum voluit, cùm empta esset, & sera futura esset pœnitentia.

Ante emtionem diu multumque inspectam oportuit.

Nàm quis vel equum emturus, non ante illum inspectat, & depositis phaleris atque ephippijs, si possit, nudum, ne quid occultetur?

Quis vina empturiens, non prægustat?

Quis vxorem ducit nunquàm anteà visam, vel ipsam, vel saltem in tabella pictam, vt nùnc Ludouicus XIII. Gallorum Rex, Regis Hispaniæ filiam, futuram vxorem?

Tutius è tabulâ pictos edisce re vultus, quàm ex rabula laudatore Pythio argentario Syracusano haud facilè de villa sua, aut hortis, credendum est, nisi cautè videantur. *Vide apud Cic. lib. 3. officiorum, lepidam æquè, ac fraudulentam, seu fabulam, seu historiam de Pythio venditore, & Canio emptore.*

Nemo ferè tàm friuolarius est mercator aut tabernarius, qui non hyperbolen admittat, cùm cultellos suos, & conchas venditat.

Laudat vænales, qui vult extrudere, merces. Horat. 2. ep.

Et vulgari prouerbio iactatur, *vnicum à condito orbe mercatorem fuisse, qui merces suas vituperarit, sed actum idcircò in crucem fuisse.*

Ergò Mulier illa fortis, à Salomone laudata, hoc Villæ emptore prudentior, quæ scilicet *considerauit agrum, & emit illum.* prouerb. vlt.

(*Considerauit* primùm, deinde *emit*.

Idcircò prudentissimè ab Ecclesiâ, certum, inter sponsalia & nuptias, tempus constitutum.

Item ab eodem, in quauis probata Religione annus probationis integer cuique decretus, duo etiàm alicubi: alicubi, vnus in veste dumtaxat clericali, & alter in veste monastica, antè votorum emissionem.

Si ante emptionem villam studiosè vidisset, numquàm emisset fortassis; ac ne forsitan quidem vel obtrusam, aut gratis datam accepisset.

Deterruissent eũ, dubio procùl, partim { 1. *Curæ, & pericula ab illâ;* 2. *Præcipitiorum horror;* 3. *Vsus breuis.*

* j. *Curæ, & pericula &c.* quorum non est numerus, vndè nec ferè facilior exitus, quàm ex Cretensi labyrintho.

Corona ac mitra aurea quidẽ illa est, quæ *foris est*, sed quæ intùs est, & mirè cerebrum lancinat, tota spinea est, vt illa Christi in Passione.

Purpura quidem foris ridet blandissimè, sed cilicium intùs ad cor vsque asperrimè compungit.

Lectulum, in quo Rex aliquis aut Prælatus, securus in vtramque aurem dormire vmquàm vel possit, vel audeat, solandis ægris omnibus insomnia laborantibus, venalem optem, aut mutuabilem. Magno emeret, credo, vel Augustus ipse, qui culcitram Equitis Romani multo ære alieno obstricti emerit.

Curarum curia mater.

A curis dicti Curiones & Curatores.

Damocli cuidam seu Democli seu Dimocli (vt aliis placet) Reges beatissimos opinanti, & neganti quemquam Dionysio beatiorem fuisse.

Dionysius ipse, egregio sanè inuento, demonstrauit

strauit, Reges inter multa maximaque periculasemper versari. Nàm in aureo lecto sedere iusso, ad mensam lautissimam (Solis mensam dixisses) regieque vestito, iussit supra caput districtum gladium è lacunari tenui setâ equinâ suspensum ostentari, imminentem illîus horarii beati ceruicibus. Itaque tunc nec administratores mēsæ formosissimos adspiciebat Damocles, nec plenum artis argentum, quod abacos onerabat, nec manum porrigebat ad mensam, ipse quoque coronæ roseæ ex capite trepidantis defluebant, & odores suauissimi, qui illi incendebantur ad voluptatem, iàm fœtebant: *denique exorauit tyrannum, vt abire liceret, quod iàm beatus nollet esse.* Cic. lib. 5. Tusc. qq.

Et magis auratis pendens laquearibus ensis
Purpureas subter ceruices terruit, quàm tauces esca delectauit. *Pers. sat. 3.*

Terror scilicet semper aliquis dominatoribus impendet, vel ab hoste, vel à ciue.

Prodere vel latum pedem vix audent; adeò, qui multos sæpè iniustis carceribus claudūt, seipsos quodam quasi carcere perenni domi coguntur includere, rarissimè prodire &c.

Qui multos terrent, à multis timent.

Qui terret, idem & trepidat. Metus in autorem, vt iacti lapidis ictus, *redit,* Seneca.

Multis terribilis caueto multos.

Quod ciuibus tenere se inuitis sciunt nonnulli,
Strictus tuetur ensis. Senec. in Herc. Furente. Act. 2.

Non est diuturna possessio (addo nec secura) *in quā gladio inducimur,* aiebat Alexander Magnus. *Q. Curtius* lib. 8.

Ne tonsoribus quidem collum & mentum quidam audent committere; filiæ regiæ virgines, ancillari

cillari artificio, vt tonſtriculæ, tondere docentur & radere barbas patrum & capillos.

Iiſdem quoque iàm grandiuſculis ferrum tollitur, nouacula prohibetur; iuglandium putaminibus candentibus adurere paternos pilos iubentur

Vxorum ipſarum ſinus excutitur, ne fortaſſe telum, ſicam, & mortem pro amore ad lectum conferant.

Pallet & infœlix, quod proxima neſciat vxor. Perſ. ſat. 3.

Cùm in communibus ſuggeſtis conſiſtere non tutum fecerunt, ê turribus altis concionantur, quæ omnia de Dionyſio narrantur. *Cic. lib. 5. Tuſc. qq.*

Vox Thyeſtis: *Dùm excelſus ſteti,*
Numquam pauere deſtiti, atque ipſum mei
Ferrum timere lateris, id eſt, vel ſuum ipſius gladium, vel potiùs corporis ſui cuſtodes. *Senecæ Thyeſte Act. 3.*

Ne buccellam quidem ori admouere tutum, non vinum ſine præguſtatore libare. *Venenum in auro bibitur, expertus loquor*, ait Thyeſtes ibid.

Vix Euchariſtiam ſumere, vix literas receptas legere. His enim quoque artibus Magnates intoxicantur. *Dom. Launæus in paruo ſuo theatro lib. 3. multis pag. 143.*

Nero taciturnitatem pudoremque quorundam pro triſtitia ac malignitate arguebat, ſuſpectoſque ſibi dicebat. Sueton in Nerone cap. 23.

Iulio Cæſari, pallidi & macilenti, Caſsius & Brutus fuêre formidini. *Plutar. in Cæſare.*

Ad generum Cereris, ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt Reges, & ſicca morte tyranni: ſunt verſus ipſis terribiles.

Et: *Quem quiſque odit, periſſe expetit.*

Norunt

Norunt, multos è solio in carcerem tractos, vt contrà quosdam (in quibus fuit Ioseph, & Matthias ipse Coruinus Ioh. Hunniadis filius) è carcere ad solium ac regnum.

Norunt, ingenium plebis esse varium & mobile, hodiè ramos & vestes Christo substernentis, plaudentis, & letum *Hosanna* iterumq; iterumq; illi adclamantis, ac post triduum in crucem eumdem agentis, vel poscentis per summam iniuriam.

Hic pietatis honos.

Norunt, etiam amicos ac consanguineos sæpè magnis fastigiis inuidisse amicis, fratribus; aliquandò parentibus liberos, liberis parentes, regnum & vitam eripuisse: quæ *scelera non intrant casam*. Senec. in Thyeste Act. 3.

Quid loquar maiores illos metus, à Iudicio illo Dei vltimo? ab illis verbis, *Potentes potenter tormenta patientur?*

O pretiosum pannum quidem diadematis, sed quanta pericula prætegentem.

Qui te viderit, & pernonerit; ne humi quidem iacentem tollat (vt ille superius aiebat.) *Tollat te, qui non nouit.*

Qui viderit te, resiliet à te.

Sed quid? miseri, visitamus demum & Iustramus villam, cum emimus; id est, cùm iam in caput diadema aut infulam sustulimus, & quasi adfiximus, tũ serius honorum onera, curas, & pericula consideramus, vti *villam* suam iàm erutam Corydon iste noster.

In hoc & ego morbo aliquandò.

Ità scilicet *Serò sapimus Phryges* ferè omnes.

Hæc sæpè ruminate, animulæ religiosæ, quæ adhûc subestis, cum ne præsidendi aliquandò munus etiàm oblatum temerè aut auidiusculè suscipiatis, multò

verò minus vmquam ambiatis; tũm vt Abbatissæ, & earum, quę vobis pręesse in Domino coguntur, discatis misereri. Expertus loquor.

*ij. *Præcipitiorum horror*, quale est, ex fortunato fieri infælicẽ; ex Ordinum ductore, gregarium, & parere, nonnunquã perperã imperitantibus, quibus alioqui ipse optimè humanissimeq; imperaris. Quoties *Sontibus parent boni*: Sen. in Herc. furente, Act. 2.

In omni aduersitate fortunæ, infelicissimum genus infortunij est, fuisse fælicem. Boetius libro secundo de Consol. *prosa* 4.

Verborum de præteritis miserrimum, *fuisse*, olim beatioribus.

Fuimus Troes; fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum; ferus omnia Iupiter Argis
Transtulit. Virg. 2. Aeneid.

Et: *Nos quoque floruimus, sed flos fuit ille caducus,*

Nostraque de stipulâ flamma, breuisque fuit. Ouid

Quo status altior, hoc casus grauior. Diuus Gregorius.

Altè virtus animosa cadit. Senec. in Hercule Furente Act. 1.

Adde; Miserias acerbiores fieri, suauium pręgustatione, & adsuetudine.

Dediscit animus serò, quod didicit diu. Senec.

Mollibus adsuetus, loricam ferre recusat. Mantuan.

Ne dicam, in quàm lubrico positi sint quicumque regnant, vt diu stare ægrè possint absque lapsu, aut crimine, ægerrimè respiscere, nemine nedum corrigere, sed ne quidem corripere, imò ne errorem quidem vel subindicare audẽte, imò ne lege quidem ipsa, aut Legislatore, si reuiuiscat.

Cui plurimum licet, plurimum libet.

Reg-

Regnóque fulti, plura quàm fas est, petunt:
Quod non potest, vult posse, qui nimium potest. Senec. in Hippol. Act. 1.

Deteriores omnes sumus licentia. Terent. in Heaut. Act. 3. sc. 1.

Nemo ferè sic se admonet: *Minimum decet libêre, cui plurimum licet.* Senec.

Sibi potentes occinunt, & succentores multos habent: *Quod Ioui, hoc Regi licet.* Seneca in Herc. furente Act. 2.

Quod *Principi placuit, lex est.*

Si libet, licet, aiebat suo Neroni impia mater Agrippina.

Ius in armis. Vel: *Lex iustitiæ fortitudo nostra.* Vel: *Arma tenenti omnia dat, qui iusta negat.* Lucanus.

Illis, dum de malis suis consuluntur, ità ferè respondetur, vt olim Cambysi apud Herodotum.

Quum enim ante Cambysem, Persæ sorores in matrimonium accipere nequaquàm consuêssent, ipseque Rex Persarum, vnius sororum amore captus, ex ipsdem omninò parentibus natæ, cupidusque deindè ducendi illam vxorem, quum propter rei insolentiam laboraret efficere; accersit eos, qui regij Iudices nominantur. Fiunt autem delecti à Persis viri, suntque perpetui, nisi delicti alicuius comperti fuerint. Isti apud Persas ius dicunt, & legum patriarum sunt interpretes, & ad eos omnia referuntur. Hos Cambyses percontatur: *nàm qua lex sit, quæ sinat volentem cùm sorore contrahere matrimonium?* Iudices respondentes, *negant se vllam inuenire legem, quæ sinat fratri nubere sororem; quamdam tamen inuenire, quâ liceat Regi Persarum facere quicquid libeat.* Ità neque legē abrogarunt, metu Cambysis; & ne legem tuētes, ipsi perirēt, aliā inuenerūt adiutricē eius, qui sororē in ma-

in matrimonium ducere vellet. Tunc itaque Cambyſes ſororem illam accepit vxorem, aliquãtoque poſt & alteram. *Herodot. lib. 3. in Thalia.*

Eò vergunt leges, quò volunt Reges, ait Hiſpanus vulgato prouerbio (*Alla van leyes, do quieren Reyes.*)

Et iàm ſi Dijs placet, ritè obedientes, & ingenij tractabilis à quibuſdam illi cenſentur, qui ſententiam rogati, non ſpectant, quò Dei aut Patriæ lex, quò Veritas, quò Conſcientia vergant & vrgeant, ſed quid velint qui ſunt in imperio, aut ignari, aut obliti, aut incurij illius oraculi: *obedire Deo magis oportet, quam hominibus.* Act. 5.

Hinc illæ lacrijmæ: Nàm ità ruunt Reges, Prælati &c. in vitia præcipites, non iàm ſolùm adpetitu ipſos trahente, ſed Conſultoribus quoque impellentibus, ac volutabellum adijcientibus potiùs, quàm inflaminantibus. Ab his Rex, ſi non ſatis furit, inſtigatur.

Oleum camino additur.

* *Adde*, opes ingentes adeſſe, quibus, quaſi alis, ad omnia mala conuolant.

* *Item*; vix opes magnas, etſi alienas, & ſacras, quæ ſunt Reip. à quoquam tàm religiosè tantaque fide tractari, vt non earum abuſu, aliquandò peccetur. Difficilè, eas manus non pingueſcere, quæ vaſa olearia ſæpè adtrectant.

After, affer ſemper ab ijs inclamari? nunquàm aut rarò audiri profer, profer publico bono, quod priuato ſubtractum eſt.

Paucos poſſe illud Pauli verè vſurpare: *Argentum & aurum, aut veſtem nullius concupiui, ſicut ipſi ſcitis* &c. Act. 20.

Aut illud Samuelis, ad populum Iſraelitarum, quem tamdiu rexerat: *Ecce præſto ſum. Loquimini de me coram*

me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum: si quēpiam calumniatus sum, si obpressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi: & contemnam illud hodiè, restituamque vobis: Pauciores, quibus sic respondeatur a populo, vt tùm Samueli: *Non es calumniatus nos, neque obpressisti, neque tulisti de manu alicuius quippiam.* 1. Reg. 12.

Repetundarum multos esse reos.

* *Denique*; videri semper, & reuera maiora esse, crimina potentiorum.

Index futurus, sanguine humano abstine,

Quicumque regnas. SCELERA TAXANTVR MODO MAIORE NOSTRA, rectè ait Amphytrion apud Senec. in Herc. furente Act. 3.

Adgrauat certè *Ordo, Locus, peccata, Scientia, Tempus.* Cic.

Vnde & in vet. lege, quale sacrificium fiebat pro peccato totius populi, tale fiebat pro peccato solius Sacerdotis.

* iij. *Vsus breuis. Breues dies hominis sunt.* Iob.

Maximè verò *omnis potentatus vita breuis.* Eccles. 10.

Iob. 20. *Gaudium hypocritæ ad instar puncti.*

* 6. *Vanitate.* Nàm fructus rei tanti emptæ non alius, quàm visio. *Necesse habeo videre illam* (inquit) non lætari in ea, non eâ frui.

Visio sola totum precium precij, & operæ positæ in villæ acquisitione.

Eccl. 5. *Quid prodest possessori, nisi quòd cernat diuitias oculis suis?*

Vrbium, Arcium, Villarum, Balnearum &c. adspectum alternum dumtaxat habent dominatores.

Videndi studio, peregrinationes suas nunc huc, nùnc illùc instituunt.

At oculorum illa voluptas, Deus bone, quam est & leuis, & breuis.

Sed nec *satiatur oculus visu*, vt *nec auris auditu*.

Et eadem videre, subditis ac mancipiis commune est, imò & hostibus quoque ipsis perfrequenter, ac gratis quidem.

Et videt eadem subditus maiore cum voluptate, quàm Dominus ipse qui emit, vt qui susque deque habeat sarta tecta Villarum & Arcium, nihil ruinarum aut minarum solicitus.

Et, si videre villas, arces, vrbes, palatia pulcra, tanti est; ecquod palatium hoc mundo amplius, pulcrius? Et cui illud quotidiè spectare non licet, quantum satis?

Nihilominus, malum; ea est hominum dementia, vt villæ vnius gratia, eiusque visendæ studio, ad Dei Opt. Max. cœnam omnium lætissimam ac lautissimam, iterumq; iterumque inuitati, venire recusent. *Rogo te* (inquit iste) *habe me excusatum*, &c. Derogaret scilicet augustæ dignitati, seruum venire ad Dominum ac Deum suum, iterum inuitantem.

At Augustus ipse Rom. Imp. nulli ferè ad conuiuium vocanti negare solitus est.

Et Christus vocatus à Publicanis, item à Pharisæa hostibus; & à Simone leproso adiit, & ad seruos Dominus venit. Apud Zacchæum se non inuitatus inuitat. *Hodiè*, ait, *oportet me in domo tuâ manere*. Luc. 19.

At cœna perparca excipi metuunt, cogíque cum Augusto simili occasione dicere? *Non putabam me tibi tàm familiarem*. Erasmus lib. 4. Apophtheg. 27.

Imò contra, *fecit cœnam magnam*, maiorem multò, quàm diximus.

Non itur tamen,

Ità

Ità scilicet ab Adamo communi omnium parente minimè degeneramus, quem vel pomum agreste fortassis, atque acerbũ, à Dei sui amore diuertit, & perdidit.

Ità Esau similes euadimus, qui ob legumen, & penè siliquas, primogenita nostra vendimus.

Malumus gancones ganeas cum ganeonibus colere, quàm non dico ciuis honesti domum, sed Dei Altissimi adire palatium, Ecclesiam, cœlum.

Sic *Thurinus* nescio quis *fumi venditor*, aut qui gẽmas vitreas pro veris venditet, emptores potius inuenerit, quàm quiuis mercator probatissimus.

Sic Epicuri horti frequenti auditorio complentur, Platonis autem Academia desertum mera solitudo.

Viæ Sion, & Ecclesiarum, *lugent, eò quod non sit qui veniat ad solemnitatem*, ad Concionem &c. viæ verò ganearum, sphæristeriorũ, spectaculorum &c. feruent itantium frequentia.

Filij hominum, vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? psal. 4.

Vt quid vmbras pro corporibus captatis? res temporarias pro æternis? creaturas, contempto creatore, amatis, colitis, adoratis? Cur via tàm difficili ruitis in Infernum, lactea ad cœlum, via sic contempta &c.

Vos verò terque quaterque beatæ, (ô sanctæ animulæ, & sponsæ Christi) quæ non modò non villas, & dominia noua vobis emere, & grandescere nominibus opibusque affectastis, sed etiam iàm vel emptas laboreque partas, aut à maioribus relictas, sponte pro Christo abdicastis, ne ab hac Cœna abessetis, neque Conuiuatori tanto Christo Iesu nuntium remitteretis.

Beatæ

Beatæ vos, quæ tàm viriliter hùc intrando, ſponteque vos repagulis iſtis includendo, oſtẽdiſtis, vobis nihil *ueceſſe eſſe exire*, & *videre* vaſtam huius mundi *villam*.

Vidiſſe vos iam ad nauſeam vſque ingreſſu ipſo oſtendiſtis; imò etiàm *grauẽ vobis eſſe ad videndũ*. Sap.

Clathris ac muris iſtis includi voluiſtis, ne exire: ne illam videre cogeremini vel incurſantem.

Paſcere mentem Cœli ſpectaculo, quàm ſordidæ huius villæ vilis mundi maluiſtis.

Cœnare verè cum Chriſto, quàm pictè & fictè cũ mundo, ſatius iudicaſtis.

Cœna certè maior meliorque, & æterna repotia expectant, ſi quo pede cæpiſtis, eodem (vti *ſpero*) pergetis cænis Chriſti ſpiritalibus huius vitæ delectari &c.

Paleæ, & Micæ.

*1 *Quia ſuperiùs* Seneca fuit Caſtori, ſeu fibro (Gall. *Bieure*) comparatus: hîc ſeorſim, procul à cæcellis, & caſtis auribus Virginum, apud quas hæc cio habebatur, in gratiã tui, bone lector, viſum rius dicere, quod de Caſtore memoratur.

Scriptores ergò plerique aiunt. ipſum ſuos ſibi teſticulos exſcindere, abijcere, & obijcere perſequentibus & inſidiatoribus, hoc vnum in ipſo amantibus, ne dùm nimis hoc ſeruat, ab ipſis captus, & hoc & vitam vnà amittat. *Vide Plinium lib.* 8. *c.* 30. *& Solinum.*

Item Dioſcoridem, & Matthiolum lib. 2. *c.* 23.

Bartaſsius Poeta Gallus, cum primis doctiſſ. & grauiſsimus, ſic de Caſtore, lib. ſeu die ſexto, Hebdomadis 1.

dist. *I'apperçoÿ le Castor, qui bien aduisè coupe*
Ses genitoires faux, el les iette à la troupe,
Qui sans peine l'atteint (fortè mel. l'attend) *sur le*
Pontique bord,
Et qui sonhaite plus ce gage, que sa mort. id est, interprete Gabriele Lermeo nobili Volcâ:
Hic quoque castor adest, falsum qui mordicùs inguẽ,
Vt dubiam redimat proiectâ pelle salutem.
Desecat, & turbæ linquit, quæ ponè secuta
Vrget anhelantem, teneatque ad littora captum,
Si ducant tanto potiorem pignore mortem.

Gesnerus tamen fabulosum putat, quod dicitur de illâ inneruatione sui ipsius.

Si tamen vera est illa de Castore communis opinio, quanta eius animantis prudentia!

Iactura enim *in loco, pro lucro est.*

Melius est, debilem vel claudum ad vitam ingredi &c.

DOMI-

IN OCTAVA SACRAMENTI Eucharistici, Auesnis, in superiore templo, 1609.

Thema: *Dixit serpens ad mulierem; Nequaquam morte moriemini: Scit enim Deus, quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri: & eritis sicut Dij, scientes bonum & malum &c.* Genes. 3.

Dicendum hodiè mihi
1. *Quid arboris fuerit arbor scientiæ boni & mali;*
2. *Quibus illecebris fuerunt illecti protoparentes ad vescendum: & quid fuerit id, quod promittebatur mãducantibus;*
3. *Eucharistiæ Sacramentum nunc esse pro fructu illo, Christianósque circa illud habere se oportere omninò contrariè & aliter, quàm Protoplasti circa lignum scientiæ boni & mali habuerunt.* AVE.

I.

Quid arboris fuerit arbor scientiæ boni & mali.

Curiosius fortè & vaniùs, quàm par sit, aliquorũ censura videri possit (Auditores &c.) id à nobis disquiri, quod disquisituros nos iàm promisimus. At reuera non est. Quandoquidẽ plures Episc. viriq; alij

alij magni, hic quoque ingenia sua torserunt.

Et hodiè non est importunum, de cibo vetito loqui, quo die de cibo imperato agitur: aut de cibo illo agere, de quo nimis multa credendo perijmus, quo die commendatur cibus ille, & illud edulium, mysterium fidei, de quo nimis pauca, & nimis parùm credendo, tàm multi proh dolor, hoc æuo nostro pereunt, vt sit *in resurrectionem & ruinam multorum, & in signum, cui contradicitur.*

Contemptis igitur calumnijs, quæro; ecquid arboris fuerit arbor scientiæ boni & mali?

Opiniones hic variæ: quidam enim putant fuisse
1. *Frumenti genus;*
2. *Vitem;*
3. *Ficum;*
4. *Pomum;*
5. *Inusitatam nunc fructus speciem.*

*1. *Frumenti* genus. Ratio. Quòd Deus ferè soleat peccatis mederi, instrumentis ijsdem aut similibus, ijs quæ nocuerunt, & reos per ea castigare ac torquere, quorum vsu aut abusu peccauerunt. Elicit ex malis bona magnus artifex ille. *Sugit mel de petrâ, oleumque de saxo durissimo.*

Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Sap. 11. vbi multa.

Sic lignum Crucis nobis remedio fuit, quòd ligni fructu (quorũdam sensu) abusi essemus in protoplastis.

Hinc illud Ecclesiæ cantatissimum: *vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.* Præfat.

A scorpionibus icti, à scorpionibus curantur, aut ipsis animalibus, aut herbis ità dictis, aduersus morsus animalium eiusdem nominis efficacibus. *Plinius lib. 32. c. 15.*

Idem

Idem lib.11.cap. 3. *Homini icto à scorpionibus putatur esse remedio ipsorum cinis potus in vino, aut oleo mersus.*

A serpentibus icti sub Moyse, à serpente æneo sanabantur.

Sicut in Adam omnes moriuntur ; ità & in Christo omnes viuificabuntur. 2. Cor. 15. *Res eadem vulnus, opēque tulit.* Ouid.

Vt *Auctrix peccati Eua* ; Sic *Auctrix meriti Maria.* D. Aug. serm. 2. de Annunt.

Faceſſant deinceps virorum quærimoniæ; iàm in miſellum muliebrem ſexum inuehi deſine (genus addæ:) nàm ſi *Eua percuſsit, Maria ſanauit.*

Hoſtimentum : tantum pro tanto.

Imò *non ſicut delictum, ità & gratia.*

Pelias haſta Achillis, quæ Telephum vulnerárat, eidem, facto ex eius rubigine malagmate, ſalutifuit. *Fabb. Poetarum.*

Sed Chriſtus cibo vetito oppoſuit cibum ſalutarem, in materiâ frumenti, in Euchariſtiâ. Ergò & in frumento fuit cibus ille vetitus.

Nil prodeſt, quod non lædere poſsit idem; & contrà *Ouid. lib. 2. Triſt.*

Hanc opinionem refert Moyſes Bar-Cephas Syrius, tract. de Paradiſo, parte 1. capit. 19. his verbis: *Cenſent alij frumentum fuiſſe hanc arborem, atque adeò Chriſtum quoque ſuum corpus in pane dediſſe, vt quâre contractum eſſet debitum, eadem exſolueretur.* Ore hauſtum venenum; ore hauriendum antidotum. Antidotum ex frumento eſt; Ergò & venenum.

Sed ais; quis frumentum vmquàm vocauit arborem, cui nulli rami, aut brachiola nulla, ſed ariſta vnica?

Quis culmũ arborem vocet, qui nec corticem, nec medullam habet, ac ne lignum quidem.

Reſponderi fortè poſsit ; nomine arboris, etiàm plantas

plantas & frutices contineri posse.

Sic *Matth.* 13. dicitur granum sinapis excreuisse in arborem tantam, vt volucres cœli sub ramis eius nidularentur.

At quî possit vocari lignum, quod stipula est, aut palea, aut tunicata, & intus latens farina? Et tamen illam arborem Genesis lignum appellat.

Sed & de eo est illud: *Ipse lignum tunc notauit, damna ligni vt solueret.*

Et illud: *Vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.*

Deinde; quid in culmo, aut frumento *pulchrum oculis, adspectuque delectabile?* aut quid in frumento integro incoctoq; *suaue ad vescendum?* quæ tamen illi arbori adfuisse dicuntur? Genes. 3.

Ergò frumentum omninò non fuit.

*2. *Vitem.* Et vitis certè arboris nomine dignior.

Et ipsa arbor scientiæ dici aliquo modo possit, cũ (sensu non tantum vulgi, sed etiam philosophorum optimorum) vinum modicè sumptum acuat ingenium.

Et Vatablus vertit: *iucundaque arbor ad erudiendum*; adnotatque ab Hæbreis exponi (*Concupiscibilis arbor ad intelligendum*, id est, ad faciendum intelligere, ad prudentiam comparandam.)

Hinc illud: *Fœcundi calices quem non fecêre disertum?* Horat. 1. epist.

Ennius, poeta ille (Ouidij sensu) *ingenio maximus, arte rudis; Ennius*, inquam, *ipse pater nunquam, nisi potus, ad arma.*

Prosiluit dicenda. Horat. epist. lib. 2.

Et vinum, potus est maximè dignus doctorum oribus, vt Nectar & Ambrosia palato Deorum.

Hinc rude prou. *Da vinum docto; laico de flumine cocto.*

Et fructus vitis *pulcher visu, & ad vescendum suauis*, quod de ligno illo scientiæ dicit scriptura.

Et renascente post eluuiem mundo sub Noaco, eiusdem arboris fructu, id est vino, à Noaco quoque peccatum est. *Gen.*

Denique, vel idcircò vitem fuisse, est apparens, quòd Christus sanguinem suum potandum dedit, sub vini specie, expiandę primorum parentum noxæ.

Nec absurdè cibum dixeris fructum vitis, quoniam racemos & vuas protoplasti comedere potuerunt.

Vt taceam nationum omnium; id est, totius generis humani, in amore vini propensionem, ac quemdam velut furorem, vt in rem iàm olim in Adamo ab omnibus auidissimè prægustatam.

Et quis scit, an non propriè de hac re sit intelligendum illud Prophetæ: *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt.* Hier. 31.

* 3. *Ficum.* Gregor. Nyssenus in cant. expressè nominat ficum.

Michael Glycas parte 1. Annal. *Diuinus ille vir Isidorus Pelusiensis ità de hâc re asserit. Christus ficum exsecratur, vt Iudæis ostenderet, se etiàm adficere supplicio posse. Subest autem huic rei quædam arcana ratio, quam à senibus sapientissimis accepimus, nimirum hâc transgressionis lignum fuisse, cuius foliis transgressores pro tegumento vtebantur. Hoc lignum benigna quadam ex affectione Christus exsecrabatur, ne videlicet amplius fructum, qui foret delicti causa, ferret.*

Philopenus quidam Mabugensis, oratione de arbore vitæ in hac mente.

Petrus Comestor: *Quidam dicunt, ficum fuisse arborem prohibitam.*

Mox

Moyses Bar-Cephas loco citato. *Credibile enim*, inquit, *est, simul atque de ea arbore edissent, pudore correptos, ex eo quod proximè ad manum erat, subligacula sibi comparauisse, quibus sua obuelarent pudenda. Ea verò ex ficulneis fuisse foliis facta, testatur ipsa scriptura. Neque enim simile veri potest existimari, ipsos, prætermissa ea arbore quæ proxima erat, ad aliam longiuscule dissitam festinâsse, ex cuius foliis cõcinnatis subligaculis suam contegerent nuditatem.*

* *Adde* illud Christi de Nathanaele: *Cum esses sub ficu, vidite*, quasi eum iàm tùm dilexerit, sibiq́ue elegerit comitem, cum & ipse nobiscum in lumbis parentis Adæ, vt spicæ in semine, sub ficu peccaret, edens vetitos fructus. *Antequam exires de vulua, sanctificaui te &c.*

Nosse Dei, probare est, eligere est &c. vt nescire, reprobare.

Nescio vos, ait fatuis virginibus. *Mat. 25.*

* *Adde*, & fructum *pulchrum* quoque *visu*, *& ad* vescendum *suauem.*

Poma ficus Indicæ sic inter folia, calore Solis, decoqui ait Plinius, vt præ dulci sapore proxima miraculo censeantur. *Plin. lib. 12. c. 6.*

* *Item*, quòd succus, seu lac foliorum ficus, si adtigerit & perliuerit partes hominis genitinas, dicitur statim ad libidinem prouocare. *Isidorus.*

Ista dic castè & cautè, aut tace.

Glossa super Genes. 3. ibi: *fecerunt sibi de filijs ficus perizomata* aliquid simile habet.

Certum est autem, simulac haustus fuit cibus ille fatalis, vtrumque motibus libidinis agitatum. Ergò.

Vide infrà, palea 12. Ioannes Temporarius &c.

I. *Goropius lib.5. operis, cui titulus; Origines Antuerpianus. pag.* 485. *&c.* conatus est persuadere, arborem hanc fuisse eamdem specie cum ficu Indicâ, cui folia lata, ad modum scuti aut peltæ, fructus valdè paruus, non maior fabâ, rotundus, in modum pomi (cuius rei faciunt fidem noui libri herbarij.) Eaq; de re loquitur copiosè ex Theophrasto, Plinio, & Strabone &c. proferens quidquid potest, vt se tueatur.

Idem in eadem mente, in opere, cui titulus est, *Vertumnus.*

Liber quidam Herbarius, cognomento *Ortus Sanitatis* c.529. de Zuâ, postquam dixit, credi à nonnullis, Zuam fuisse vetitum illum fructum; subdit; *alios dicere, & verius, in ficu peccatum fuisse.*

* 4. *Pomum.* Quæ opinio maximè popularis.

Philo Iudæus in hâc mente.

Fortunitus in hymno. *Quandò pomi noxialis*
Morsu, in mortem corruit &c.

Cant. 8. *Sub arbore malo suscitaui te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.*

Bartasius, primo die hebdomadæ secundæ, ferè solet pomum vocare.

Vox populi est: *Adam primus homo damnauit seculà pomo:*

Pro solo pomo, sit miser omnis homo: an fortè & vox Dei?

Et illud incerti versificatoris: *Mala mali, mala, mala contulit omnia mundo.*

Pictores quid dicam, qui ferè adpingunt arborem pomiferam protoplastis, & pomum vel in serpentis ore, vel in Euæ manu?

Liber iàm dictus Gallicus, cui titulus, *Ortus sanitatis* c.529. habet effigiem Adami & Euæ adhùc nudorum, sub arbore pomiferâ, quam Zuam, aut *Muzam*

Græcè

Græcè ait appellari, crediqúe à nonnullis, illum esse Paradisi fructum, quo vescendo maiores nostri peccârint, & nasci in Babyloniâ: &, vt credas hinc natam culpam, & fomitem originalem; ibi dicitur Zua augere sperma, & vrinam ciere.

Sed est etiàm in hortis nostratibus pomorum genus, quæ Paradisiaca vulgus vocat, Latini mustea appellant; Horatius melimela minimum durans celerrimeque mitescens. At vnde paradisiaca, aut paradisiana? An quià quasi cælidtus missa? An quià digna secundis mensis incolarum paradisi, vt ambrosia? An quia ex Paradiso Adæ hîc transplantata.

* *Et indè* apparet, quod pomum habet id inter alios fructus singulare, vt pluribus sensibus placeat, nempe visui & oculis, pulchritudine formæ rotundæ, & picturâ versicolore; odoratui & naribus, suaui odore; ori aut gustatui, nùnc dulci sapore, nùnc acriore, nûnc mixto: conuenienter illis encomiis ligni vetiti: *vidit mulier lignum, quòd esset pulchrum oculis &c.* genes. 3.

Cant. 2. *Fulcite me floribus, stipate me malis: quià amore langueo.*

Quàm sunt mitia ac dulcia Ambianensium *Rambura*, Quàm suauia Passipoma, id est vernaculè omnibus excellentiora, Quàm grata *Curtipenda*, quæ Itali Calamila appellant, quasi omnium optima.

Deus bone, præter nostratia illa, & vulgaria tot generum, tot colorum, tot saporum, quàm sunt amabilia illa Persica, Armeniaca, aurea illa, Medica, & citria, illa Punica seu malogranata, item & cotonea &c.

Quam sunt quædam mustea, id est, dulcia & mitia, *Est tanta musteis pomis suauitas, vt finis mandendi non nisi periculo fiat*; ait Plinius.

Quædam tantæ sunt dulcedinis, vt Melapia à dulcedi-

cedine, vel ab apibus dicta putent, quemadmodum vuam apianam siue apiam, quòd præ dulcedine, & saporis iucunditate, apes ijs pomis & vuis frequenter insideant, & hinc sua mella captent. Sunt enim carnes melapiorum pomorum tàm mellitæ dulcedinis, & succi tàm saccarini, vt idcircò à matronis plurimum expetantur.

* *Item*; nescio quo modo dolis malis, & deciplis iàm multis à multis retrò sæculis poma seruierunt, vt & in solemni illâ Adæ deceptione, serpens illis quoque vsus videatur.

Malo me Galatea petit, ait ille. Virgil. Eclog. 3.

Pomum Discordiæ inscriptum (*Detur pulcerrimæ*) in Pelei nuptijs iactum, cuius non mali causa fuit? inprimis litis inter tres Deas Iunonem, Palladem, & Venerem, alioqui affinitate coniunctissimas; deinde corrupti Iudicij Paridis; denique excidij Troiani occasio.

Pomum Acontij amatoris, in Cydippes amasiæ signum, in templo Dianæ iactum, & ab ea exceptum, lectumq; (hâc inscriptione:

Iuro tibi sanè, per mystica sacra Dianæ,
Me tibi venturam comitem, sponsamque futuram:)

quò non miserarum Cydippen adolescentulam virginem præcipitauit? Ita scilicet morbo perperè agitata est adolescentula, creditumque ob periurium nouercæ vexari, ac tamdiu vexatum iri, dùm Acontio nuberet, quod & tandem facere coacta est.

Quale fuit malum, quod litera pinxit Aconti,
Quâ lectâ, cupido pacta puella viro est. Virgil.

Hippomenis verò tria lurea poma, etiàm Atalantæ virgunculæ à nuptiis abhorrenti exitio fuisse quis nescit, qui modò Poetas vel à primo limine salutarit?

Ferunt enim Atalantam virginem Schoenei filiam proce-

proceriſsimam, & totâ Peloponneſo formoſiſsimã, ſed à nuptijs valdè abhorrentem, & eremicolam, à multis tamen procis appetitam ambitamque, cùm mira corporis velocitate præſtaret, procis ſuis certamen propoſuiſſe, his depoſitionibus ac conditionibus; hinc, virorum; vt currerent inermes, ipſa telo inſequeretur, & quem curſu aſſequi poſſet, venabulo configeret? illinc, ipſius Atalantæ; vt, qui victor euaſiſſet, eius coniugio, quaſi brabeio, potiretur. Cumque ſic multos, ſpe nuptiarum eius illectos, neci iàm tradidiſſet; Hippomenes autem Megarei & Meropes filius, & ipſe eius amore teneretur, neque tamen pedum ſuorum pernicitati ſatis fideret, Veneris opem dicitur imploraſſe, quæ tria illi aurea mala in Heſperidũ horto nata tradiderit, & quis vſus eorũ eſſet, docuerit; & his fretus, curſu cum Atalanta certaſſe. Cùm verò parùm abeſſe videret, quin Atalanta præcurrentem aſſequeretur; aurea tum mala à Venere accepta, quàm longiſsimè extra viam diuerſa in latera abieciſſe, quorum pulchritudine capta Atalanta, dùm ea colligit, aurumque miratur, Hippomeni victoriam tradiderit, ſicq; ab eo recincta zona deuirginata fuerit.

Vide Hyginum Fabb. poeticarum c. 185.
Ouid. lib. 10. *Metam.*

AElianus lib. 13. *var. hiſt. c.* 1. Atalantẽ (iſtam eandem, opinor). tantum non ſanctam facit. Digna ſunt lectu, quæ illicde ipſa narrantur; vbi & iſtud ſingulare. *Duo, quæ ſtuporem hominibus inferrent habebat: ſingularem venuſtatẽ, & quòd hac ipsâ terrorem iniicere videntibus poterat. Nemo ſanè timidus aut diſſolutus homo, cũ eam aſpexiſſet, amare potuit, imo ne obtueri quidẽ à principio. Tantus ſplendor cũ forma coniunctus, inſpicientium oculos perſtringebat* &c.

Quid, quòd passim nùnc quoque puerulos omnes propositis pomis capi, vti & *ære lauari* videmus? dicas ab illâ primâ & ferali pomorum comestione, matris Euæ in filios traductum affectum, & gustum.

* *Deindè*; vndè putes accidisse, vt malum idem sit quod pomum, & rursus malum idem sit quod noxium, si tamen quantitatem, quâ solâ differunt, non adtendas? Nàm pro pomo, primam habet longam; pro re noxia, breuem.

Vt ibi: *Aurea mala decem misi, cras altera mittam.* Virg.

Et ibi: *Nàm mala sunt vicina bonis.*

Fas sit suspicari id indè accidisse, quòd malum contra fas comestum, malorum omnium hominì auctor fuerit.

Forsitan autem poma aurea fuerunt, vt pulcerrima, odoratissima, suauissima pleraque, omnia saluberrima &c.

Adde, interpretationem Chaldaicam, vocare *salutiferam oculis* arborem illam. Nàm certè experientia docet, instillatum oculis rorem, ex aureorum pomorum corticibus erumpentem, vim habere abstergentem, & oculos acuentem.

Et certè Persica illa poma aurea, rotundiora, & maiora, corticis durioris & crassioris, aut illis millima, Venetijs Adami poma appellantur. *Carol. Stephanus in Seminario suo pag. 52. tit. Malus Medica.*

Aut, quis scit, an non fuerint Mandragoræ, genus pomi, quod Latini vocant malum terræ, Magi autem falsò fabulantur habere radicem formam hominis repræsentantem, vndè & Anthropomoros à Græcis vocetur, quod etiam nonnulli opinantur, quibusdam fœminis calore & siccitate sterilibus de-

cen-

center datum in eſcam, ipſas diſponere ad conceptum,& adferre fœcunditatem? certè ſemen continet renis effigie per medium crenatum. *Vide F. Bartholomæi Anglici Minoritæ Proprietarium lib.17. c.104. dixi Minoritæ, quià tituli librorum tacent.*

Geneſ.30. *Egreſſus Ruben, tempore meſsis triticeæ, in agro reperit mandragoras, quas matri ſuæ detulit.* Et infrà: *Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filij tui vir tuus.*

Et certè poma inſana vocant (vt docet Barbarus in Dioſcoridis caput 79. lib.4. de Mandragora) noſtri, Poma Cupidinis: (Gall. *pommes d'amour*)& prętereà ſunt foliis propè ficulneis, flore ſpecioſo, & candido, quæ Geneſis narrationibus de arbore vetitâ ſatis conueniunt.

Hùc quoque facit, quòd *nec ad venerem elephantus accedit, quemadmodum harum rerum periti tradunt, niſi mandragoram deguſtet. Nàm priùs quàm hoc fiat, nullam coitus libidinem experitur. Quapropter fœmina ſumtam mandragoram comedit, eandemque mari porrigit,& hoc pacto ad conſuetudinem veneream accedūt. Hoc autem manifeſtò referri ad homines illos primum conditos debet. Nàm & illi, ante ligni vetiti deguſtationem, libidinibus ſuperiores erant. Verum poſt eam, cum Eua rem Adamus habuit, eáque Cainum peperit.* Mich. Glycas Annal. parte 1.

Contrà tamen dici poſsit, largè poma dici à Seruio, quæcunque corio molliore tecta ſunt, id eſt, omnem arboreum fructum rotundum, qui corticem mollem habeat, vt vel eo à nucibus differant, quæ largiſsimè poma dicuntur, vt apud Ouidium:

Nil ego peccaui, niſi ſi peccare fatemur
Annua cultori poma referre ſuo. Ouid.

aut quicunque alius in eleg. de Nuce.

Et apud Plinium, vbi ait de Nuce: *Solum hoc pomū*

natura compactili operimento clausit : ne præfractè putes, pomum propriè dictam, eam arborem fuisse.

* 5. *Inusitatam* nùnc, & fortè reliquis prostantibus longè præstantiorem : certè inusitatam hîc, & vulgò non visam.

Non tamen idcircò ità dixerim, quasi si vulgaris fructus fuit, Adamum neque peccauisse putem, neque pœnam commeruisse (vt quidam aiunt) non. Nàm cùm res aliqua lege prohibita est; non refert, sitne ea præstans, an vilis, neque ad meritum & præmium obedientis, neque ad culpam & pœnam refractarii, sed sola spectatur vel obedientia vel contemtus.

Quacumque exili de re Reges condant leges, semper grande nefas est eas per contemtum transgredi, non ratione rei, sed præcepti, & personæ præcipientis adspectu.

Literas suas præcipiat Rex non resignari antè certum tempus : reuerenter excipi ; citissimè iis obtemperari; nihil refert, an de muris, an de moribus agant, vel aureisne characteribus, an atris sint scriptæ, si contemnantur.

Quid erat, Remum, muros nascentis Romæ abire terreos, humiles, & vixdum surgentes, imò nondùm quidquam præter sulcum transiliisse? mortem tamen illi idcircò fuit, quia ex contemtu manifestario edicti Regis fratris Romuli processisset. Visum sanguine sancire imperium.

Quid est, puerulos trimulos aut quadrimulos, æra, aut aciculas loculis matrum furtim detrahere? attamen vt furti rei à vobis rectè virgantur, non ratione rei, sed præcepti, sed periculi &c.

Quid est, carnibus aut ouis vesci, Quadragesimali tem-

li tempore? aut Quadritemporalibus? Butyro, & lacticinijs viuere, vbi & quo tempore Eccleſiæ quædam non ſolent?

Attamen ea crimen habent, à contemtu ſanctę Matris, & legis.

Quid erat Machabæis porcinam guſtare? prǽmori tamen maluerunt.

Quid martyribus, hoſtias & cibos Diis iàm immolatos admittere? aut thus in conſpectu idoli incendere?

Maluerunt tamen omnes mòri, quàm veſci, quàm thus adolere, non rem ſed Dei legem intuentes.

Draco Athenienſium Legislator non res fortè, ſed Regum Legumque irreuerentiam ſpectauit, cùm capite plecti voluit, tàm qui deſidiæ damnati eſſent, aut qui olera ſurripuiſſent, quàm qui hominem occidiſſent, vndè illum Demades dicere ſolebat, non atramento, ſed ſanguine leges ſcripſiſſe. *Aul. Gell. lib. 11. Noct. Att. cap.* 18.

Sed & Stoici fortaſſe, cùm peccata omnia paria cenſuerunt.

Non ergò idcircò inuſitatum fuiſſe atque excellentem eum fructum dico; ſed quòd credibile ſit, Deum non fuiſſe permiſſurum, tanti mali inſtrumentum ab hominibus nunc paſsim adhuc haberi.

Vt enim mòx à peccato, Paradiſo Voluptatis eiectum Adamum ait ſcriptura, & nùnc adhùc inacceſſum quidam putant: ſed & ſerpentis formam valdè mutatam conſtat, ſi non facie (quam muliebrem, & minimè horrendam ante peccatum fuiſſe quidam cenſent) certè inceſſu, cùm pedibus antè adtolleretur, nùnc humi ſerpit, iuxta illud: *ſuper pectus tuum gradieris*, Geneſ. 3.

Ità

Ità verisimile est quoque arborem illam, etsi pomus esse potuit, à Deo fuisse damnatam, vt velibi arescceret in æternum, in pœnam tàm exitialis ministerij, vt ficulnea illa, quæ Christo esurienti visa cum folijs, fructus tamen non habuit; vel vt homines hìc perpetuò carerent illo fructu, cuius abusu tàm exitialiter in Deum peccauissent; vel certè spontè, vt fit, ipsis protoplastis sic deindè exosam fuisse, vt neque ipsam, neque eius semen ex Paradiso voluptatis hùc secùm intulerint, transplantarint, & propagarint.

Adde, non legi dispensatum de eius esu post peccatum.

Item; si hùc inde ab eis vel translata ac transplantata, vel hic consita inter cæteras ab eis iam exulibus inuenta quoque est; valdè mirabile est eos eius notitiam, ac ne nomen quidem, posteris suis non tradidisse.

Et profectò, si arbor illa eadem specie vsquàm existeret, verisimile est, eam nobis instinctu naturæ horrori quoque futuram, quoties obtutibus nostris sese offerret, vt accidit nobis, visis fortè serpentibus aut colubris quibuscumque, instinctu scilicet illo, & obscura memoria serpentis illius, cuius ministerio decepti fuimus in protoplastis.

Fremimus mòx, pedemque referimus omnes.

Quid? etiàm nescio, quomodo recrudescunt vulnera, & sanguine fluunt; etiam exhausta, & arentia, admoto cadaueri parricida.

Imò; videmus, viros omnes ad primum cùm mulieribus iurgium, improperare, quod ab eis vir deceptus est, vt vt natura ferat viros in amorem fœminarum.

At à nullo tamen neque pomorum, neque ficuum gene-

genere sic abhorremus, nulliqúe lapsum illum nostrum improperamus &c. Ergò ignoratur,&c.

Vt appositis excubijs,& flammeo gladio, studiosè cauit Deus, ne arborem vitæ Adamus adtingeret; ità arbitrari licet, factum de ista scientiæ boni & mali.

Quòd autem arguitur,fuisse ficum, ex perizomatis indè factis; non satis firmum videri possit.

*j. *Nàm* ex ficus folijs potiùs, quàm pomi, ea consuerunt, quòd hùc aptiora,vtpotè latiora, videbantur.

*ij. *Quòd* si ficus nocuisset, etiàm eius folia debuerant esse suspecta,& metuenda.

*iij. *Quòd* si ficus comedissent, Moyses referens *consuisse folia ficus*; videtur additurus fuisse pronomẽ relatiuum (*eiusdem*) vel simile.

*iiij. *Ad illud: Cùm esses sub ficu &c.* dici potest: vel paulò ante illa verba, Nathanaelem sub tali arbore, procul à conspectu Christi, fuisse: vel, intelligi, quòd tùm sub ficu fuerit in Adamo, cùm *in medio ligni paradisi à facie*,& ira *Domini* Dei, malè sibi conscius scilicet latitaret, non cùm sub ficu, ficubus vetitis vescens, peccaret.

Nàm profectò, aiunt ficum Indicam vastis ramis transfundi, eosque adeò in terram curuare, vt suo pondere in terram infigantur, ac sic nouam, in circuitu parentis,id est stipitis,propaginem faciant,tantamque vmbram densitate præstent, vt pastores, sub ramis eius, ab iniurijs æstuum ventorumq; sese tueantur.*Plin.lib.12.cap.6.*

Ibi ergò, velut in vmbrosissima sylua, tutum sibi latibulum protoplasti crediderant.

Abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei, in medio ligni paradisi. Gen.3. vel, vt legit Chald.inter. *in medio arboris horti.*

*Dein-

* *Deindè*; & aliter *sub ficu erat*, cùm scilicet erat in lumbis Adami, quos foliis ficus prætexerat.

Ergò fortè Ficus ibi fit mentio, quòd & tegumentũ nuditati protoparentum præbuit, & latebras subitæ eorum formidini, non verò etiàm gulæ ac vetitæ voluptati ministerium. Imò tunc vel foliorum eius tegmina fuissent ipsis cauenda, ne aspectu eorum, Deo peccati sui quasi memoriam refricarent

* *Denique*; si penes homines est, & vulgò in hortis nostris aut syluis ea arbor; quo iure nunc & hic illa vesci magis liceat nobis, quàm tunc & ibi protoplastis? Vbi, & quo libri sancti capite dispensatum est præceptum negatiuum, aut indulta edendi libertas, nisi fortè sub Noe, aut sub D. Petro, in illâ visione, qua nihil commune deinceps dicendum esse didicit?

Acto.10. *Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.*

An fortè meruit ipsa transgressio, vt vti posteà licuerit ipsis & posteris?

An semel tantùm, & illo tempore, & ad tempusculum, præceptum illud genus humanum in suis Principibus obligauerit?

An fortè penes homines quidem est, & in promptu, sed ignota & adhùc vetita? nusquàm neque hoc reperio, neque ità esse opinor. Decuit enim bonitatem ac Iustitiam Dei, vel omninò abscondere hominibus lapsis arborem illam, vel si etiàm obuiam & familiarem esse voluit, eius vsum esumque facere licitum, vel adhùc illicitam arborem notissimam facere, vt caueri posset. Sed iam de his fortasse plùs satis.

At cur cognominata *arbor scientiæ boni & mali?* an fortè, vel
1. *Avi antè insita?*
2. *Ab experientia vtriusque, consequente?*
3. *Ab antiphrasi & sensu contrario?*

*1. *Avi antè insita?* In ea sed praua opinione plerique, mendacium serpentis sequuti, asserentis inesse ei vim dignoscendi boni & mali.

Ioseph lib. 1. Antiq. c. 1. *Arbori enim*, inquit, *acuminis & cogitandi vis inerat.*

Ioann. autem Damascen. lib. 2. fide de c. 11. docet, arborem illam lignum scientiæ adpellatam, quòd adferret cognitionem propriæ naturæ. Eam verò cognitionem adultis & perfectis vtilem esse; imperfectis autem, & ad concupiscendum pronis, inutilem & noxiam, & ideò prohibitum fuisse Adamo adhùc imperfecto, ne arborem illam adtingeret. Sed is Damasceni sensus allegoriam sapit, de quâ nùnc nihil: de Philone autem dicamus.

Fuerit scilicet illa arbor Protoplastis, quod Plato aut Aristoteles suis discipulis? aut, quod Bibliothecæ & libri, scientiæ studiosis? aut quod Apostolis Spiritus S. An fuerit vt fluuius quidam Phrygiæ, cuius tàm admirãdam naturã fabulantur, vt parcè potus & cerebrum purget, & insaniam tollat, contrà largiùs, lymphatos agat? *Plin. lib. 31. c. 2.*

Qui bibit, indè furit. Ouid. lib. 4. Fast.

An aliquid fuerit Elleboro Anticyrarum simile, vim habens insaniæ aut dementiæ purgatiuam? *Ouid. 4. de Ponto.*

Hanc sententiam sequuti videntur hæretici illi, qui à Tertulliano de præscriptione hæreticorum, & ab Epiphanio hæresi 37 dicuntur Ophitæ, quasi dicas Serpentini, qui pro Christo serpentem colunt, quòd

quod hominibus autor fuerit adipiscendi scientiam, cùm esum illius ligni persuasit.

Et mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum, imò serpentis terram comedentis.

Sed contrà stant opt. quisque, & rationes.

Mich. Glicas Annal. parte 1. *Nec enim arbor illa, quemadmodum Iosephus & Nemesius Antistes Emesenus declarant, eiusmodi naturam habebat, vt ex se decerpentibus inderet prudentiam, quâ bonum ac malum agnoscerent.*

Moyses Bar-Cephas tract. de Paradiso parte 1. c. 19. *Dicimus minimè adpellatam esse arborem scientiæ boni & mali, quòd ipsa esset prædita cognitione, quâ inter bonum & malum posset dijudicare, neque etiàm quòd ipsa eius rei scientiam in Adamum contulerit: Nàm illiusmodi cognitionis expertem penitùs fuisse arborem vel hinc intelligas, quòd ne bruta quidem, nedum rationali animâ fuerit prædita .... Rationali .. omninò caruisse certissimum est, cùm nullâ facultate rebus pro arbitrio vtendi dotata fuerit, neque aliquam à conditore legem acceperit, qualem ijs ille imposuit, quæ ratione donant.*

Rationes quoque expugnãt; quędã sùptę ab { 1. *Inuidiæ tùnc in Deo iustâ suspicione;* 2. *Præuiâ in Adamo scientia;* 3. *Impossibilitate.*

* 1. *Inuidiæ* tunc in Deo iustâ suspicione, qui licet tam facilem ac suauem augendæ scientiæ prudentiæ viam hominibus inuidisset, vti eum serpens falsò criminabatur.

* 2. *Præuiâ* in Adamo sciẽtia, multis arg. euidentissima, vtpotè, { 1. *Animâ rationali;* 2. *Impositione nominum;* 3. *Lege ei impositâ;* 4. *Agnitione vxoris;* 5. *Monogamiæ professione;* 6. *Imagine diuinâ;*

7. *Af-*

7. *Affectatione Diuinitatis;*
8. *Priuatione.*

*j. *Anima* rationali, qua pollebat, cui ætate iusta iudicium boni maliq́ue inest.

*ij. *Impositione* propria nominum cuiusq́ue rei, maximè animantium.

Genes. 2. *Omne quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius.*

Quin etiàm vxori nomen dedit, vocans Viraginem, quià de viro sumpta esset. *Issa autem Hæbreorum linguâ vocatur mulier.* Ioseph. lib. 1. Antiq. c. 1.

Nominum autem recta impositio, est magnorum artificum, Physicorum, & rerum naturæ peritorum. *Vide Platonem in Cratylo totò Dialogo.*

*iij. *Lege* ei imposita, & quidem cum tantæ pœnæ comminatione. Nemo enim sapiens leges figit amentibus, vel non satis inter bonum malũq́ue discernentibus: neque Iustus quisquam minas mortis interponit non intelligentibus, neque culpæ, neque pœnæ malum.

Quis adhuc lactentem vetet flere, vel aquæductum suum, ac sentinam corporis naturalem fœdè noctu, & in fascijs exonerare, virgis ostentatis? Ipsis enim & talibus Gorcyra libera est, vbi libet, licet.

Quis vel adhùc cœcos catulos iubeat non gemere, matrem non suspirare? &c.

*iiij. *Agnitione* vxoris, & vndè esset, & cur esset, simulac illam vidit. Non enim tantum ille sexum discreuit à suo differentem, sed etiam à se ortum habere dixit, & quo modo, quibusq̀ue ex materijs. *Hoc nùnc os ex ossibus meis* (inquit) *& caro de carne mea .... De viro sumpta est.* Cur autem esset intellexit, cùm vxorem credidit.

Sed & Matrimonij leges sciuit, cùm dixit: *Propter*

ter hoc relinquet homo Patrem, &c. Adhærebit, animo, fide, ac thoro.

* v. *Monogamiæ* neceſſariæ profeſsione. *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem* (aiebat,) *& adhærebit vxori ſuæ: & erunt duo in carne vna.* Geneſ. 2.

Vnus vni adhærebit. Dumtaxat duo erunt hoc fidere comprehenſi. Alterius alter totus erit, & contra; hoſtimento non quidem pari, ſed ſic diuinitùs decreto. *Vide Scotum in 4. ſent. diſt. 33. q. 1.*

Adhærebit vni; non quæri et diuortia, ac noua deinde conſortia. Conſeneſcet, conſeneſcenti vxori maritus.

* vj. *Imagine* diuinâ, quæ non eſt ſine ratione. Fuit enim ad imaginem Dei compoſitus.

* vij. *Affectatione* diuinitatis, quæ eſſe non potuit in ignorante diuinitatis, aut ſupremi dominij præſtantiam.

Ignoti nulla cupido.

Nihil volitum, niſi præcognitum, ait ſchola.

Quis amare valeat, quod ignorat? Greg. hom. 36. in Euang.

Oculi ſunt in amoris duces.

* viij. *Priuatione.* Ignorantiam humanam Theologi pœnis peccati primitiui adnumerant, in Adamo quidem priuatiuè, in poſteris verò eius negatiuè. Ergò antè inerat illi ſcientia.

Audio exuuias? Induuias ſubaudio. Spoliari enim non potuit, niſi veſtitus. Audio aliquem in paupertatem incidiſſe? ſubaudio aut diuitem fuiſſe, aut aliquid poſſediſſe. Vt nemo dat alteri quod non habet, ità nec amittit, quod non habuit.

Audiens priuationem, habitum ſubaudit' anteceſsiſſe. Audio Adamum poſt peccatum hebetatum? ſubaudio antè acumine polluiſse. Ergò.

Et por-

Et porrò quæ pœna peccati esset ignorãtia, si ignorans natus esset?

Nàm culpa, quàm pœna, tempore prior; emendari, quam peccare, posterius est, vt aiebat Pætus Thrasea. *Tacitus Ann. lib. 15. c. 5.*

Alioqui non male Ciuilis ille, olim Batauorum Dux, armans in Romanos: *Ausos aut libertas sequetur, aut victi ijdem erimus.* Cornel. Tacit. lib. 4. Hist. cap. 4.

Non nisi sub Tyrannis accidit, cadere, male esse æque obsequentibus, deditis, & victis. Solent qui Reges sunt, bonique principes,

Parcere subiectis, & debellare superbos. Virgil. 6. AEneid.

* 3. *Impossibilitate.* Arbor enim ipsa carebat ea scientia. At nemo dat alteri quod non habet:

* 2. *Ab experientiâ* vtriusque consequente. Facti indè hebetissimi scilicet: Arcades, Bœoti. In hâc mente vulgò omnes.

Michael Glycas Annal. parte 1. *Tametsi literæ sacræ illam scientiæ lignum nuncupant, non idcircò dicendum nobis est, talem ei vim adfuisse: sed quia mandati transgressio in eo facta est, de quo consequuta porrò est peccati agnitio atque pudor, idcirò nomen hoc meruit.*

Moyses Bar-Cephas de Parad. parte 1. c. 19. *Dicimus arborem scientiæ boni & mali illam esse appellatam, quia per eam reipsâ, facto periculo Adamus agnouit bonum & malum*, bonum Obedientiæ, malum rebellionis. *Reipsa*, inquam, id est experientiâ, cùm antè speculatiuè abundè eadem nosset.

Aliter enim intelligit & scit vim morborum Hippocrates cùm sanus est; aliter, cùm æger est: alitervim medicamentorum, qui legit, hoc tantùm; aliter, qui gustat.

Aliter scit præstantiam vini aut Canarici, aut

Rhenani &c. qui de eo aliquid legit, vel audiit; aliter qui libauit, aut qui vti Noe, inebriatus est, & in tabernaculo suo nudatus. *Genes.* 3.

Eucherius in quæstionibus vet. test. In custodia præcepti scientia erat boni, & in transgressione præcepit, scientia erat mali.

Rupertus Abb. in hæc verba. *Illud sanè sciendum, per anticipationem (quod schema Græcè prolepsis dicitur) dictum esse lignum scientiæ boni & mali. Non enim ex ore præsentis veritatis Dei, dicentis, In quocumque die comederitis ex eo, morte moriemini, sed ex posteriori fallaciâ Diaboli, nominis huius origo manauit, qui manducare persuadens, eritis, inquit, sicut Dij, scientes bonum & malum. Dolendâ scriptor memoriâ lignum illud notauit, tanquàm diceret, Ex omni ligno paradisi edendi licentiâ dedit, solum illud, quod ex euentu per contrariũ dicitur scientiæ boni & mali, lignũm ter dixit.*

Scientia experientiæ, quam vocant, hinc fuit { 1. *In Deo, vel Angelis;* 2. *In Adamo.*

* j. *In Deo*, vel Angelis.

Franciſc. Vatablus annot. marg. ad capit. 2. Gen. *Ab euentu sic dicta arbor, quià per eam Deus erat probaturus, essetne obediens homo, an non.*

Eugubinus in capit. 2. *Genes.* Quià per illud cognosci debebat, vtrum homo esset bonus, obediens, constans, an verò malus, inobediens & inconstans.

Fuit arbor ista Lydius lapis voluntatis humanæ, bonane esset, an mala, an mandati diuini obseruans, an contemtrix. Fornax aurum probat, arbor ista mentem Adæ.

* ij. *In Adamo.*

Franciſc. Vatablus vbi sup. *Aut quià cognouit Adam, per esum fructus vetiti eius arboris, bonũ quod amiserat, & malum, in quod incurrerat.*

Eugubinus

Tugubinus in capit. 2. Geneſ. Quià per eius manducationem homo noſciturus erat, quam iacturam feciſſet, ex quâ felicitate cecidiſſet, videns agminatim mala in ſe irruere, bona recedere cum immortalitate, mala cum morte accedere.

Sic & F. Hieronymus de Oleaſtro.

D. *Thom. opuſc. 3. cap.* 188. Non quià haberet virtutem ſcientiæ cauſatiuam, ſed propter euentum ſequentem, quia ſcilicet homo, per eius eſum, experimento didicit, quid interſit inter obedientię bonum, & inobedientiæ malũm.

Chaldaica verſio ſuffragatur: *Ex omni*, inquit, *arbore horti comedens comedes, & de arbore, cuius fructũ comedentes ſcient inter bonũ & malũ, non comedes ex ea.*

Cyrill. lib. 3. in Iulianum.

D. *Auguſt. lib. 14. ciuit. cap. 17. lib. 8. Geneſ. cap. 6.*

Theodoret. q. 26. in Geneſ.

Eucherius lib. 1. in Geneſ.

Conſuêſſe autem ſcripturas ab euentis ſæpè nomina indere, Patres probant his ferè exemplis.

Conſueuerunt literæ ſacræ de rerum euentis nominæ etiàm indere. Mich. Glycas Annalium parte 1.

Aquæ contradictionis dicuntur, nõ quę contradictores facerent, ſed quod ibi populus in cõtradictionis ac diffidẽtię culpã incidit. Si enim ità vocaretur, quià tales redderet potores ſuos, etiàm Moyſes ipſe in idẽ contradictionis vitium incidiſſet. *Ex Chryſoſtomo, Seueriano, & Mich. Glycâ.*

Sic *puteum* quendã *iurgij* appellârunt, cum puteus iurgatus nõ eſſet, ſed quòd de puteo ipſo paſtores inter ſe, cõtendiſſent. *Geneſ. 26.*

Aliũ quoq; *puteum iuramenti*, nõ quià ipſe iuratus eſſet, ſed quià de ipſo facta fuerant iuramenta. *Geneſ.*

Item cumulũ quemdam lapidum vocarunt, *cumulum teſtimonij*, qui nullum potuit dicere teſtimoniũ,

sed quià apud ipsum peracta fuerit contestatio. *Genes.*

Item *sepulchra concupiscentiæ*, qnòd ibi interîssēt, qui, fastidito mannâ, carnes appetiuissent.

*3. *Ab antiphrasi*, & sensu contrario, quodscilicet inditam illam antè, aut infusam, scientiam boni & mali plurimum deminuerit.

Rupertus hîc. *Ex omni ligno paradisi edendi licentiam dedit, solum illud, quod ex euentu per contrarium dicitur scientiæ boni & mali, lignum interdixit.*

Rabbi Moyses. *Cùm Adam ante detrectationem præcepti recto vteretur intellectu.... simul (ac) peccauit, debilitatus est intellectus, at sensus emersérunt.*

Ea phrasi appellant bellum, quod minimè bellum est gall. prou. *c'est vn laid ieu, de s'entre-tuer.*) Parcas, quæ minimè parcant: Lætum mortem, quæ minimè læta est.

Arbor ergò scienriæ boni & mali dicta, quæ verè sustulit omnem scientiam, sic vt *arbor ignorantiæ* potius dici debeat, à proprietatis dicendi affectatoribus.

Indè, Adamo, & cuiuis posterorum, vsurpaescuit Socraticum illud; *vnum scio, quod nihil scio.*

Et illud Pauli: *Nihil arbitratus sum me scire inter vos.*

Exindè accidit, vt quæ nùnc scire videmur, (ijs tantùm exceptis, quæ literis sacris edocemur) non tàm sciamus, quàm timidè opinemur; scioli magis, quàm scientes.

Scientia enim certi est; opinio, incerti, & cum metu contrarij.

Iàm *Veritas in puteo profundissimo demersa est*, vt credidit Democritus.

Adam

Adam verò ipse nouã indè ignorationẽ suã ostendit variè
1. *Abdendo se, & suæ carnis rebellionem;*
2. *Crimen transferendo;*
3. *Imperitè vestem induendo;*

1. *Abdendo* se, & carnis suæ rebellionem.

*j. *Se*, inquam, cum vxore, vel sub ficulneorum ramorum densitate, vel nescio quo dumeto, aut proximo luco: *Abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini Dei, in medio ligni Paradisi.* Genes. 3.

Quàm stultè, Quasi esset vsquam locus, in quo nõ esset Deus.

Quasi vel iàm tandem cœpisset ignorare, *Deum esse, cuius centrum vbique sit, circumferentia autem nusquàm*, iuxta illud psal. 138. *Quò ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? si ascendero in cœlum tu illices &c.*

Quasi iuxta te & intra te non sit Deus, interior ipse tibi, quàm tu ipsi tibi.

*ij. Et *carnis* suæ rebellionem. *consuerunt* enim *sibi folia ficûs, & fecerunt sibi perizomata.* Genes. 3.

Quàm pueriliter, tamquàm *sicut videt homo, & Deus videat.* Iob.

Quasi velum omne non sit Deo pellucidum & trãsparens.

Sic Bimuli pueruli, obducta antipendio suo facie, seriò putant à matribus etiàm assidentibus se non videri, putant, inquam, & dicunt confidenter.

Sic Mugil piscis, cùm sibi metuit, abscondito dũtaxat capite, totum se latere putat, piscium certè stultissimus.

Sic aiunt & Struthionem, cùm planè effugere non potest, tàm stolidum esse, vt collũ suum frutici ingerat, ac sic toto se corpore satis tectum existimet.

At pluſquàm Lyncei ſunt oculi Dei, quorum aciem non vel ſeptemplex murus remoretur, nedum pauca ficus folia tumultuariè conſuta.

Iob. *Quis mihi det, vt inferno protegas me, & abſcondas me donec pertranſeat furor tuus.*

* 2. *Crimen* transferendo, in vxorem, imò & in Deum ipſum.

Mulier, inquit, *quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno.* &c.

Q.d. non ſpontè, aut motu (quod aiunt) proprio peccaui, ſed ab vxore tractus, ac perſuaſus.

Prou. Gall. *Malæ ſocietatis vſu, aditur ſuſpendium.*

Quin etiam obliquè Deum notat. q. d. Quamdiu ſolus fui, non peccaui; ſi ſolum reliquiſſes, adhùc innocens eſſem. Non mea me culpa, ſed vxoris, ſed & tua me perdidit.

Aut, ſi ſociam daturus eras, probam dediſſes, maliquè dehortatricem.

Aut, nullum a te dari mihi, aut certè probam oportebat: ſociam & adiutricem, vt dicebatur; non verò fallacem, & hortatricem ad malum. *Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi*, aiebatis eam creaturi. Egregium verò adiutorium, per quod & nequior ſum factus, & infelicior.

Melius eſt ſolum eſſe, quàm vti comite haud commodo aut improbo, ait prou. gall.

Q.d. tua partim culpa *impulſus, euerſus ſum, vt caderem. Culpa mea eſt; quamuis hæc quoque culpa tua eſt.*

Verba malitiæ ſunt hæc, quibus magis augeas, quàm deleas culpam. D. Bernard. ſer. 2. ſuper Miſſus eſt.

Imò puræ putæ blaſphemiæ.

Quis vmquàm placauit Iudicem, grauius irritando

tando, accusando, in communionem culpæ trahendo? *Me mihi prodis? ait.* Et : *addis mendacia culpæ?*

At confitens, supplex, & *quem culpæ pœnitet, penè est innocens.* Senec.

Adeò scilicet illum paulò antè tàm sapientem virum, esca illa feralis dementauerat.

* 2. *Imperitè* vestem intuendo. *Fecit* enim *eis Deus tunicas pelliceas, & induit eos.* Genes.3.

Vnde suspicari quiuis possit, neutrum sciisse quorsum eæ factæ vestes essent; quid sursùm, quid deorsùm adducendum esset; pedesne an brachia manicis induenda, sed ità Dei manibus fuisse vestiendos, vt à matribus aut nutricibus sesquimestres pusiones.

Egregiam ergò arborem scientiæ boni & mali, quę sic hebetet caligine sensus.

Imo verò arborem aut ignorantiæ, aut dementiæ, aut insaniæ.

Qui bibit indè, furit: procùl hinc discedite, queis est
Cura bonæ mentis, qui bibit indè furit, ait de Gallo flumine Phrygiæ Ouid. lib.4. Fast.

Mors in ollâ, mors in ollâ.

Ex insanis illis pomis fuisse dixeris, quorum vel cortices vino mixti & hausti, ità hominem soporant, vt nec secantem, nec vrentem sentiat, quorum etiàm quantitas nimia, lætifera sit.

Ergò ibi *antiphrasis verbum sit per contraria dictum.* Ioh. Despaut. noster lib. de figuris.

Arbor scientiæ, id est, Inscitiæ, Ignorantiæ, Amentiæ, Insaniæ summo gradu.

Hinc omnes sumus dementati.

Quod autẽ D. August. ità scribit: *Neque enim quià indè contra præceptum manducauerũt, ideò factum est*

illud lignum, lignum scientiæ boni & mali, sed vtique etiam si obedientes essent, & nihil indè contra præceptum vsurpassent, id rectè vocaretur, quod ibi eis accideret, si vsurpassent (lib. 8. de gen. ad literam) iàm dictis non aduersatur. Nàm sic quoque obedientiæ euentus si obedissent, dedisset ipsis & Angelis scientiam sui, quòd boni essent, & perpetuam experientiam boni & commodi cuiuscumque obedientes consequentis, quo semper vti potuissent.

II.

Quibus illecebris illecti protoparentes ad vescendum; & quid fuerit id, quod promittebatur manducantibus.

Videte autem (Auditores) quàm astutè nôrit inescare homines sannio ille Inferorum.

Fistula dulce canit, volucrem dùm decipit auceps.

Aurei montes in promissis; sed ferrei; imò terrei in repræsentatione.

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. Horat. in Arte.

Eritis (inquit) *sicut Dij* &c. *Quid dignum tanto ferat hic promissor hiatu?* Horat. in Arte

Singula videamus
- 1. *Mentitur* variè
  - 1. *Negando verum;*
  - 2. *Affirmãdo multa falsa*
- 2. *Calumniatur Creatorem;*
- 3. *Amphibologijs vtitur, & spiris serpentinis.*

* 1. *Mentitur.* Qui enim aliter, qui *Mendax est ab initio*, & mendacij parens?

Medicum scilicet acturus venerat, cui generi hominum concedit Plato aliquando mentiri. *Plato lib. 3. de Repub.*

Medicum

Medicum, inquam, sed qui homines antè Lynceis oculis, & clarissimi visus, non elusçaret tantùm, sed omninò excæcaret, & ex viuentibus & alioqui futuris immortalibus, ægros faceret ac mortales, hæreticorũ miracula deindè futura præsignans, qui ex viuis sanisque norunt mortuos facere, cùm volunt Catholicorum miracula dolis malis imitari.

Nucibus puerulos, viros mendacijs ac periurijs fallendos putauit scilicet, quod postea Philippum Macedonum regem (opinor) dixisse ferunt.

* j. *Negando* verum, atque infitiando. *Nequaquam* (inquit) *morte moriemini*, cùm omninò ità fore Deus prædixisset. Deus ait, serpens negat. Erit (ait Deus) non erit (ait veterator.) vt nùnc Caluiniani. Christus enim ait: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus* &c. Caluiniani, non est, sed figura tantùm.

* ij. *Adfirmando* multa falsa.

Aperientur oculi vestri (ait) qui tamen longè hebetiores futuri erant.

Quasi antè conniuerent, quasi antè instar catulorum, nimis festinante partum matre, cæci editi fuissent, ità loquitur, hoc primum; & quasi collyrium certò lucem allaturum proferret. Hoc secundum; vtrumque tamen falsissimum.

Quos lynces se effecturum promittit, talpas faciet.

Et eritis sicut Dij, similes Deo; vel (vt alii vertunt) *sicut Angeli*. nàm vtrumque significat vox Hebræa ELOHIM.

Dij euadetis, aut Angeli, si non natura, certè gratia, similitudine, potestate, libertate, nulli quàm vobis subditi, & iuris omninò vestri. Nec vir sub Deo, nec mulier sub viro erit. Hoc tertium eius

eius mendacium. Nam deinde tantùm à libertate illi abfuerunt, vt ſuis ipſi miniſterijs, & beſtijs, quibus initio præfecti fuerant, aut ſubditi fuerint, aut non amplius ipſis timendi, atque ipſas formidaturi. Imò ne ſuæ quidem carnis domini remanſerunt.

Non quid volo bonum, hoc ago.

Eritis ſcientes bonũ & malum, rerum naturas, erroreſque, & ſtultitiam. Nihil ignorabitis. Hoc quartũ. Nàm (vt ante dixi) indè ex abundè doctis, euaſimus veri *fratres ignorantiæ* & inſcitiæ adeo ineluctabilis, vt nunquàm poſt aditas tot ſcholas, tot auditos tàm longo tempore præceptores, tot lectos libros, quiſquam Adami innocentis ſcientiam hîc ſit ſinè gratia aliqua priua & miraculo, conſequuturus.

Nominis penè ſui oblitus tùnc fuit Adamus, vt quondam nobilis ille philoſophus Georgius Trapezuntius, quem ferunt extrema ſenectute, omnium literarum quas antea nouerat, imò & nominis ſui oblitum fuiſſe: Paulus Iouius etiam ſcribit, propemodùm deliraſſe. *Iouius in elogijs doctorum virorum. Elog. 25.*

At quàm ſplendida & ſpecioſa fuerunt illa mendacia, tàm fuerunt illecebroſa, & quaſi philtra.

* j. *Eccui* enim non placeat, oculos ſibi vel mentis, vel corporis, aperiri, ſi clauſi ſint, aut hebetiores? *Domine, vt videam*, ait ille cæcus Chriſto tranſeunti. *Aperientur oculi veſtri*, ait iſte.

* ij. *Eccui* non placeat non modò vita prolixior, ſed ipſa immortalitas?

Facilius reperias, qui vitam vituperet, quàm qui faſtidiat.

Quan-

Quanto Auro redimit vitam, quum poteſt, æger deſperatus, captiuus, damnatus &c.

Adeò viuere carum eſt, vt nonnullis ſatius ſit turpiter viuere, quàm honeſtè emori;

Et propter vitam, viuendi perdere cauſas.

Et repertus eſt olim Gandaui, qui vt meritam ipſe mortem euaderet, patrem merita quoque morte & decreta à Iudice obtruncando affecerit, quod in filium noluerat pater ipſe, hic magis pius, cuius impietatis adhùc monimentum in ponte Gandaui extat, ſtatuis illic vtriuſque æreis conſtitutis.

Matres verò etiam olim repertæ in ſexu illo miſericordiæ, vna plures, quæ vitam ſibi, morte ac deuoratione prolium ſuarũ, produxerint; vt Maria Eleazari filia nobilis, obſidente Ieroſolymos Veſpaſiano, & illa altera in libris Regum memorata.

Eritis ergò *ſicut Dij*, ait iſte, id eſt, immortales &c. dignum operæ tanti illæ pretium, ita Satanæ libra; ſed non Archeali, aut viri iuſti, cuius libra, gratia Dei omnibus infinitè præponderat.

* iij. *Eccui* non placeat diuinitatis vel ſimilitudo, vel opinio?

Vt nihil in rerum natura minus fieri poteſt, quàm vt quis ex non Deo Deus fiat, ſic nihil acrius aut ſæpius ambitum iàm olim.

Quis vt Deus? ait Michael: at Lucifer tamen ait *Similis ero Altiſſimo, &c.*

Libs fuit nomine Pſaphon beatitudinis & ipſe adamator minimè (medius fidius) humilis (ait Maximus Tyrius) *quotidianæque huius, ſed quà Deus concupiſceret haberi. Capiens itaque aues ex vocalium numero complures, has quidem edocuit hæc verba conari,* MAGNVS DEVS PSAPHON. *Atque ita edoctas demiſit in montes, quarum vocibus cùm alia permulta aſſueuiſſent,*

sent, tàm primæ illæ Psaphonis, quàm dimissarum discipulæ, Psaphonis diuinitatem celebrabant. Creditumque à Libycis est, diuinam hanc vocem esse, propterea què Psaphoni veluti Deo sacrificabant. Sicque Psaphon comitijs auium, Libycus ctreatus est Deus. Maximus Tyrius Philos. Platonic. serm. 19.

Alter ille apud AElianum, Annon Cathaginiensis etiam aues sibi pretio comparauit, hocque vnicum eas docuit garrire, *Annon est Deus*, vt in syluas tandem dimissæ alias idem resonare docerent, sicque Annoni altori suo gratæ, alumnæ opinionem diuinitatis apud populos conciliarent. *AElianus lib. 14. var. hist. cap. 30.*

Dolosissimè illi quidem, sed non tàm impiè, quàm quos

Affectasse ferunt regnum cœleste, Gigantes, Ouid. li. 1. Meta.

Aggressosque Iouem superis detrudere regnis. Virgil. 6. AEneid.

Alexander Magnus, literis, & legationibus in Græciam missis, & ipse pro Deo haberi se efflagitauit, Dario scilicet superato, & Persarum regno auctus. *AElian. lib. 2. var. hist. c. 19.*

Nabuchodonosor quoque se vel in statuâ voluit adorari, pœnâ capitis in refractarios constitutâ, vnde & illæ trium adolescentulorum Iudæorum lacrymæ, imò palmæ. *Daniel. 3.*

Quid? Empedocles quoque (quod mireris) philosophus, & poeta Agrigentinus, dicitur noctu à socijs clam discessisse, seque in ardentem montis Aetnæ caminum demisisse, vt, nescijs omnibus quomodo vel periisset, vel ex humanis sublatus esset, tandem Deus immortalis crederetur; creditusque fortassis foret, nisi crepidæ eius ferreæ, ex camino, vi flammarum, reiectæ, rem patefeciissent.

Lactant.

Lactant. li.3.diuin.Inst.c.18.*Empedocles se in ardentis Aetnæ specum intempestâ nocte deiecit, vt, cùm repentè non apparuisset, abijsse ad Deos crederetur.*

Hinc illud vulgatissimum: *Deus immortalis haberi*
Cùm cupit Empedocles, ardentem frigidus AEtnam
Insiluit. Horat. proh, sæuam sibi ambitionem.

O ambitio, ambientium crux? D. Bernard. lib.3. de consideral.

Quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames non tantum, sed Excellentiæ. *Virg.3. Aeneid.*

Cautius paulò Salmoneus Rex Elidis, qui regio nomine parum contentus, diuinos quoque honores ambiens petulantiùs, & Iouem tonantem ac fulminantem volens imitari, pontem æneum struxit, sublimem adeò, vt Elidis partem desuper tegeret, in eoque currus insidens agitabat, ad imitanda tonitrua, faceíque prætereà nùnc in istum, nùnc in alium, eiaculabatur, & quemcumque feriisset, iubebat occidi; sed tamen tandem à Ioue eius tantæ superbiæ irato, est fulminatus, ad Inferosque deturbatus, superborum Principum imago perfectissima.

Virg.6. AEneid. *Vidi & crudeleis dantem Salmonea pœnas,*

Dùm flammas Iouis, & sonitus imitatur Olympi.
Quattuor hic inuectus equis, & lampada quassans,
Per Graiûm populos, medieque per Elidis vrbem,
Ibat ouans, Diuûmque sibi poscebat honorem;
Demens, qui nimbos, & non imitabile fulmen
AEre, & cornipedum cursu simulârat equorum.
At pater omnipotens densâ inter nubila telum
Contorsit, non ille faces, nec fumea tædis
Lumina, præcipitemque immani turbine adegit.

Ità *semper magno constitit, nasci Deum:* & haberi velle. *Seneca Trag.*

*iiij. Ec-

* iiij. *Ecquem* non alliciat pacta Libertas, tantillæ opellæ, gustati scilicet pomi pretium? *Eritis sicut Dij*, ex nullius ore aut imperio pendentes, sed omninò iuris vestri. *Eritis sicut principes*, legit interp. Chaldaica.

Vox enim *Elohim* æquiuoca est de Deo, Angelis, & Iudicibus.

Hac cupiditate dicitur Eua prior gustasse, vel vt marito prior ac superior esset, vel ne semper inferior, & parere coacta.

Moses Bar-Cephas lib. de parad. parte 1. c. 28. pag. 135. *Quærat aliquis, cur* (Eua) *non vocârit Adamum vt is prior ederet? nimirum transformari ipsa prior cupiebat in Deum, virumque suum diuinitate anteuenire, qui se humanitate præcesserat, quo hâc ratione administrationem rerum præillo, atque imperium obtineret: existimabat enim simulatque gustaret, eueſtigio in Deam se transformatum iri.*

De Lunæ quoque ambitu nescio quid tale Hebræi fabulantur.

Studio Libertatis vnius, bella nata penè omnia, prisca, nouaque, tàm quæ ditionis, & Iurisdictionis, quàm quæ Religionis.

Ita præclara est recuperatio libertatis, vt nemo *quidem sit in repetenda libertate fugienda*, ait Cic. Philipp. 10.

Vult Synagoga Libertinorum, instar Dei, à nullo pendere, libertate frui conscientiæ, vt vocat. Ea vna proposita, Hæretici fiunt infiniti.

Feci è seruo vt esses libertus mihi.

Quod habui summum pretium, persolui tibi. Terent. in Andr. Act. 1. Scena 1.

Alterius non sit, qui suus esse potest, ait ille.

Pyrrhus Epirotarum Rex apud suum Cineam de tribus gratias Dijs egit, ante omnia, quod Regem se,

se, non seruum esse voluissent. *Gueuarra bor. l.1. cap.47.*

Liberti nomen de libertate vocatum

Alterius non vult me dare colla iugo, aiebat aliquis sæpè me adolescente.

Bestiæ, quas delectationis causâ concludimus, cum copiosius alantur, quam si essent liberæ; non facilè tamen patiuntur sese contineri. Cicero, quinto de Finibus.

* v. *Agilitas* incredibilis, quem non alliciat? *Eritis sicut Dij*, sicut Angeli, tam alati, tam agiles & celeres quàm illi, qui vbi esse volunt, illic sint.

Hinc illa vota: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* psal. 54.

Nunc ego Triptolemi cuperem conscendere currus,
Misit in ignotam qui rude semen humum.
Nunc ego Medeæ vellem frænare dracones,
Quos habuit fugiens arce, Corinthe, tuâ.
Nunc ego iactandas optarem sumere pennas,
Siue tuas Perseu, Dædale siue tuas:
Vt tenerâ nostris cedente volatibus aurâ,
Adspicerem patriæ dulce repentè solum. Ouid. lib. 3. Trist. el. 8.

Eius rei cupiditas quàm multas hactenus mulierculas fefellit, & adhùc fallit.

* vj. *Scientiæ* omnigenæ merces quem non capiat? *Eritis*, inquit, *scientes bonum & malum*, eo, quo Dij & Superi, gradu. De omni scibili aptè disputabitis.

Vno momento didiceritis *Errores que & stultitiam*: lætifera, & salutaria, illa, vt fugiatis; ista, vt admittatis.

Scire volunt omnes. Scientiæ cura, ex vniuersis animantibus vni homini data est.

Natura omnes scire desiderant, ait Philosophus 1. Met. c. 1.

Peregrinationibus longiſsimis, diuturnis, periculoſiſsimis, ſumptibus immenſis, ſtudiis importuniſſimis, diurnis, nocturnis, videas immori nonnullos, tantùm vt ſciant, & ſciantur.

Nocturnis iuuat impalleſcere chartis. Perſ. 5. Sat.

D. *Hieronymus ep. ad Paulinum de omnibus diu. hiſt. libris.* Multa habet de peregrinationibus Pythagoræ, Platonis, Apollonij, *dùm literas toto orbe fugientes perſequuntur.*

Non datur ad Muſas currere lata via. Propert.

Qui ſtudet optatam curſu contingere metam,
Multa tulit fecitqúe puer, ſudauit, & alſit,
Abſtinuit Venere & Baccho, ait ille.

Vide Academiam noſtram peccatorum, tomo 1. con. 9. pag. 383.

Trahimur omnes ſcientiæ cupiditate, etſi ſapere ad ſobrietatem multò eſt conſultiſsimum; neque ferè qui plura ſcit, is eſt cæteris ſapientior, quod barbarè quidem, ſed lepidiſsimè, quidam ſic expreſsit: *Magis magnos clericos non ſunt magis magnos ſapientes.* Ex Prouerb. gall. in calce Dictionarij Gall. M. Nicod. tit. *Clers.*

Ergò *talibus inſidiis, periuriqúe arte Simonis* inſernatis,

Credita, res, captiq; dolis protoplaſti. *Virgil. 2. Aeneid.*

Crediderunt mendaci & multa mentienti Dœmoni, qui Deo ſemper veraci non crediderunt. Ah!

Corrupti & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis, Pſalm.

Dùm entia mera videri nolunt, & ſcientiam peream affectãt, negligunt conſcientiam, cùm ſtudio melioris conſcientiæ ſit adfectanda ſcientia. *Multo* enim *melius eſt è duobus imperfectis, ruſticitatem ſanctam*

tam habere, quàm eloquentiam peccatricem. Hieron. ep. ad Nepotianum.

*2. *Calumniatur* præterea Creatorem.

*3. *Inuidia* enim illum accusat, quasi esum fructûs illius eò prohibuerit, ne scientiâ sibi pares euaderent.

Quasi nescio quid tale pateretur Deus, quale olim Alexander Magnus, quem ferunt doluisse, cùm publicatos Aristotelis libros vidit, quòd ne eruditione quidem tandem, plebeculam esset superaturus, parte facta iam omnibus ad parem doctrinam via, librorum illorum editione & communicatione.

Solent certè Principes non facilè atque amicè ferre æquales: ac, ne quis eos æquet vlla parte, valdè anxiè prouidere.

Superbiæ proprius est excellentiæ adpetitus, & ab inferioribus, ne aliquandò pares fiant, formido, & impediendi solicitudo.

Nec quemquam iam ferre potest Cæsare priorem,
Pompeiusue parem. Lucanus lib. 1. Pharsal.

——— *omnisque potestas*
Impatiens consortis erit. Ouid. lib. 2. Metam.

Alterius incrementum, decrementum suum putat: & sibi detrahi, quòd alteri adquiritur.

Scit enim Deus (inquit) *quod in quacumque die comederitis ex eo, eritis sicut Dij &c.*

Q. d. vetuit, non ex beneuolentia & studio vestri, quòd mors sequatur esum fructus; sed ex philautia, inuidiaque boni vestri, quod vobis scientiam perfectissimam esca illa conferret, & faceret pares Magistro discipulos. Vult vnus rerum scientiâ supereminere: itaque scientiæ viam istam vobis obstruit, & clauem certam negat.

Moses Bar-Cephas lib. de parad. parte 1. capit. 28. *Cætera verba eò spectant, vt persuadeat, Deum per*

inuidiam ea illis arbore interdixisse, nempè ne Dij fierent, qualis ipse esset.

Petrus Comestor hist. Scolast. libri Genes. 11. *Deus nolens vos similari ei in scientiâ, & sciens, quòd cum comederitis ex ligno hoc, eritis sicut Dij scientes bonum & malum, quasi inuidus prohibuit.*

Proh, calumniã & blasphemiam. erit, erit tempus, cum istum Christus *humiliabit calumniatorem.* Psal.

Diuinam Naturam inuidam esse non conuenit. Arist. lib. 1. Metaph. c. 2.

* ij. *Mendacij* quoque. *Nequaquam*, ait, *morte moriemini*, id est, Nequaquam verum dixit Deus. Falsum est vos esse morituros eâ horâ, quâ comedetis ex eo fructu, cùm tamen prædixisset Deus, *morte moriemini*, Hebraismo vsus, quo certissima mors designatur. *Morte* enim *mori*, Hebræis est pro certissimè & sine dubio mori.

Negat scelestum mancipium, quòd communis suus hominisque Dominus affirmat, & quidem nullâ vrbanâ veniæ præfatione.

Quid est, si hæc in Deũ non summa cõtumelia est?

D. Ignatius mart. optimè de illo: *Lignum Dei conuiciator iniuriosus* ep. 5. ad Philipp.

Vndè & *Diabolus* dictus, id est *calumniator*, Dei scilicet hominumque, & *fratrum* per calumniam *accusator.*

Vide Monomachiam nostram conc. 12. parte 2.

Vera tamen dixerat Deus, & folio Sibyllæ veriora esse, tàm ipsi, quàm nos posteri; heu quotidie nimis videmus. *In Adam omnes moriuntur, in quo omnes peccauerunt.*

Et quidem eadem horâ ac momento, quo vetito cibo abusi sunt, morte moriebantur, morte culpæ scilicet, quæ est priuatio diuinæ gratiæ, & insuper morte naturæ, non absolutè, sed inchoatiuè. Iàm tùm enim cæpe-

cæperunt mori, & telam mortis ordiri, id est debilitari, vti & nùnc nos omnes *nascentes morimur*, & quotidiè aliquid de nostro demimus æuo.

Vt qui lætali aliquo morbo æger est, ab ipso iàm morbi initio, in mortis potestate esse censetur, etsi pluribus diebus antè decumbat, quam moriatur: sic Adamus, ab eo momento miseriis adobrutus, lentâ morte quotidiè consumebatur.

* 3. *Amphibologijs* vtitur, spiris serpentinis, ac tortuosis mæandris.

Frustra scilicet *iacitur rete antè oculos pennatorum. Quæ nimis adparent retia, vitat auis.*

* 4. *In Mortis* nomine, seu significatu ludendo. Auditu enim primo, videtur dicere, numquàm omninò esse idcircò ipsos morituros: at re verâ dicere vult furcifer, non desituros viuere aut esse, mòx vt comedissent, quod sanè verum erat. Nàm nec tùnc statim exanimes ceciderunt, & sepulti sunt. At quis tam Oedipus, vt ità acciperet? *Dauus sum*, ait ille, *non* Oedipus. Terent. in Andr.

Neuter sensit enim simulatâ mēte loquutum. Virg. 4. *AEneid.*

Quis tàm Lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat, nusquam incurrat?

* 5. *In oculorum* significato etiam ludit. Diabolus siquidem per oculorum apertionem, insinuare videbatur nouum quoddam mentis acumen, perspicacitatem, & maiorem scientiam rerum, quæ proximè Deū esset; at reuera nihil aliud promittebat, quàm oculos antè simplices & columbinos, versum iri in *oculos plenos adulterij* (vt loquitur D. Petrus) illecebrarum, cōcupiscentiarum: in oculos duarum pupillarum, oculos ardelliones, lasciuos, petulcos, loquaculos, & motu solo garriētes, & excitatum iri ex quodā salutari torpore, ad nequitiā peruigilē; id est, vno verbo futuros

planè *oculos nequam.*

Item; debilitatâ vi intelligendi, sensus emersuros; necessarioq; sensuum ministerio vsuros, si quid deinceps intelligere vellent.

Intelligentibus nùnc *nobis necesse est phantasmata speculari.*

* iij. *In Deorum* nomine. De beatis enim Angelis videtur dicere, & reuera intelligit de Angelis damnatis, in quorum miseriæ consortium erant peccando transituri, & particulones pessimæ hereditatis futuri.

* iiij. *In Scientia* nomine ludit. Videtur enim dicere de theorię, & speculatiuæ incremento, & intelligit de ipsa rerum experientia, Boni, illo iàm carendo; Mali, in illud iàm incurrendo.

Penè gratis doctissimi futuri erant scilicet, *eiusmodi* Minerua eos artes omnes edocente.

Non iacet in molli veneranda scientia lecto.

* v. *In boni & mali* nominibus. Nàm volebat eos per illa sperare, se pleniùs cognituros rerum creatarum, herbarum, arborum, gemmarum &c. vires, finemque, quæ prodessent, quæ nocerent, quorsum omnia creata essent, quo modo simplicia miscenda &c. quomodò quæ nocent simplicia, mista prodesse possent. Nàm (vt ait ille) *nil prodest, quod non lædere possit idem.*

Eripit interdum, modò dat medicina salutem.

Quæque iuuet, monstrat, quæque sit herba nocens.

Ouid. lib. 2. Trist.

Dixisses, eum Physicæ, & quasi Magiæ cuiusdam peritiam ingenio humano superiorē protoplastis promittere, vt nùnc ferè sortilegis solet, quo adhùc hamo multos capit, proh dolor, mulierculas maximè.

* *Item*; dixisses illum Ethicen perfectam polliceri, Thomisticâ pleniorem, quæ disputat de virtute & vitio, quæ hic sola sunt, illa in Bonis, illud in malis, numeranda,

Theodo-

Theodorus Abbas. *Nihil* (inquit) *in rebus dum ta-xat humanis principale bonum esse credendum est , nisi virtus animi sola, quæ fide sincerâ nos ad diuina perducēs, illi immutabili bono facit iugiter inhærere. Et è contrario, nihil malum esse dicendum est , nisi peccatum solum, quod à Bono Deo nos separans, malo facit Diabolo copulari. Media sunt, quæ in vtramque partem, pro affectu & arbitrio vtentis, deriuari possunt, vt puta, diuitiæ, potestas, honor, robur corporis, sanitas, pulchritudo , vita ipsa, vel mors, paupertas, infirmitas carnis, iniuria &c.* Ioan. Cas. Collat. 6. Abbatis Theodori c. 3.

Cic. epp. ad Atticum lib. 10. *Nihil bonum nisi quod honestum : nihil malum, nisi quod turpe.*

Artem benè viuendi scelestus promittere videbatur, vberiorem, quàm vel Socrates, vel Plato, vel Aristoteles etiã gemina de moralibus scriptione , vmquàm posteà tradiderunt.

Ille verò experturos eo pacto intelligebat bonum obedientiæ , sed cùm iàm illud irreparabiliter amisissent; malum rebellionis, sed cùm iàm in illud ineluctabiliter incidissent.

Quædam enim, vt sanitas, vt *amicitiæ, cõsuetudines, vicinitates* (cultus virtutis, & Conscientiæ puritas &c.) *quid habeant voluptatis, carendo magis intelligimus, quàm fruendo.* Cic. orat. ad Quir. post reditum.

Hinc ille post lapsum : *Redde mihi lætitiam salutaris tui.* Psal. 50.

Moses Bar-Cephas de Parad. parte 1. c. 19. *Dicimus, arborem scientiæ boni & mali illam esse appellatam, quià per ipsam reipsâ, facto periculo , Adamus agnouit bonum & malum.*

Nota (*reipsa*) nàm anteà speculatiuè satis nórat.

Vndè & ibidem subditur : *Quin & nos quoque nouimus ea quæ mala sunt , antequàm mala designemus:*

verùm vbi iàm ipsa patrauimus, tùm reipsa intelligimus mala esse, & quidem multò certiùs tùm, cùm meritam ob illa pœnam pendimus.

Benè sani sat scimus, quid sit morbus & medicus; at ægri tamen multò melius.

Grauitas morbi facit, vt medicinæ egeamus: eáque nùnc appareat, cuius vim non sentiebamus, quum valebamus. Cic. Varroni lib.9.epp. Famil.epist.3.

Experti morbos ac miserias, fiunt acerbitatis eorum peritiores, paratioresque ad succurrendum ità affectis.

Non ignara mali miseris succurrere disco. Virgil. 1. AEneid.

Prou. Gall. *In Xenodochiis aut valetudinarijs versati, ægrotorum facilùs miserentur.*

** *Item*; quoniam, bonum & verum conuertuntur, & idcircò necessaria quoque videtur mali & falsi conuersio; videbatur etiam vitiligator iste polliceri artem veri falsique internoscendi, quam Logicam appellamus: re autem vera nominibus boni & veri intelligebat, experituros esse veritatem diuinæ prædictionis seu comminationis; nomine autem mali & falsi, inanitatem ac falsitatem eorum, quæ ipsis pollicebatur.

** *Item*; nominibus boni & mali videbatur verè & solidè talium scientiam polliceri, re autem vera intelligebat bonorum & malorum abusiuè & vulgò creditorum experientiam: nomine scilicet boni significans quidquid molliculum est & suaue, & blandè homini arridet, vt eius naturæ conueniens, & vulgi sensu maximè expetendum; mali autem nomine, id omne, à quo natura vt sibi contrario abhorret, vt sùt morbi, labores, sudores, fames, sitis, egestas &c. quæ scriptura etiàm diuina nonnunquam abusiuè vocat bona. *Vide Cassianum collat.6.c.5.*

Et

Et sanè vtrumque erant experturi, illa vetiti cibi manducatione; malum, cùm in morbos, sudores, labores &c. deindè inciderunt; bonum verò, quo iàm tum affatim fruebantur, vt est conscientiæ serenitas, sanitas, omnium rerum ad vitam necessariarum sine labore vbertas &c. tùm maximum esse & multiplex magis intellexerunt, cùm illo carere atque egere cœperunt. Famam famemque augent absentia.

Bona quæ habuimus, magis intelligimus, carendo, quàm fruendo.

Prou. Gall. *Pretium sanitatis præsentis, & adhùc absentibus morbis, ignoratur.*

Item; *Nescitur quid amicus prosit, donec amicus deest, aut abest.*

Quæ totius supellectilis humanæ pars cultello minor? eius tamen vsũ necessitatemque nunquã plenius experimur, quàm cùm deest.

** *Denique*; bonum malumque commemorans, videtur de re aliqua tertia & extra ipsos posita maximè loqui; intelligit tamen præcipuè internum aliquod bonum malumque, pacem scilicet & bellum *hominis* cum seipso, id est, obedientiam carnis, eiusque rebellionem, quàm deindè erant experturi.

Scriptura enim aliquandò nomine mali, significat bellum; ergò & nomine boni, pacem ipsam.

Vt ibi: *Ego Dominus . . . faciens pacem, & creans malum*, Isaiæ 45. cap. vbi Vatablus annotat; *id est, qui authorsum pacis & belli.* Hieronymus autem Osorius Episc. lib. 4. paraphr. in Isaiam, hoc loco, ait: *Ego pacem & tranquillitatem facio: Ego rursus bellum, & belli calamitates importo.* Castalion verò in margine ad vocem (*Bellum*) sic adnotat: *(videlicet Bellum, Pestem, Famem.)*

Quid? Etiam D. Paulus ad Rom. 7. eo ferè sensu loquitur, cùm ait: *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod*

odi malum, illud facio.

Et Ibid. *Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum:*

Nàm quid ijs locis aliud potiùs intelligas nomine boni, quàm pacem carnis cum spiritu, quæ non est iàm indè à peccato Adæ in nostrâ potestate? quid contrà nomine mali, quàm intestinum bellum illud nostrum, & motus illos bestiales quos aduersus rationem insurgere omnes experimur? *Quisque suos patimur manes. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur: vt non quæcumque vultis, illa faciatis.* Gala. 5.

Est nobis ea *Pugna innascerata*, est bellum illud vniuersis *congenitum concretumque*, vt ait Abbas Daniel (apud Cassianum Collat. 4. c. 7.) est *bellum intestinum*, quod *quotidiè intra nos geritur*. Idem ibid. c. 11.

Quo sensu abdito serpens ille veterator, veracior quàm vtile sit, fuit.

Minimè est hic mentitus carnifex.

Quàm verè (Auditores) B. Ignatius martyr de Diabolo dixit. *Varius est malorum dux, animi seductor, inconstans, sibi ipsi contrarius: & alia quidem suggerens, alia verò ostentans: sapiens est enim ad malefaciendum.* D. Ignatius mart. ep. 5. quæ est ad Philippenses.

Altera manu panem ostentat, altera lapidem librat. *Latet anguis in herba.*

Ouum loquitur, sed intelligit scorpionem.

Armat spinâ rosas, mella tegunt apes. Boetius de consolat.

Mel in ore, fel in corde. *Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris Proluuies.* Virg. 3. Aen.

Hæreticis in more hunc ducem sequi, qui *vaniloqui, & mentis seductores, non Christiani, sed Christum mercantes, in fraudem circumferentes nomen Christi, & cauponantes verbum Euangelij, & erroris venenum blanda*

blando alloquio implicantes, tanquam mulso cicutam temperãtes, vt qui biberit, dulcissimi saporis gustatu deceptus, incautè morte transfigatur. Monet quispiam antiquorum; Nemo bonus dicatur, qui bono malum permiscuerit; ait idem Ignat. ep. 2. quæ est ad Trallianos.

Psal. *Labia dolosa in corde & corde loquuti sunt.*

Itaque ab vtrorumque dolis studiosissimè caueamus, à quibus non satis cauerunt patres nostri, vndè & illæ ipsorum, ac nostræ posterorum lachrymæ.

Crediderunt incautissimi mendaciis serpentis; Dei autem veritati fidem derogarunt, vndè & *dentes nostri filiorum obstupescunt.* Tanti deinceps pœnitare non emamus.

III.

Eucharistiæ Sacramentum nunc esse pro fructu illo; Christianosque circà illud habere se oportere omninò contrariè & aliter, quàm se Protoplasti circà lignum scientiæ boni & mali habuerunt.

Vti Reges illi Orientis *per aliam viam reuersi sunt in regionem suam*; sic nobis in cœlum aliis moribus reuertendum. *Matth. 2.*

Hac nõ succesit, aliâ aggrediamur viâ. Ter. in Andr.

D. Gregor. homil. 10. in Euang. *Magnum nobis aliquid Magi innuunt, quod in regionem suam per aliam viam reuertuntur. In eo namque quòd admoniti faciunt, nobis profectò insinuant quid faciamus. Regio quippe nostra Paradisus est, ad quam, Iesu cognito, redire per viam quâ viuimus, prohibemur. A regione etenim nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitũ gustando discessimus: sed ad eam necesse est, vt flendo, obediẽdo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrenando, redeamus &c.*

Vt

Vt ergò Adam fœdâ incredulitate apparentium, & eorum quæ credenda, & creditu facilia erant, & ſtulta nõ apparentiũ,&eorũ credulitate quæ nec credẽda,nec creditu facilia erant, perijt ipſe,& nos vnà perdidit; Sic nũnc nos contrà facili credulitate nec veriſimilium, nec adparentium,quæ à Chriſto in cibo Euchariſtico proponuntur; incredulitate verò conſtantiſsima, apparentium, quæ nobis à ſenſibus noſtris ipſorũ,& ab Hæreticis, rationalibus ſerpentibus, arreptitijs, & à dæmone agitatis,obponuntur, in gratiam cum Deo redeundum.

Contra ſpem in ſpem credendum, inſtar Abrahæ,cõtra factum Adæ, contra ſpem in ſpem nimis ſtultè credentis.

*j. *Quæ enim ſpes* Diuinitatis adipiſcendæ, *vnius* vel grani frumenti, vel ficus, vel pomi, vel vuæ manducatione? Tamen ità fore *contra ſpem in ſpem* ſuaſu Dæmonis *credidit* miſer.

*ij. *Quæ ſpes*, ſolâ neſcio cuius eſcæ ſumptione, quemquam ità rerum omnium ſcientem fore, ac ſi Minerua ipſa eum omnes artes edocuiſſet, aut ſi aſsiduus fuiſſet in concilio Deorum immortalium (vt ille loquitur)eximijs Magiſtris noſtris Pariſienſibus Sorbonicis,Louanienſibus &c. tot vigilijs, tot ſumptibus tantillum ſcientiæ ſuæ conſequentibus?

Tamen ità fore *contra ſpem in ſpem* tunc Protoplaſti crediderunt.

Redituros ſe crediderunt tàm doctos, quàm qui Pegaſæo & caballino illo Muſarũ fonte ora proluiſſent, aut in Aſcrâ, aut bicipiti Parnaſſo, ſomniaſſent.

Prunorum propheticorum (vt eſt in fabulis) vim habere arboris illius pomum credebant(opinor.)

*iij. *Quæ ſpes* Immortalitatis,libertatis &c. quibus

bus Superi ac iàm beati perfruuntur, à tantillæ operæmerito, ab esu vnius pomi buccellæ?

Tamen ità fore *contra spem in spem* tùnc creditũ. Etalia multa his absurdiora.

Non credita verò ea, malum! quæ vt erant verissima. ità erant & verisimillima, vt Dei ipsius fata, & viuæ diuinæ vocis oracula, & Sole ipso clariora.

*j. *Vt; morituros* esse, si vetito vescerentur. Quid enim tàm vsitatum, quàm nocentibus herbis, esculentis & poculentis mori?

Hinc Optimatibus tot antidota, & tot passim amuleta: hinc omnibus tanta inter edendum bibendumque cautio, omnia tuta timentibus: pusionibus sæpè lac etiam maternum metuentibus.

*ij. *Vt; Deum* mentitum non fuisse interminando, qui nunquàm mentiri nec soleat, nec possit? Infirmitas enim Omnipotentiæ contraria.

*iij. *Vt; Dominum* affirmantem saltem seruo neganteveraciorem esse; minantem Deum, Dæmone aut serpente securitatem & omnia salua pollicente, veriora dicere &c.

Si testimonium hominum seruorum *accipimus; testimonium Dei* & Domini *maius est.*

*iiij. *Vt; eum*, qui natura sit Opt. Maximusque, homini operi suo non inuidere. Parentem optima quæque liberis suis vouere, & adprecari.

Ergò nùnc contrarijs planè itineribus procedendum. *Contraria contrariis curantur.*

Fructum nùnc in Paradiso Ecclesiæ, aliquem opt. optimæ arboris comedere à Deo iubemur, corpus scilicet Christi natum ex Maria virgine, Virga de radice Iesse?

De hoc fructu dictum: *Et erit fructus terræ sublimis*, suauior sanè ad vescendum, quàm poma, quàm ficus,

ficus, Euæ tam acceptabiles. *Omne delectamentum habet, & omnem saporis suauitatem.*

O Virga, ô Virgo, *Benedictus fructus ventris tui.*

* *Fructum* dico, sed iam *vitæ* magis, quàm *scientiæ*. Est enim fructus iste, pro fructu arboris vitæ, qui in paradiso fuit, & in expiationem gustati fructus arboris scientiæ.

Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis; Vitam, vitam, inquit, non scientiam.

* *Vitam*, inquam, spiritalem, quæ Dei gratiam dicit, cum Deo vnionem, & ad bona motionem.

Viuimus enim tùm de spiritu Christi. Diuus August. tract. 26. in Ioannem.

Viuimus Deo, de Deo. *Viuo ego, iàm non ego, viuit verò in me Christus.*

Vim confert scilicet cibus iste, ad opera veræ æternæque vitæ exercenda, id est, confert motum agilitatemque ad bonum capessendum, malumque fugiendum. Quod alæ auibus, quod vela & remi nauibus, quod equi curribus, hoc, & aliquid multò præstantius, est esca illa dignè sumentibus.

Hæc reparat vires, fessaque membra leuat, hominis illius à latronibus seminecis relicti. *Luc.* 10.

Nàm si *virtus de illo* solùm adtacto *exibat, & sanabat omnes*, quanto magis ab eo sumpto, & conseruato?

Si Moysi sic profuit consortium sermonis Dei; quid Dei in homine habitatio?

Christianus, cuius *Deus in medio eius, non com-*

commouebitur vllis tentationum irruptionibus, multò minùs quàm Troia, saluo sibi suo Hectore & Palladio; aut Roma, ancili suo, quod Numæ tempore, cælitùs aiunt demissum cum hâc voce : *Illo in vrbe seruato, vrbem fore potentissimam.*

* *Vitam* verò etiàm corporalem sæpè.

S. Mariã Oegniacensem ferunt tres & quinquaginta dies ante obitum suum nihil gustasse, præter Eucharistiam. *Marulus lib. 4. ex. c. 1.*

S. Liberalis, Heliodori Altinensis Episcopi discipulus, sæpè totâ hebdomadè, sine alio cibo vllo & potu, vixisse fertur, sumpta singulis tantùm Dominicis Eucharistia. Huius Diui ossa Taruisii posita honorantur. *M. Marul. lib. 4. exemp. c. 1 & 12.*

Idem Ioanni quoque Abbati in Thebaidis Eremo visitatum. *Pallad. Lauf. hist. 61.*

S. Catharina Senensis viribus corporis deficiebatur, si quo die Eucharistiã non sumeret. *Raimundus à Capuâ in vitâ eius cap. 21.*

In Elia præsignatum, 40. dies viuente & ambulante, vñius subcinericij panis sumptione. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo &c.* Matth. 4.

* *Vitam*, inquam, etiàm corporalem, non tantùm intùs aliquid conferendo, sed etiàm externa arcendo.

Pius 2. Hist. de Europa cap. 21. rem memorat æternã sanè memoria dignissimam. Referam ipsissimis eius verbis. *Fama est*, inquit, *eáque celebris, inter Stirienses nobilem quempiam fuisse, cui sæpè in animum recideret, seipsum laqueo suspendere. Id ægrè ferentem, ex docto quodam viro remedium petiuisse aduersus eam tentationem. Consilium datum, proprium vti sacerdotem conduceret, qui sibi manenti in arce quadam solitariâ singulis diebus rem diuinam faceret : paruisse nobilẽ,*

atque

atque annum fermè continuâsse, nulla suspendij cogitatione interueniente. Postremò rogatum a Sacerdote, vt presbytero vicino, qui templi dedicationem in proximo monte habiturus esset, auxilio esse posset, licentiam dedisse, proponentem in animo paulo post sequi, & sacris interesse. Stetisse diù posteà, nùnc vnâ, nùnc alterâ causa retentum. Denique circa meridiem profectum, agresti cuidam in nemore occurrisse, qui rem diutnam in monte peractam esse, & populum omnem abijsse diceret. Contristatum eo nuntio, ignobilem, infelicemque se esse dicentem, qui eo die sacrum Christi corpus non vidisset; agrestem consolari cœpisse. Venditurum, si vellet nobilis emere, præmium, quod interexistendum diuinis meruisset, sagumque Nobilis petiuisse pretij nomine. Venditione facta, Nobilem nihilominus montem ascendisse, atque oràsse in templo. Reuersum autem, in proxima arbore suspensum agrestem inuenisse, sed posteà diris cogitationibus haud quaquàm vexatum fuisse.

* *Vitæ* verò immortalis & beatæ hinc quoque aliquod auctarium, & illud magnum.

Nàm vt ibi suauissimus pastus animorum, & cibus internorum mentis oculorum est læta visio Deitatis & pastus corporis oculorum erit visio eiusdem humanitatis Christi, remoto iàm velamine manifestè, quam toties minimè apparentem homo sumpsit; sed & intellectio clarissima tot obscurissimorum nùnc dubiorum circa illud vnum Sacramentum; ex quare priuatam quasi de ingenti thesauro inuento, voluptatem percipient qui hoc sacramentum frequentarunt, alijs qui nunquàm, sumpsêre, haud communè.

Hæc est vita æterna: vt cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Ioan. 17.

Per me si quis introierit, saluabitur; & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Ioan. 10.

Quin etiam opinor tales corporis quoque gloriâ confor-

conformiores fore *corpori claritatis Christi.*

* *Scientiæ* quoque boni & mali conferendæ vim habet non paruam. Quid obscurum sit gerenti intrà se lumen originale?

Prou.7. *Sapientia misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem* (& mensam à se propositam :) *Si quis est paruulus, veniat ad me. Et insipientibus loquuta est: Venite comedite panem meum , & bibite vinum, quod miscui vobis. Relinquite infantiam, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ,* hâc mensâ recreati.

Eccl.15. *Cibabit illum pane vitæ & intellectus, & aquâ sapientiæ salutaris potabit illum.*

Dedit illi scientiam Sanctorum.

Luc.vlt. *Cognouerunt eum in fractione panis,* id est, in Eucharistiæ per eius manum, receptione (vt communius dicitur :) vel refectione liberali hominis peregrini, ex charitate, D.Gregorij sensu.

Potuerit scilicet Ceres frugum Dea, Celeum eiusque filium Triptolemum, quòd liberalissimè hospitio fuisset suscepta, omne genus agriculturæ perdocere: non potsit aut nolit Christus, hospitibus etiàm suis docendo prodesse?

Quid ignoret homo, *in quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter?*

Quid ignoret, qui intùs habet Sapientiam ipsam, & illum ipsum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ?

Non videtis, quid energumeni sciant, dicant? Non audistis vetera illa de Deo Socratis?

2.Cor.13. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?*

Enthusiasmus est manifestus iis, qui dignè cibo illo diuino vtuntur.

Nolite, sancti idiotæ, grauius ferre, illiteratos vos esse, non Athenis, non in Sorbonæ schola studuisse;

tantùm hoc fructu, his rotundis noui test. ficis vesci-cimini, *& eritis scientes bonum & malum*, quantum satis est vitæ, si non quantum satis est Scholæ.

Psal. *Quoniam non cognoui literaturam, introibo in potentias Domini.*

* *Vim quoque* quandam habet deificandi. *Eritis sicut Dij.*

Concorporei, vt ità dicam, & consanguinei Christi facti estis. Cyrill. Ep. Ieros. Catech. 4.

Sicut si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceri necesse est: sic qui carnem & sanguinem Domini recipit, cum ipso ità coniungitur, vt Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur. Cyril. Episc. Alex. lib. 4. in Ioan. c. 17.

Modicum fermenti totam massam fermentat.

Regressæ in mare aquæ dulces fluuiorum, mox amarescunt & salsæ fiunt.

Ioan. 1. *Quotquot autem receperunt eum* (fide, & Eucharistico pastu) *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.*

Viuo ego, iàm non ego, viuit verò in me Christus. Gal. 2.

D. August. lib. 7. Confess. c. 10. *Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me. Nec tu me in te mutabis sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.*

Erunt duo in carne vna. Genes.

Hæc & his similia hîc credenda diuinitùs nobis proposita sunt, quamlibet haud satis talia appareant; contrà appareant magis quæ à serpente, Hæreticorũ ore, opponuntur.

Sed *fides est argumentum non apparentium.* Heb. 11.

Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmat fides
Præter rerum ordinem. D. Thom.

Sacramentum Dei suscipiendum est (fortè mel. suspiciendum) *non discutiendum: venerandum, non diiudi-*

indicandum; fide sortitum, non innatum; traditione sanctum, non ratione adinuentum. D. Bernard. in ep.

Contraria contrarijs curari vult Deus noster: incredulitatem maximè apparentium, credulitate non apparentium: credulitatem non apparentium, apparentium incredulitate.

Nam certe naturæ sensu, magis apparet vtramq; substantiam, etiam consecratam, manere quòd erat, quam hanc in carnem, in hominem viuum versam esse; istam verò in sanguinem. Consule sensus omnes; profectò decepti ipsi te decipient.

* *Oculi* enim quid renuntiant, præter albedinem, rotunditatem, transparentiam &c. quæ & qualia antè consecrationem adfuerant?

Inuide, dicebant, paries (accidentium scilicet) *quid amantibus obstas?* Ouid. lib. 4. Metaph.

* *Manus* & tactus quid, præter solitam offulæ coctæ fragilitatem, læuorem ac leuitatem eamdem; nullum prorsus, ob hominem ibi iàm contentum ponderis incrementum; nihil calidum aut spirans, quod viuentem intùs hominem estetur; nihil ossium aut resistens cùm diuiditur? Nullum vel tantillum ibi superpondium, ab ingressu eius, qui vastam hanc mundi molem gestat.

* *Gustatus*, & palatum quid in ipso actu manducandi? renuntiant, nihil carneum, nihil osseum, nihil sanguinolentum gustari; non vel tùnc ossium confractione & commolitione dentes hebetari; non sanguine labia cruentari aut purpurari; non carnium fila mandentium dētibus inseri, quæ cultello aut scalpello exserātur &c. sed merum, vt priùs, panis viniq; saporem &c.

Aquam tamen in vinum nuptiale conuersam, vini primi & optimi saporem odoremque concepisse. Ioan. 2.

Et labia Anthropophagorum, & rictus leonum, post sanguinem haustum, tincta ac rubea apparere.

* *Odoratus*, etiam post consecrationē pani aut calici hiantibus naribus incumbens, quid percipit inusitati odoris? quid carnis, quid vini hoc vel illud exhalat? Vt idem albi vini post consecrationem color, non purpuratus, non sanguinolentus; ità idem sapor & odor. *Non repletur* hinc *domus* aut altare *odore vnguenti.*

* *Auditus* quamlibet acutus atque intentus quid? ne verbulum, sed ne *sibilum* quidem *auræ* quamlibet *tenuis* percipit, vt animatum ibi aliquid credi possit. Non persuademur Colore, non Calore, non Sapore, non Odore, non Sonore.

Arborei fœtus, aspergine cœdis, in atram
Vertuntur faciem: madefactaque sanguine radix
Purpureo tingit pendentia mora colore, post Pyrami cœdem. *Ouid. lib. 4. Meta.*

At hic nulla sinsilis mutatio apparet.

Sensus tamen, philosophorum opinione, solent interpretes, ac nuntij rerum esse certissimi. Quibus iam tandem credas, si nec auritis, nec oculatis testibus, imò non auribus, aut oculis, aut manibus, aut naribus, aut oraculo oris ipse tui credas?

Cicer. 2. Acad. *Sensuum ità clara iudicia & certa sunt; vt si optio naturæ nostræ detur, & ab ea Deus aliquis requirat, contentane sit suis integris incorruptisque sensibus, an postulet melius aliquid, non videam, quid quærat amplius.*

Idem lib. de leg. vocat *quasi fundamenta quædam scientiæ.*

Epicureis visum *numquàm sensus mentiri, sed omnes veros esse, in ijsque iudicia rerum posita; quorum si vel vnus semel in vitâ mentitus sit, sublatum esse omne iudicium veri & falsi.* Cic. lib. 1. de Finib.

Con-

Consule humanas rationes, & ipsæ ibi corpus Christi verum esse pernegabunt. Continens enim illic contento minus videtur.

Deinde quis persuadeat, fieri posse, *tempore vno Homo idem duobus vt locis simtu sit?* Plaut.

Si ergò *in ore duorum aut trium testium stat omne verbum*: quantò magis in tot naturæ testibus consentientibus, & nonnullis talibus quidem, vt numquam mentiantur?

Magis ergò apparet, in hoc Sacramento non esse carnem & sanguinem Christi, quàm esse, si quidem sensus soli consulantur.

Cœcus cœcum ducit.

Nox nocti indicat scientiam, psal.

Credendum est tamen corpus esse, etiam contra allegata & probata corporis sensuum.

Quid ità? Dicam. Quià, sensibus nimium credēdo, Deum olim irritauimus:

Oculis; *Vidit* ,n. *mulier lignū, quod esset pulchrum visu:*

Gustus; *& ad vescendum suaue &c.*

Auribus; dum serpentem audiuimus, & non apparentibus eius promissis plus fidei habuimus, quàm apparentibus Dei comminationibus; Iàm contrà sensuum omnium indicia & coniurata testimonia, vt fallacia, hic Christi iussu respuendo, & non apparentibus Dei, magis, quàm Hæreticorum apparentibus, credendo, eundem Deum à nobis oportet placari.

Contra spem in spem nunc credendum. Timorian & conseruationem diuini honoris sapit, ità fieri. *Vide Gellium lib. 6. noct. Att. cap.* 14.

Fides argumentum non apparentium hic exigitur, hostimentum infidelitatis maiorum in rebus maximè apparentibus: & credulitatis minimè apparentium.

Verbum Dei, & Pythagoricum illud (*ipse dixit*) sensuum simùl omnium humanorum iudicio, iudicioque, ac testimonio hic est præferendum.

Concipienda certa *Fides ex auditu* huius verbi Christi (*Hoc est corpus meum &c.*) qui eo verbo indicando corpus esse, fecit esse quod indicauit; & faciendo, esse indicauit, vti & anima hominis diuinitùs creando infunditur, & infundendo creatur.

Mendacij certissimi hic sensus vna omnes accusãdi: & animosa fide dicendum: *Mentimini, oculi mei; mentimini, manus meæ; mentimini, labia & fauces meæ &c.* quæ mihi, etiàm post consecrationem, hic panem ac vinum dumtaxat esse renuntiatis. Malè hic oculatæ estis manus meæ, quæ nihil creditis, nisi quod videtis.

Exploratores malæ fidei hic estis sensus mei, vt illi quondam à Iosue in terram promissionis destinati.

Suspectam hic esse oportet omnem humanarũ caliginem rationum.

Vniuersus iudiciorum ordo hic subuertendus, nõ secundum allegata ac probata sensuum iudicandum, non secundum naturæ & rationum suffragia etiam vniuersa, vno ac solo Christi verbo refragante, ac dicente: *Est corpus meum; est sanguis meus.* Vt omnes sensus nostri iurati dicant, non est; dicendum, Est, est, est.

Suffragia hic maximè non numeranda, sed ponderanda. *In* hoc *iudicio non acquiescas sententiæ plurimorum*; non etiam doctissimorum, *vt à vero deuies*; sed verbo Christi solius expresso, *Hoc est: Hic est &c.*

Filijs Deorum, absque vlla demonstratione, credendum est, ait Plato.

Vnum

Vnum pro nobis habemus, *sed Leonem*, Christum, inquam, *leonem* illum *de tribu Iuda*.

Vnum auditorem, sed Platonem, aliquis tragœdiographus totis Athenis cum laude prætulerit; non præferatur vnus Christus Homo-Deus omnibus sensibus, & sensualibus hæreticis, & intellectui humano, *sic se ad manifestissima naturæ habenti, vt oculi noctuæ ad lumen Solis?* Aristot.

Cum Platone aut Catone, Cicero errare malit, quàm cum alijs vera dicere; & aliquis cum mirabili illo & laborioſissimo, planeque Adamantio Origene; non malit homo cum verace Deo, imò summa Veritate sentire, quàm sensibus certè hîc fallacissimis, & sensuum mancipijs Caluinistis consentire?

In rebus fidei, necesse est omnis Philosophia conticescat. *Cedant tenebræ lumini, & nox diurno sideri.*

Si species arboris & fructus Euam decepit; non decipiat nos apparens absurditas huius Sacramenti, & speciosæ hæreticorum argutiæ.

* *Adde*; sensus sæpè mentitos esse, ac mentiri.

Quis vela nauium procùl distantium nigra non putet, quamuis reapse sint candidissima?

Quis remum, aut bacillum quemuis, partim aqua mersum, partim extantem, non vel fractum, vel instar curuati ac intensi arcus inflexum credat, qui tamen extractus, rectus integerque monstratur?

Seneca lib. 3. nat. quæst. *Nihil acie nostra fallacius, non tantùm in his à quibus subtiliter peruidendis illa colorum diuersitas submouet: sed etiam ijs quoque, quæ ad manus cernit. Remus integer in tenui aqua fracti speciem reddit. Poma per vitrum adspicientibus*

multò maiora sunt. Columnarum interualla porticus longiores iungunt. Ad ipsum Solem reuertere, hunc quem toto orbe terrarum maiorem probat ratio, aries nostra sic contraxit, vt sapientes viri pedalem esse contenderint. Quem velocissimum omnium nemo nostrum videt moueri, nec ire crederemus, nisi adpareret ipse.

Quis Echo verba nostra repetentem audiens, non putet hominem esse, è latebris nescio quibus velimitantem, vel irridentem, vel responsantem?

Quoties verò deceptæ & manus.

Isaacus, dùm pelles hœdinas collo manibusque sui Iacobi à matre circumpositas palpat, &, vt vult, tractat, putat sui Esau se manus collumque contingere. Auditu verum renuntiante, tactus tamen fefellit.

Vox quidem vox Iacob est; sed manus, manus sunt Esau. Gen.

Sortilegis verò quàm sæpè contingit, nil nisi folia mera aridaque tractare, dùm tenere aureos se nummos putant!

Quàm sæpè falsò creditis perdicibus in comitijs suis vescuntur, falsoque epulo videntur impleri, quasique in famosissima Solis mensa sedere!

Ergò sensus sæpè mentiri contingit contra Epicurum: Ergò, *si quià vel vnus semel in vita mentitus sit, sublatum est omne iudicium veri & falsi,* iuxta Epicurum: in hoc saltem, de veritate corp. & sanguinis Christi in Eucharistiâ, iudicio, sensibus omninò nullis est credendum *Auditu solo in te creditur.*

Retrogradè, & reciprocè in gratiam Dei & gloriam reuertendum.

Nimiùm & parùm credendo, cui & vbi minùs & magis oportuerat, perijmus? nùnc multùm credendo, cui parùm tùnc creditum est; & minùs ac omninò

nò nihil credendo, cui tũnc nimium creditum eſt, redeundum, emergendum.

Perijmus vetitis veſcendo? emergamus, veſcendo imperatis.

Denique, non tàm *arbor ſcientiæ* affectanda, quam *arbor vitæ*, fidei ſcilicet, & bonorum morum. Non tàm Scholæ, quàm vitæ inhiandum.

Iuſtus ex fide viuit.

Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.

Surgunt indocti, & cœlum rapiunt. D. Auguſtin. lib. 8. Confeſſ. c. 8.

Credentes affectat Deus, & facientes. (prou. gall. *pulcra profectò auis, phaſianus*, id eſt, ad ſonum gallicum, *faciens, operans; re magis, quàm verbis, bona repræſentans.* q.d. In pretio ſunt qui faciunt bonum, non qui ſciunt.

Iàm (vt ſunt tempora & mores) egemus Fide & credulitate, inter tot hæreſes; iàm egemus charitate, bona voluntate, vitæ emendatione, inter tot corruptos, corruptores, & corruptelas.

Non circumferamur omni vento doctrinæ; non hùc illucque feramur, vt Cepphos auis eiuſmodi, tantæque leuitatis, vt in quamcunque partem ventus flauerit, in eam feratur.

FIDE PRISCA, & MORIBVS ANTIQVIS viuamus.

His artibus gradibuſque reuertemur in cœlum, vndè contrarijs excidimus.

His moribus cum Deo noua fœdera feriemus, qui vetera ſtudijs planè diuerſis & aduerſis, magno noſtro malo, violauimus.

Faxit DEVS, vt velimus, & poſſimus.

Paleæ & Micæ.

* 1. *Iſte ſermo; Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix meus &c.* viſus eſt ipſi Luthero tàm potens, vt cùm etiàm diſcuperet fieri Zuinglianus, quòd ea plurimum incommodare Pontifici potuiſſet: victus tamen & captus apertiſsimo contextu, cederet: neq; minùs inuitus Chriſtum verè præſentem in ſacramento ſanctiſsimo fateretur, quàm olim Dæmones, victi miraculis Chriſti, Dei filium vociferati ſunt. *Luther. ep. ad Argen.*

* 2. *Aſinus* Diui Antonij Paduani famelicus licèt, tamen ab hac eſca ſibi propoſita abſtinens, id docet. Sed & illa D. Franciſci ouicula, ad eleuationem corporis Chriſti in Miſſæ ſacrificio adorabunda. *D. Bon. in vita D. Franc. cap. 8 §. 6.*

* 3. *Verè tu es Deus abſconditus.*

Generationem eius quis enarrabit? variam patitur interpretationem. Vel enim loquitur, de ortu Chriſti æterno ex Deo Patre, quæ vulgatiſsima opinio eſt; vel de natiuitate eius ſecundum carnem ex Matre Virgine, ſecundum Hieronymum: vel de innumerabili populo in Chriſti verba iuraturos & per baptiſmum Chriſti regenerando; vel denique de ineffabili eius in ſacramentum Euchariſticum, verbis Sacerdotis, illapſu, & ſpecierum in Chriſtum ipſum trāſſubſtantiatione.

Diceres hic Deum, vt olim ipſe, inſpirando in faciem ſimulachri lutei, hominem repræſentantis, à ſe plaſmati, ei indidit vitam ac mentem; ita mundo renaſcente ſub Euangelio, voluiſſe homini Sacerdoti viciſsim facultatem iſtam longè honoratiſsimam cōferre, quia ore, verbis pauculis, & quaſi flatu leuiculo, panem ac vinum in Deum-Hominem mox conuerteret, ac tranſubſtantiaret. Quod

Quod de seruis suis dixit Christus: *& maiora horum faciēt &c.* fortasse & hùc quoq; spectabat. Nàm longè plus est, ab homine Hominem-Deum paucis verbis, & quasi solo flatu, in altari velut generari, quā hominem à Deo è terra primum formari, deindè insufflando animari.

Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.

Aure Christum Maria cōcepit; ore Sacerdos è cœlo ad altare eundem adducit.

Fœcunda tùnc auris Mariæ, nùnc fœcunda sunt ora Sacerdotum.

* 4. *S. Iuliana oraculo quodam, dùm inclusa esset, Festum V. Sacramenti post Pentecosten celebrandum, Collegio D. Martini* (Leodij) *proposuit, quod ab Vrbano IIII. mirificè dilatatū est in vniuerso orbe terrarum perpetuo celebrari.* Sic F. Ioannes Placentinus, in 40. Antistite Leodiensium.

* 5. *Saladino, aut certè (quod potius crediderim) Saphandino filio, de Ludouico Francorū Rege capto cessit victoria: quum ad Damiatam vrbem Pelusiaco Nili ostio in Christiana castra effuso, miserabilem cladem accepisset. Ferunt Ludouicū, vt se redimeret, in pactionis fidē, Christianam hostiam victori impio tradidisse, nō minore accipientis, quam tradentis, gloria, quandò barbarus pro sua superstitione inane externæ fidei pignus acciperet, in eam spem, vt ad perpetuum dedecus, si Rex inclytus in exoluēda pecunia impiè fidē falleret, inexpiabilis inuidia maximè pio Regi conflaretur.* Paulus Iouius l. 1. Elog. virorum illustrium, in Saladino Aegypti, Syriæq; Sulthan.

Vbi cautè & sanè intellige illa verba Iouij (*inane externæ fidei pignus.*) vt nō putes, simpliciter inanē Eucharistiam nostram ab eo dici, sed inanem à Barbaro habitam *pro sua superstitione*, & opinione.

* 6. *D. Augustin.* serm. 147. de Temp. sed loquens de

resur-

resurrectione Christi. *Quid aliud facerent homines, qui ea quæ sunt hominum, sapiunt, quam sic disputare de Deo contra Deum? Ille enim Deus est, isti homines sunt... In homine carnali tota regula intelligendi est consuetudo cernendi. Quod solent videre, credunt: quod non solent, non credunt. Propter consuetudinem facit Deus miracula, quia Deus est.*

Ibid. *Quare miramur? quare non credimus? Deus est qui fecit.*

Occultatæ quorumdam *manus, credunt* tantùm *quod vident*, vt loquitur Plautus.

Græca fide omnia tractare volunt, id est, præsente pecunia, & vsu sensuum corporis.

* 7. *In Eucharistiâ* verum esse corpus Christi, vel hoc argumento est, quod Christiani, ab eius sumptione, anthropophagi, Cerberi, seu carniuori, ab Ethnicis vulgò dicebantur, atque accusabantur.

* 8. *Ex Epistola* quadam Philippi Melanchthonis de Cœnâ Domini, ad Ioannem Oecolampadium amicum suum, data Spiræ 1529. *Non modo cogitauit ipse, quid in vtramq; partem dici posset*, (de Cœna Domini scilicet:) *sed inquisiui etiam veterum ea de re sententias... Cùm omnia quæ in vtraque parte firmissima videntur, expendi, dicam pace tua, non tamen eo in sententiam tuam: Nullam enim firmam rationem inuenio, quæ conscientiæ discedenti à proprietate verborum satisfaciat.* Et post pauca. *Quod si gratiam aucuparer, non ignoro quàm multos & magnos eruditos viros habeat vestra factio, horum amicitiam non contemnerem. Itaq; si mihi vestra sententia de Cœna Domini placeret, simpliciter profiterer. Vos absentis Christi corpus, tanquam in tragœdiâ repræsentari contenditis: ego de Christo video extare promissiones: Ero vobiscũ vsque ad consummationem seculi. & similes, vbi nihil est opus diuellere ab humanitate diuinitatem, proindè sentio hoc sacramentum*

vera

veræ præsentiæ testimoniũ esse. Quod cum ità sit, sentio in illa Cœna præsentis corporis κοινωνίαν esse. Cùm proprietas verborum cum nullo articulo fidei pugnet, nulla satis magna causa est, cùr eam deseramus. Et hæc sententia de præsentiâ corporis, cõuenit cum alijs scripturis, quæ de verâ præsentiâ Christi apud nos loquuntur. Nàm illa est indigna Christianis opinio, quòd Christus ità quandam cœli partem occuparit, vt in eâ, tanquam incluſus carcere, sedeat. Tu colligis absurda multa, quæ sequantur hanc sententiam. Colligis etiam quasdam veterum sententias, quæ pro te videntur facere. Sed absurda minus offendent eum, qui meminerit.

De rebus cœlestibus ex verbo Dei, non ex Geometriâ, faciendum esse iudicium, quique tentatus didicerit nullam esse rationem, quæ conscientiam satis docere possit, cùm a verbo Dei discesserit.

In ijs locis, qui citantur ex veteribus, agnosco quãdam esse dissimilitudinem, sed tamen ex his, si quis prudenter eliget grauissimorum autorum dicta, inueniet pleraque, quæ ostendunt hanc, quam nos sequimur, veteris Ecclesiæ, quatenus nobis nota est, communem fuisse sententiam, tametsi tu quidem homo disertus, quosdam locos nimis callidè interpretaris, & ad tuam causam torques.

Veteres cùm de resurrectione disputant, allegant cœnam, nec ineptè, meo quidem iudicio: significauit enim Christus Apostolis se resurrecturum esse, quia sui corporis κοινωνίαν instituit. Necesse enim erat, vt viueret corpus, quod nobis impartiendum erat. Quod si veteres sensissent absens corpus repræsentari, quomodò indè probarent resurrectionem? quia etiàm si non resurrexisset Christus, tamen absens corpus & consumptum repræsentari potuit, sicut in fabulis Hector repræsentatur...

Non volui, quid sentiam, dissimulare. Teque rogo, vt consideres, quantam rem, quamque periculosam, susceperis.

Et

Et post pauca. *In negotijs spiritualibus in primis periculosa est ingenij sui fiducia... Et multò plures sunt, quã putentur, qui tantùm ea amplectuntur in religione, quæ ingenijs eruere, ac comprehendere potuerunt.*

Vbi hæc nota.

* j. *Melanchthonem*, etsi hostem, idem nobiscum hîc de Eucharistiâ sentire.

* ij. *Patrum* autoritati multũ, vti oportet, deferre.

* iij. *Fiduciam* ingenij nimiam in rebus fidei damnare.

* Pythagoras in symbolis. *De Dijs, rebusque diuinis, nil tàm mirabile dicitur, quod non debeas credere.*

Plato. *Filijs Deorum absque vllâ demonstratione credendum est.*

* 9. *D. Aug.... Si quæritur ratio, non erit mirabile si exemplum, non erit singulare.*

Introibo in potentias Domini. psal.

Etiàm homini contingit facere, quod quempiam vel intellexisse potest esse mirabile.

Theodoricus Gothorum Rex ep. ad Boetium. *Artis Archimedis ardua nôsse, vsus; miracula mõstrare, propositum est. Molitur ostendere, quod obstupescant homines se inuenisse, miroque modo naturis conuersis, facti detrahit fidem, cùm ostentet & oculis vẽsionem.*

Facit aquas ex imo surgentes præcipites cadere, ignem ponderibus currere, organa extraneis vocibus insonare, & peregrinis flatibus calamos complet, vt inanima possint arte cantare.

Videmus per eam defensiones tàm nutantium ciuitatum subitò tali firmitate consurgere, vt machinamentorum auxilijs superior reddatur, qui desperatus viribus inuenitur.

Madentes fabricæ in aquâ marinâ siccantur.

Dura cùm fuerint, ingeniosa dispositione soluuntur.

Metalla mugiũt. Diomedes in ære grauius buccinatur; aneus

aueus anguis insibilat; aues simulatæ fritinniunt, & quæ nem propriam nesciunt habere, dulcedinem probantur emittere cantilenæ.

Parua de illa referimus, cui cœlum imitari fas est.

Hæc fecit, secundum solem in Archimedis sphæra decurrere.

Hæc alterum Zodiacum circulum humano consilio fabricauit.

Hæc Lunam defectu suo reparabilem artis illuminatione monstrauit, paruamque machinam grauidam mundo, cœlum gestabile, compendium rerum, speculum naturæ ad speciem ætheris indeprehensibili mobilitate volutauit.

Sic astra, quorum licèt cursum sciamus, fallentibus tamen oculis prodire non cernimus. Stans quidam in illis transitus est, & quæ velociter currere vera ratione cognoscis, se mouere non respicis.

Quale est hoc homini, etiam facere, quod vel intellexisse potest esse mirabile?

Et paulò post. *Inuiderent talibus* (horologiis sc. scolaribus) *si astra sentirent, & meatum suum fortasse deflecterent, ne tali ludibrio subiacerent...*

O artis inæstimabilis virtus, quæ dum se dicit ludere, naturæ prævalet secreta vulgare....

Mechanema in quibusdam etiam nititur superare naturam.

Hæc feciſſe dignoscitur Dædalum volare, hæc ferreum Cupidinem (adde lector, & Mahometis sepulchrum in sua Moscheâ, quam vocant) *in Dianæ templo, sine aliqua illigatione, pendere.*

Hæc hodiè facit muta cantare, insensata viuere, immobilia moueri...

Mechanicus (si fas est dicere) penè socius est naturæ, occulta reserans, manifesta conuertēs, miraculis ludens, ita pulchrè similans, vt quod cōpositum nō ambigitur, veritas æstimetur...

Quoties

Quoties exteri *non sunt credituri, quæ viderint? Quoties hanc veritatẽ lusoria somnia putabũt?* Hæc ille ibi.

Quis capere possit, quo modo faber nescio quis (vt dicebatur) ferrarius, Vrbeculę Fontium-Episcopi ciuis, homo incultus, & penè sordidus, horologium illud construxerit, quod Montibus Hannoniæ non ità pridem in domo Concordiæ, è theatro, exiguo ære pluribus diebus spectandum ostentauit, in quo per quamdam vnam fenestellam visebantur omnia penè mysteria Passionis Saluatoris, nùnc hoc, nùnc illud per iusta interualla, & ea pars inprimis mirabilis, quâ Petrus cernebatur brachium gladiumque attollere, ac mòx in caput Malchi, etiàm cum sono cadentis, remittere, & Malchum ipso ictu sternere (quæ ipse cum infinitis alijs vidi) sed & gallinaceus ipse, suo tempore atque ordine, cantare dicebatur, quod tamen non audiui? Vellem tanti artificis nomen scire, memoriæ posterorum sempiternæ his literis consecrandum.

Quis intelligat modum Horologij illius famosissimi Templi Mariani Cameracensis?

Quis nisi artifex portatilia illa & sonora horologia, vix oui magnitudine, nullis ponderibus, nullis fidibus, aut chordis adiuta?

Quis nisi artifex intelligat, vndè fiat puluis ille tormentarius, ipso tonitru sonantior, & quouis fulmine nocentior, & ferè dixi potentior?

Quis præter Archimedem sciat, quibus machinis tota mundi huius moles moueri, & aliò transferri possit, quod is se facere posse iactauit, si locùs esset, quò transferret? *Launeus lib. Theat.*

* 10. *Lactan.* lib. 1. diuin. Instit. cap. 1. *Veritas, id est, arcanum summi Dei, qui fecit omnia; ingenio, ac propriis sensibus non potest comprehendi. alioqui nihil inter Deum, hominemque distaret; si cõsilia, & dispositiones illius*

Maiestatis

Maiestatis æternæ cogitatio assequeretur humana.

Cicero apud Lactantium lib.3. diu.Instit.c.14.*Mihi non modo ad sapientiam cæci videmur; sed ad ea ipsa, quæ aliqua ex parte cerni videantur, hebetes, & obtusi.*

Si dandum est, aliquid posse sapientes, quod idiotę non comprehendant; multò magis dandum est aliquid posse Deum, quod nulli sapientes intelligant.

Lactantius lib.2.institut.diuin. c.5. *Archimedes Siculus concauo ære similitudinem mundi, ac figuram potuit machinari, in quo ità Solem, ac Lunam composuit; vt inæquales motus, & cælestibus similes, conuersionibus singulis quasi diebus efficeret: & non modo accessus solis, & recessus, vel incrementa, diminutione sq; Lunæ, verum etiam stellarum vel errantium, vel vagarum dispares cultus, orbis ille dùm vertitur, exhiberet.*

*11. *Henricus* Kornmannus in Templo Naturæ historico, tit.de Arboribus terræ, Conclusione 1. mihi pag.215. sic ad verbum. *Fecit Deus, ad ornatum & decorem Paradisi, triplex lignorum genus, secundum Isidor. & August.de ciuitate Dei, vnum ad sustentationem vitæ per nutrimentum, de quo dedit præceptum affirmatiuum, dicens Gen.2.ex omni ligno parad.comede. Aliud fuit ad probationem obedientiæ, scilicet lignum scientiæ boni & mali, de quo dedit præceptum negatiuum; dicens: De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. Comestor dicit, quod lignum scientiæ boni & mali, dictū est ex eo, quod ex eius comestione secutum est, quia senserunt statim post comestionem, malum ægritudinis, & imbecillitatis, ac rebellionis carnis contra rationem, & sic cæperunt cognoscere bonum sanitatis, firmitatis obedientiæ, ac malum infirmitatis, ægritudinis, imbecillitatis ac inobedientiæ. Tertium fuit lignum in paradiso nobilius alijs, scilicet Lignum vitæ, & hoc tripliciter,*

primò propter effectum, quia dabat se comedenti causam immortalitatis, & prohibebat causam infirmitatis. Non tamen virtute naturali purè, sed magis gratuitè propter virtutem animæ obedientis Deo, quæ erat immortalitatis causa principalis ipsius corporis secundum Thomam in scr. secund. sent. quia quoties homo fuisset infirmatus, de isto ligno sumsisset, & sanitati datus fuisset, & hoc sic continuasset, vsque dùm numerus electorũ compeltus fuisset, tùnc omnes simùl in cœlum rapti fuissent. Secundò propter situm, quia situm erat in medio paradisi, quasi pretiosius & dignius omniũ. Tertiò propter sacramentum secundum Augustinum vbi supra, vbi dicit, quod per lignum scientiæ boni & mali significatur liberum voluntatis arbitrium. Per lignum verò vitæ Christus significatur. Ezech. 31. Omne lignum paradisi non est assimilatum illi. Cant. 4. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus.

Mea opinio, salvo alterius cuiuscumque melius sentientis iudicio est, Arbor vitæ & arbor scientiæ boni & mali, erat vna arbor. Coniunctiv enim, Et, non est diuersatiua, sed copulatiua & explicatiua, pro (id est) Arbor vitæ, Et quæ etiam erat arbor scientiæ boni & mali. Vna arbor duo nomina habens diuerso respectu. Arbor vitæ, quia si non attigissent illam secundum præceptum Dei, vixissent in perpetuum. Arbor scientiæ boni & mali eo respectu, quia ex transgressione contra mandatum Dei peccabant, & noscebant ex peccato, an fecerint bonum malumúe. Ideoque dicebatur Arbor vitæ, non vt si vescerentur ex ea, viuerent, sed si abstinerent ab eâ, viuerẽt iuxta mandatum Dei. Arbor scientiæ boni & mali, dicebatur, quòd quocumque die comederint ex eâ, morerentur, scientes quid fecerint boni & mali. Et quod Deus dicit: Ecce Adamus factus nobis similis, ne attingat etiam arborem vitæ, est derisio, & admonitio peccati. Hæc ibi.

*12. Ioannes Temporarius lib. 1. demonstrat. Chronologicarum cap. [illegible] (scilicet scientiæ boni

& mali) *non alia esse censeri potest, quàm ficus Indica, visu pulcherrima, fructu magnitudine ciceris ficui simili, eximiæ suauitatis, quæ nascitur ad amnem Acesinem, in mediâ Indiâ, siue in medio Paradisi: de quâ Theophrast. lib.4. de Plant. & Strabo Geograph.15. Plinius verò lib. 12.c.5. sic eã describit. Ficus ibi exilia poma habet: ipsa se sæpe serẽs, vastis diffunditur ramis, quorũ imi adeo curuantur in terrã, vt annuo spatio infigantur, nouamq; propaginẽ sibi faciant circa parentẽ, in orbẽ, quodã opere topiario. Intra sepem eam æstiuant pastores, opacã pariter & munitã vallo arboris, decora specie subter intuẽti, proculue fornicato ambitu. Superiores eius rami in excelsũ emicãt, speciosâ multitudine, vasto matris corpore, vt 600. passus pleræque orbe colligãt: vmbra verò bina stadia operiant. Foliorũ latitudo peltæ effigiẽ Amazonicæ habet: ea causa fructũ integẽs crescere prohibet, raruscq; est, nec fabæ magnitudinẽ excedens, sed per folia solibus coctus, præduli sapore, dignus miraculo arboris: Gignitur circa Acesinẽ maximò amnẽ. Idẽ Plin. alibi proditũ docet sub vna ficu turmas equitum cõdi. Strabo scribit ramos auctos, & iam ad 12. cubitos progressos, reflecti in terram, indeq; radices agere, ac rursũ excrescẽtes trũcũ facere, è quo iterũ incremẽto simili deorsũ reflexos, altã propaginẽ in terrã demittere, & ità aliã & aliã, eodem deinceps modo: ità vt ab vna arbore ingẽs vmbraculũ fiat, tabernaculo multis columnarũ ordinibus distincto simile. Nulla arbor alia esse potest, quæ cũ historia Mosis magis quadret. In medio est paradisi, eoq; loco vbi serpentũ magna vis ex humore & calore producitur, fructũ fert dulcissimũ: nec vlla alia duos homines in medio sui abscondere potest. Tũ.n. in primo vigore fuerunt arbores integræ, nõ exesæ aut erosæ. Ac diserte Moses ait in medio arboris ambos se abscondisse, ne quisquã putaret, post arborẽ stetisse. Hæc igitur ipsa est arbor, cuius fructũ primi parentes degustarũt, è cuius foliis peltatis subligacula cosuerunt, sub cuius fornice media sese occultarũt. Nã in ipso esu apertis*

eorum oculis, nudos se conspexerunt, ideoque statim folia ficûs consuerunt, ad corpus velandum: nempè eiusdem arboris, ex quâ fructum decerpserant. Non enim nudos ad aliam arborem contra pudorem, & sine vlla ratione confugisse credendum est. Itaque ficus Indica fuit, ex cuius fructu comederunt, ex cuius foliis corpus texerunt, sub qua delituerunt in eiusdem intercolumnijs. Non potuit esse nostra ficus, cuius in medio nemo se abscondere potest, nec foliys eius asperrimis, & affrictu sanguinem elicientibus, quisquam vellet corporis tenerrimi partes cooperire, modò aliarum arborum vlla daretur. Ex quibus consentaneum esse consequimur, Adamum in Indiâ principiò collocatum fuisse, & in India consitum paradisum, inter Gangem & Acesinem: vbi primum hominum genus multiplicatum est, atque indè ad cæteras regiones progressum. Lusitani qui nostro seculo nauigationes Indicas exercent, asserunt in insula Cori (Zeilanda vocatur ab incolis, varijs frugibus, aromatis, cinanimo, gemmis, & elephantis abundans) montem præcelsum assurgere, in cuius fastigio sacellum visitur, in quo duo protoplastorū sepulcra mirâ religione coluntur.

* 12. *Dixit* Dei filius; Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus. Ergò ità est. Deus enim non tantùm verax, sed veritas ipsa.

Nullâ opus probatione. Dicamus cum Pythagoreis; *Ipse dixit*, sit pro ratione dicentis Maiestas, Veritas, ac Potestas &c.

Lactant. lib. 3. Instit. diu. cap. 1. *Tradita sunt breuiter, ac nudè, nec enim decebat aliter: vt cum Deus ad hominem loqueretur, argumentis assereret suas voces, tanquā fides ei nō haberetur: sed vt oportuit, est loquutus, quasi rerū omnium maximus Iudex; cuius est non argumētari, sed pronuntiare verū. Ipse vt Deus. nos autē, cùm &c.*

Ipse dixit, & facta sunt. Psal. *Noli altum sapere &c. Altiora te ne quæsieris.*

Lu-

Lactant. lib. 3. Instit. c. 5. *Vulgus interdum plus sapit: quia tantum, quantum opus est, sapit. A quo si quæras, vtrum sciat aliquid, an nihil; dicet se scire, quæ sciat; fatebitur se nescire, quæ nesciat.*

Idem lib. 3. c. 19. *Illos philosophos, qui naturam rerum putauerunt ingenio posse comprehendi, non excordes tantum fuisse arbitror, sed etiam impios; quod in secreta cælestis illius prouidentiæ curiosos oculos voluerint immittere. Romæ, & in plerisque vrbibus scimus esse quædam sacra, quæ aspici à viris nefas habeatur. Abstinent igitur aspectu, quibus contaminare illa non licet: & si fortè vel errore, vel casu quispiam vir aspexerit; primò pœnâ eius, deindè instauratione sacrificij expiatur. Quid his facias qui inconcessa scrutari volunt? Nimirùm multò sceleratiores, qui arcana mundi, & hoc cæleste templum profanare impijs disputationibus quærunt, quàm qui ædem Vestæ, aut Bonæ Deæ, aut Cereris intrauerint.*

Quid dicas de ijs, qui nimium scrutari volunt arcana huius mysteriosissimi Sacramenti?

Quod supra nos, nihil ad nos, aiebat Socrates. *Lact. li. 3. diu. Inst. c. 19.*

Vt picturæ quædam & poemata procùl spectari volunt, sic tanta mysteria.

Horat. in Arte. *Vt pictura, poesis. Erit, quæ si propius stes,*

Te capiat magis: & quædam, si longius abstes.
Hæc amat obscurum: volet hæc sub luce videri
Iudicis argutum quæ non formidat acumen.

* 13. *Inofficiosum* testamentum Christi fuisset, si carnem suam dare pollicitus, vmbram eius aut figuram dumtaxat dedisset.

Inofficiosum prætereà esset & internecinum, si cũ potuisset tàm clarè loqui, vt ab omnibus hæredibus intellectũ eos in summâ pace contineret, figuratè tamen obscureq; loquutus esset. Nàm tùm, his sic, istis

sic, alijs aliter intelligentibus, non tam beneficium, quàm disputationum, litium, & bellorum seminariũ contulisset, & velut pomum Discordiæ, in medium filiorum suorum proiecisset.

Sed hæc de Christo rectè cogitari non possunt. Ergò.

DOMINICA XIV. POST PENtecosten, Athi in Conuentu FF. Minorum, Guardiano tùnc R. P. F. Iac. Lescailleto, viro sanctissimo &c.

Thema *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius & hæc omnia adijcientur vobis.* Matth. 6.

Dicendum hodie mihi
1. *Quàm vtilis sit Christianis hod. Euangelij perpetua memoria.*
2. *Quot quibusque argumentis Christus dehortetur suos, à perplexâ illâ rerum necessariarum solicitudine;*
3. *Quid per regnum Dei & iustitiam eius, intelligendum; & quibus exemplis doceri possit, verum esse Quærite primum &c.* AVE.

I.

Quàm vtilis sit Christianis hod. Euangelij perpetua memoria.

Est quidem (Auditores &c.) *omnis scriptura diuinitùs inspirata vtilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitiâ: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus* (2. Timoth. 3.) sed haud satis scio, an vlla toto anno in templis legatur vtilior, & quàm magis deceat Christianorum animis esse impressam, quàm huius Dominicæ Euangelium.

* 1. *Qui à indè* auocat, & illò vocat, vndè Christianos oportet longissimè abesse, & vbi quotidiè, saltem animo, versari eos oportet; nempè ab immoderato amore & cura anxia terrenarum opum, ad amorem cœlestium.

Eo enim certè maximè differunt Christiani à Iudæis, quòd Christianorum operibus bonis ferè cælestia tantum; Iudæis verò etiàm, & vt plurimum, terrena ista promittuntur.

——*per tot discrimina rerum*
Tendimus in Latium, sedes vbi fata quietas
Ostendunt: illic fas regna resurgere Troiæ. Virgil. 1. Æneid.

Isai. 1. Si volueritis, & audieritis me, bona terra comedetis.

Deuter. 6. *Audi Israel, & obserua, vt facias quæ præcepit tibi Dominus, & benè sit tibi, & multiplicaberis amplius, sicut pollicitus est Dominus Deus patrum tuorum tibi terram lacte & melle manantem;*

In qua scilicet *flumina tùm lactis, tùm flumina nectaris ibunt.* Ouid. 1. metam.

Id est, terram adeò pinguem, & vaccæ tuæ tantùm tibi lactis sint in mulctrale daturæ, vt flumina lactea habere videri possis. Vaccas Flandriæ omnes putes.

Deutèronom. 28. *Si audieritis vocem Domini Dei &c. faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem*

cunctis gentibus, quæ versantur in terrâ ... Benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro. Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructusque iumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, & caulæ ouium tuarum. Benedicta horrea tua &c. infinita, quæ illic enumerantur: adeò multa, & merè terrena, vt vel Deum solum rerum terrenarum istarum, non etiàm cælestium, potentem fuisse putare quis possit; vel nihil cæleste pijs hominibus illius æui promittere, aut debere voluisse. Prophetæ ipsi nihil ferè etiàm præter visilia ista promittebant.

De Gentibus atque Ethnicis idem iudicium.

Nihil, aut parum admodum, de cælesti præmio bonorum; nihil aut valdè parum, de supplicijs æternis malorum audiebant populi pleriq́ue multi.

Itaque nihil mirum, si toti in ea, quæ ante pedes erant, quoq́ue in promptu haberi poterant, incumbebant, ac defixi erant. *O curuæ in terris animæ, & cælestium inanes.*

Psal. *Oculos suos statuerunt declinare in terram.*

Christianis verò semper pollicetur, aut minatur Christus æterna, tàm præmia, quàm supplicia, inuisilia, futura omnia; ferè nihil præsens ac visile; adeò vt facilè credi per errorem possit, nihil iuris in terrena ista habuisse: falsumq́ue hoc fuisse, quod iactauit: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terrâ:* verissimum verò istud, *Regnum meum non est de hoc mundo:* Quamquàm re vera, æquè est dominus omnium. *Domini est terra, & plenitudo eius.* psal.

Itaque euangelium hodiernum, quod monet, *primùm quærite regnum Dei;* Deo vni seruire; non anxiè solicitum esse cibi ac vestimenti, Christianis auribus est conuenientissimum.

Dignum patellâ operculum. Similes habent labra lactucas. prou.

*2. Quod

*2. *Quod Christus* vbique pauperes beatos prædicârit, contrà, quàm de diuitibus ac diuitijs sit loquutus; & ipsi etiàm Apostoli, virique omnes Apostolici.

Matth.5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

Iacob.2. *Nonne Deus elegit pauperes &c.*

Matth.19. *Diues difficilè intrabit in regnum cœlorum.*

Ibid. *Et iterùm dico vobis: Facilius est, Camelum per foramen acûs transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.*

Luc.6. *Væ vobis diuitibus.*

Luc.16. Diues epulo & immisericors, vt vixit? vt periit?

Illi *spinæ, diuitiæ*: illi *diuitiæ fallaces. Solicitudo sæculi istius, & fallacia diuitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur.* Matthæi 13.

1.Timoth.6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.*

Similiter scilicet Crateti loquitur Paulus: Crates enim aurum ipse suum in mare proijciens, dixit: *Ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis.* Lactant.l.3.institit.cap.22.

Idem *ingentibus relictis facultatibus, tamquàm administris vitiorum, adeoque supra corpus elatus, in aurâ claro & exaudibili præconio, velut in Olympia, per vocem illam admirabilem & vniuersis decantatam proclamauit: Cratem Thebanum Crates in libertatem asserit: quum sciret seruitutem esse, si quis facultatibus obnoxius sit.* Greg.Nazianz.tom.3.tract. de animi summissione, Castitate, ac Temperantiâ.

D.Hieronymi sensu. *Omnis diues aut iniquus, aut in-*

iniqui hæres. Hinc Christus *Mammona iniquitatis* diuitias vocat. *Luc*.16.

* 3. *Quod Christus* ipse perpetuâ paupertate voluntariâ sit delectatus, cùm esset Dominus omnium. Paupere enim matre natus est, non egenâ quidem illâ & sordidè mendicante, sed non valdè locupleto, quæ lanâ ac telâ victum ipsa quæreret, coniugem haberet fabrum; cùm posset ipse nasci ex Reginâ aliquâ vel Augustâ, vt Iuliâ Augusti filiâ &c.

Natus in alieno, etiàm in vili stabulo, cùm posset in ipso Capitolio.

2. ad Corinthios 8. *Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniàm propter vos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopiâ vos diuites essetis.*

Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.

Psal. *Etenim passer inuenit sibi domum; & turtur nidum, vbi reponat pullos suos.*

Ne dolium quidem Diogenis Christo proprium fuit.

Vir factus, in socios adsciuit homines, si non egentissimos, certè non locupletes, vt vitam multo labore sustinentes.

Et quidem electione illi hæc omnia.

Quàm contrariè illa omnia genio nostro? Deus bone?

Anima quidem nostra cuiusque, creando infunditur, & infundendo creatur à Deo (vt scholæ loquuntur:) sed si, Platonico sensu, idearum, animarumque iam pridem copiosè creatarum, in corpora humana tandem aliquandò, quasi in colonias, mittendarum, thesaurus quidam esset, & quasi promtuarium, & cuique animæ, ante eius emissionem

tem in corpus suum daretur optio; ecquibus ex parentibus, Regibus ne, an opilionibus; diuitibus, an pauperibus; aut quo loco, Romæne an Seriphi; Monibus, an Cumis, in stabulone, an in Capitolio Romano, aut Lupara Parisiensi nasci vellet: quotus quisque nostrum non eligeret potius Cræso, quàm Iro patre nasci, & in Capitolio, quàm in catabulo? Ità scilicet omnes odimus paupertatem, & illam generis patriæque humilitatem.

Cur Hecalen nullus, nulla est quæ nouerit Irum?
Nempè quod alter egens, altera pauper erat. Ouid.

Prouerbio Gallico dicitur: *Paupertatem vitium non esse; sed lepræ speciem: omnes ab ea declinare, & fugere.*

Ergò vtilissimum lectu auditúque euangelium hod. quod eò nos reuocat, quò nos Christus vocat ac destinat.

* 4 *Denique*; hoc tamen anno maximè inculcandum, quo scilicet cœli, & tempestatum quasi perturbatus ordo, tristissima omnia hominibus ac bestijs comminatur. *Præsentemque viris intentant omnia mortem.* Virg. AEneid.

Vidistis enim tota hac æstate cœlum quasi ferreum, pluuias vel nullas, vel tàm raras dedisse, vt agri & prata omnia fuerint, & adhùc sint pumice siciora, ære duriora, & penè igne ipso steriliora.

Terræ glebis torrefactis, quasi *coctilibus muris cinxisse Semiramis vrbem* Posit.

Quid? *Et mare contrahitur; siccæque est campus arenæ,*
Quod modo pontus erat. Ouidius libro 2. Metamorph.

Ima petunt pisces; nec se super æquora curui
Tollere consuetas audent delphines in auras.

Corpo-

Corpora phocarum ſummo reſupina profundo
Exanimata iacent. Idem ibid.

Non fœnum, non auenam parem ac ſufficientem equis ac bobus; ægrè frumenta hominibus paſcendis, terra ſicca produxit.

Ex quatuor equis duos à duobus (vt ſic dicam) deuorari penè oportebit, ſi duos ſeruare ſuperſtites optabit agricola.

Declinanda ſtudiosè toto hoc anno futuro Diomedis hoſpitia (vt ſic dicam) ne ſuis equis hoſpites præbeat deuorandos, coactus tanta fœni auenæque anguſtia.

Et, quod extremum malorum eſt, vix ſementi opportuna eſt tempeſtas, præ terræ aduſtione.

Pulueri; imò arenæ ſemina mandabuntur, ibi adurenda, volucribus prædæ futura, ſtantibus vt nunc rebus.

Terra iàm non terra eſt, ſed puluis, ſed arena, hùc illùc minima aura volitans. *Quid arenæ ſemina mandes?*

Non profecturis litora bobus ares? Ouid.

Seminauerit aliquis? mox volucres cæli depaſcétur inopertas fruges; vel germinare ac ſubcreſcere non dabitur humore neceſſario deſtitutis.

Itaque multis humano ſenſu iſta metientibus, facilè fuerit dicere; *quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* Matthæi 6.

Sed occurrit, & vehementer vnumquemque ſolatur Euangelii hodierni inculcatio.

Conuenit alioqui maximè eius lectio Monachis, præcipueque Franciſcanis, & Apoſtolicis viris, quos, cùm verbo Dei vacare debeant, æquũ eſt curarum anxiarum vacuos eſſe, non miniſtrare menſis, non de eſcis anxiè cogitare, ne ab officio vel penitus abſti-

neant

neant, vel nimis plenè exerceant. Sed hæc alias.

II.

Quot quibusque argumentis Christus dehortetur suos à perplexa illa rerum necessariarum solicitudine.

Ne soliciti sitis animæ vestræ, inquit, *quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini.*

Ne soliciti sitis, id est, ne anxij nimiùm.

Non enim prohibet humanam ac moderatam prouidentiam, sed anxiam, cruciantem, suffocantem verbum, & à Deo auertentem.

Labor exercendus, solicitudo autem quæ mentem perturbat, tollenda; ait Hieronymus.

* 1. *Patet*; Nam nec volatilia cæli, à quorum viuendi exemplo anxietatem illam dissuadet, sine aliqua cura sua ac operavictitant, saltem volatu, excursione, gestatione &c.

Pater quidem *cælestis pascit ea*, nec tamen in ora, ac rostra, aut nidos eorum, ipse cibos infert, sed ipsa, hùc illùc peruolitando, disquirunt &c.

Sed & regiones alias atque alias adeunt vitæ sustẽtandæ oportunas.

Quis nescit, Hirundines regiones calidiores sub hyemem petere, indè sub ver redire? Et quid sibi vult illud Cant. *Vox turturis audita est in terra nostra?*

* 2. *Subdit* enim: *Quærite primùm regnum Dei &c.* primũ, id est ante omnia & maximè; ergò secũdis curis licet cætera quærere.

Matth. 23. *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.*

D. Au-

D. Auguſt. *Cùm dicit primùm, ſignificat hoc poſtea magis quærendum, non tempore, ſed dignitate, illud enim tamquam bonum noſtrum; hoc verò, vt neceſſarium.*

Planè, vir cœleſtium primò & maximè ſolicitus, licèt poſtmodùm terrena moderatè curet; non poteſt ſi ci temporalium eſſe ſolicitus. Solènne enim eſt Theologis, quidquis à præcipuo ſuo nominare. Sicut pij nominantur cœleſtes, ſpirituales, diuini; contrà verò impij terra, caro, putredo &c.

Si igitur præcipua tua ſolicitudo de cœlo eſt, etſi nonnihil ſolicitus ſis terrenorum; verè impleshoc præceptum.

Si verò de opibus cumulandis prima & maxima tibi eſt quæſtio, vltima de ſalute animæ, violas.

*3. *Quòd* Spiritus ipſe Sanctus hortetur talem formicæ prouidentiam imitari.

Prou. 6. *Vide ad formicam, ô piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat.*

Mantuanus. *It formica breuis, ſed prouida beſtia, condit*
In brumam noua farra, cauis æſtate latebris.

Virg. 1. Georg. *populatque ingentem farris aceruum:*
Curculio, atque inopi metuens formica ſenectæ.

Idem 4. Aeneid. *Ingentem formicæ farris aceruum*
Cùm populant, hiemis memores tectoque reponunt;
It nigrum campis agmen, prædamque per herbas
Conuectant calle anguſto: pars grandia trudunt
Obnixæ frumenta humeris; pars agmina cogunt,
Caſtigantque moras: opere omnis ſemita feruet.

Horat. lib. 1. ſat. 1. *Paruula (nam exemplo eſt magni formica laboris)*

Manil.

Ore trahit, quodcumque potest: atque addit acervo
Quem struit, haud ignara ac non incauta futuri.
Manil. lib. 1. _____ *& sua quemque*
Aduigilare sibi iussit fortuna premendo.

Formicam vel idcircò quidam à ferendo simpliciter dictam ferunt, quòd nullum animal frequentius pondera conuehat, neque, si mensuram corporis respicias, minora.

Sed & planè rationale animal idcircò appellat?

Cic. lib. 3. de Nat. Deorum. *In formicâ non modò sensus, sed etiam mens, ratio, memoria.*

D. Basil. in hexam. homil. 9. *Non laborabis pro teipso ô homo? non in præsenti sæculo prædepones ac recondes requiem futuri, ad formicæ exemplum respectu habito? quæ in æstate alimentum hyemale sibi ipsi recondit, & non propterea quòd nondum adsunt hyemis molestiæ, perocium tempus transmittit, sed, diligentiâ quadam indesinente, seipsum ad laborem intendit, donec sufficiens alimentum in penum reposuerit. & neque hoc segniter ac negligenter, sed sapienti quadam versutiâ excogitans, quo ipsum alimentum quàm diutissimè perseueret. suis enim vngulis medios fructus dissecat, vt ne enascentes, inutiles ipsi ad alimentum reddantur. eosdem etiam siccat, vbi senserit ipsos madefactos, & non in omni tempore ad ventum exponit, sed vbi præsenserit aerem in serena constitutione conseruari. Profectò non videas imbrem ex nubibus defluere, quo tempore frumentum à formicis expositum est.*

*4. Quod Christus quoque ipse aliquandò ità sibi suisque prouiderit.

Sed & in Apostolorum Actis legimus, procurata necessaria in futurum, ob imminentem famem, cùm Agabus propheta eam magnam toto orbe futuram prædixisset. *Acto.* 11.

Et loculis vsum ferũt Dominum Iesum, sed quos tamen Iudas gestaret, non ipse.

Ioan. 12. *Iudas fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur portabat.* Vbi Græcus codex distinctius habet, nempè iniecta seu intromissa, id est, quæ reseruanda & reponenda erant, ipse cõseruabat; nõ autem significat, quæ mittebantur Christo, ipse portabat, vt latinum verbum significare videtur. Græcè τὰ βαλλόμενα, quod Arias Montanus reddidit per (*iniecta.*) Biblia Sebastiani Honorati Lugd. per (*quæ intromittebantur.*)

Ioan. 13. *Quidam putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixisset ei Iesus: Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum: aut egenis vt aliquid daret.*

Lucæ 8. Legimus quasdam mulieres è Galilæa, de facultatibus suis Christo ministrâsse.

Et indè quoque apparet loculos Christum habuisse, quòd aliquandò cupiens turbæ famelicæ prouideri, dixerit Philippo; *Vndè ememus panes, vt manducent hi?* quo verbo subindicat, non tam defuisse suis nummos, quibus emerent panes, quàm panes qui emerentur, aut pistores in vicinià, qui venderent.

Toletus comment. in 12. Ioannis, loculos Christi agnoscit his verbis. *Attende Dominum eleemosynas accepisse, & pecunias habuisse, vt necessaria emeret. Quandoquidem enim cum discipulis incedebat multis, ne grauis, & onerosus esset hospitibus, hinc indè collata in expensas quotidianas asseruabat, hancque curam Iudæ demandarat, quam ille infidelissimè gerebat.*

V. Beda lib. 4. cap. 54. in Luc. 12. *Non hoc præceptum esse putandum est, vt nihil pecuniæ reseruetur à sanctis, vel suis scilicet, vel pauperum vsibus suggerendæ: (cùm & ipse Dominus, cui ministrabant Angeli, tamen, ad informandam Ecclesiam suam, loculos habuisse legatur, & à fidelibus oblata conseruans, & suorum necessita-*

sitatibus, alijsque indigentibus tribuens) sed ne Deo propter ista seruiatur, & ob inopiam timorem iustitia deseratur.

D. Anselmus in caput 6. Matth. *Quòd prouidentiam nobis non negat, ipse ostendit, qui loculos, quibus se & discipulos pasceret, habuit, & Iudæ tradidit.*

Nicol. Papa III. artic. 2. declarat. Reg. Fratrum Minorum. *Interdùm dicitur, Christum loculos habuisse. Nàm sic ipse Christus, cuius perfecta sunt opera, in suis actibus viam perfectionis exercuit, quòd interdùm infirmorum imperfectionibus condescendens, & viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas semitas non damnaret. Sic infirmorum personam Christus accepit in loculis &c.*

Sed & Deus ipse manna Iudæis ministrans in deserto, saltem feriâ 6. duplicem portionem, quæ colligeretur tàm in eum, quàm crastinum diem sabbati, quo colligere non licebat, prouidenter trãsmittebat.

* 5. *Quòd alioqui* miraculis ferè perpetuis opus esset. Si enim nemo quidquam adseruaret, nemo araret, nemo sereret, omnes æquè prouidentiæ Dei, vt Franciscani, inniterentur, essent à Deo singulis momentis creandæ fruges, panes multiplicandi, aut impastihomines maiore miraculo sustentandi.

* 7. *Quòd Græcè* sit μὴ μεριμνᾶτε, id est, *ne anxiemini*, & quasi discruciemini; non verò, ne cogitate de cibo aut potu &c.

* 7. *Quòd Euchitæ* nescio qui, hæretici censentur, quòd dicerent, non licere sustentandæ vitæ causâ, operari. D. *Augustin. de Hæret. cap.* 57.

Non solicitudine spirituali, sed labore corporali acquirendus panis, ait Chrysostomus.

Cum numine dextra mouenda. prou.

Dij laborantes adiuuant.

Dij laboribus omnia vendunt.

Volucres quidem cœli pascit Deus sine cura, non autem omninò sine opera ipsarum, ac labore.

2. Timoth. 3. *Si quis non vult operari, nec manducet.*

Ibid. *Cum silentio operantes, panem suum manducēt.*

Psal. *Labores manuum tuarum quia manducabis.*

Ergò dehortatur tantùm à cura nimis timida, anxia, & perplexa, & ea, quæ à Dei cultu auocat, quæ remedium omne à se pendere putat, imò etiàm sic desperat de necessarijs, quasi Deus in summo otio versetur, rerumque humanarum supinissima negligentia, cœli sui voluptatibus immersus, aut sepultus: oblitus Iosephi in carcere relicti, dùm ei interim benè optimè est.

Iob 22. *Nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat.*

Scilicet is Superis labor est, ea cura quietos
Solicitat. Virgil. 4. Aeneid.

Epicuri errore dici, aut putari prohibet: *nihil curare Deos, nec sui, nec alieni, sed monogrammos, & nihil agentes.* Cic. 2. de nat. Deorum.

Dehortatur autē hìc Christus variè, atque ingeniosè arguendo
1. *A maiore ad minus;*
2. *A minore ad maius;*
3. *Ab impossibili;*
4. *A differentia fidei ac Religionis;*
5. *Pronuntiato.*

* 1. *A maiore* ad minus. *Nonne anima*, id est, vel vita, vel animus ipse *plus est, quàm esca?* &c.

Id est, si vobis nihil solicitis aut incurijs, cùm scilicet nondum essetis, Deus vos creauit, corpus fecit, animam ratione præditam indidit; an credi possit, iàm viuentibus, minora ista victum cultumque maximè conantibus, & iungentibus *cum numine dextras negaturus?*

Dederit tibi aliquis vestem (ità finge) & chlamydem

dem &c. an exigui pretij strophiolum, si illo egeas, non sit daturus?

Qui non petenti, imò ne somnianti quidem, dedit illa maxima sponte sua, an is iam postulanti, collaboranti, merentique minima ista sit negaturus? vt *Aquila non capit muscas*; sic nec minora ista auarè distribuit Deus.

*2. *A minore* ad maius. *Respicite volatilia cæli &c. pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?*

Item: *Considerate lilia agri, quomodo crescunt &c. Quanto magis vos modicæ fidei?*

Quasi dicat: Sapiens paterfamilias omnibus prouidet pro dignitate, &, vt sic dicam, pro cuiusq; gradu aliter, atque aliter: Filijs, & primogenitis sic; ministris, & seruis, sic; equis verò, canibus, & falconibus &c. aliter, cuique differenter: qui si prouidere cernitur studiosissimè villę suæ custodibus molossis, aut venaticis canibus, & mancipijs; meritò speratur studiosiùs prouisurus aulæ suæ ministris honoratioribus & filijs.

Sed Deo rerum omnium gubernatore, & maximæ huius familiæ patre, tot iàm seculis exercitato, nihil sapientius, nihil prouidentius, nihil æquabilius. Volucres ipsæ, & terræ flosculi, illi curæ sunt. Ergò multo magis etiàm ipsi homines.

Cic. 3. de Finib. *Mundus regitur numine Deorum, estque quasi communis vrbs & ciuitas hominum.*

Idem 1. de Diuinat. *Deorum prouidentiâ mundus administratur. Ijdemque consulunt rebus humanis: neque solum vniuersis, verumetiam singulis.*

D. August. lib. 2. Conf. cap. 11. *O tu bone Omnipotens, qui sic curas vnumquemque nostrum, velut solũ cures, & sic omnes, tamquàm singulos.*

Idem passerculos planè incuriosos, neque

ſerentes, neq; metentes, neq; recondentes, tantùm ex nidulis ſuis ad paſtum vbiuis quærendum euolantes, egregiè paſcit & inpinguat.

Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno; aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. pſal.

Dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum pſal. 146. vbi commentator non ignobilis admonet, aduertendum, pullos coruorum, cum ouo excluduntur, albos eſſe ad aliquot dies, ideoq; à parẽtibus deſeri, quaſi nothos & ſuppoſititios, donec tandem nigreſcant: itaq; ſic deſertos pullos, per illos dies ſemper oribus apertis hiare verſus cœlum, & cœli rore paſci, magnâ ſanè Dei prouidentia. *Iacobus à Valentia in pſ. 146.*

D. Gregor. lib. 30. Moral. in Iob. c. 8. *Editis pullis, vt fertur, coruus eſcam plenã præbere diſſimulat priuſquàm plumeſcendo nigreſcant; eoſque inediâ afficiantur, quoaduſq; in illis, per pennarum nigredinem, ſua ſimilitudo videatur.*

Eſt qui dicat, coruum valdè aſtorgum, vndè nec pullos curare illa diligentia, quæ in aliis auibus ſpectatur.

Sunt etiam qui exiſtiment, coruum valdè obliuioſum eſſe, & cùm diſceſſit à nido, ægrè poſſe à ſolitudinibus, quas amat, redire; naturæ tamen ductu res eiuſmodi in nidũ congerere, vndè poſsint vermes creari, quibus ſic deſerti pulli nutriantur.

Plinius autem, Ariſtoteles, Aelianus & alij referũt coruos valdè auaros eſſe, & in ſterilibus locis vix habitare binos. Itaque maturè pullos ſuos expellere è nidis, imò ex tota ſua regione, ac ſic cogi pullos à parentibus deſertos vagari, & lamentantes cibum vndecumque diſquirere.

Iob

Iob 38. *Quis præparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum, vagantes, eò quod non habeant cibum?*

Siue ergò suspicione adulterij, siue impietate, siue obliuione, siue auaritia corui parentes pullos suos non satis solicitè alant; tamen bonus Deus crocitantes pullos, quasi precantes, audit, & pascit.

Idem lilia agri &c. sic vestit, vt nec Salomon ipse Regum ditissimus (adeò vt templum Dei à se structum aureis laminis intùs totum vestiret, vti nùnc nostra dealbamus, & vulgò non pluris aurũ illo regnante, quàm saxa ipsa æstimaretur: *in omni gloria sua*, id est toto tempore, quo regnauit; siue, cum Rex creatus est, & splendidissimè inauguratus; siue cum Reginæ Sabęorum Sibyllæ hospitæ se ac suas opes ostentauit; siue, cùm vxorem duxit & nuptiis legitimis indulsit; siue, cùm insaniens tot cõcubinis simul ac Regnis vnus placere studuit, pauonis instar plumis latè explicatis, tàm gratis coloribus placuerit, quàm lilia, & minimi agrorum flosculi. Nullo non vitæ suæ die, cultus eius à florum decore superatus est.

Numquàm enim Ars, Naturæ perfectionem imitatione adsequitur. Vt pictor aliquis vuas sic coloribus exprimat, vt aues decerpturæ aduolent: vt alius orsam, aut poculũ floribus omnigenis refertum tàm scitè effingat, vt naribus admouere possis, ad olfactus voluptatem; quanto tamen Deus bone, absunt interuallo, a sponte natis in horto, aut dumeto.

Reuera quod sericum, quæ Regum purpura, quæ pictura texticum, potest floribus comparari? quid ita rubet, vt rosa? quid ita candet, vt Lilium? &c. Si ergò Salomon à floribus superatus est, qui omnibus Regibus fuit præclarior: quo modo tu vestimentis poteris vincere florum decorem? ait Hieronymus in illud, *Dico autem, quod nec Salomon &c.*

At quid sunt aut passerculi, aut lilia, aut flores quicunque hominibus comparati, seu naturam, seu gratiam spectes?

Si naturam: homo rationis est particeps, non etiàm illa.

Si gratiam; Deus homo factus est pro homine, imò & passus infanda, quin etiàm cibus eius mysticus factus est.

Lilia autem & flores quantò viliores, vtpotè vitæ vltimæ tantũ, id est vegetatiuæ participes, nihil propè præter nudum ac simplex esse obtinentes?

Nàm vel musca hoc ipso, quo viuit & sentit, vegetabilibus illis, imò tota hac mundi mole est nobilior.

Denique flores sunt momentanei; tu verò æuiternus. Vndè ait: *Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur &c.*

Psal. *Manè sicut herba transeat, floreat, induret, & arescat.*

Rubentesque rosæ primos moriuntur ad Austros, Sta. 3. Sylu.

Ergò qui his sic prouidet, non est hominem neglecturus.

Si floribus terrenis sic occurrit Deus, qui nati sunt, vt tantummodò videãtur; nunquàm homines negliget, quos sic creauit, non vt pro tempore videantur, sed vt perpetuò sint. ait Chrysost. in Matt.

* 3. *Ab impossibili. Quis autem vestrûm cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum?* ait. Optare potest mulier Itala, vt Deus eam grandi ac procera statura creet, cæterum ipsa colorem sibi, qui magis placebit, vel cerusa vel purpurisso, conciliatura; & potest quidem eadem crepidis Venereis & Venetis pedes induta, tantillo grandior apparere; at reuera grandescere, sua vi nullo modo potest.

Alienum

Alienum ac translatitium erit, non natiuum, fictum, non verum, quidquid adiecerit.

Sibi potius ilia ruperit illa hoc conando, quàm perfecerit.

Tale autem est angi de victu. Vanus erit omnis conatus, Deo aduersante, aut parùm fauente.

Neque qui plantat, neq; qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.

Vt aret homo, vt serat, vt seminet; num pluuias, nũ æstus congruentes potest dare?

Imò, vt metat, vt congreget; num ab incendiis, aut prædis potest prohibere?

Multa cadunt inter calicem, supremaq; labra.

Ergò post curas & conatus moderatos, reliqua pietati ac prouidentiæ Numinis committenda.

*4. *Adifferentia* fidei & religionis. *Hæc omnia*, inquit, *gentes inquirunt. Scit enim pater vester, quià his omnibus indigetis.*

Q. d. Vt Epicurei, & reliqui eiusdem farinæ homines, vel omninò Athei, vel qui nihil curare Deos rerũ humanarum putant, tolerabiliter sui ipsorum curam gerant, à Superis scil. neglecti, vt opinantur; certè intolerabile est vos, & Christianos, qui profitentur Deum esse aliquem, *qui regit, qui gubernat, qui cursum astrorum, qui mutationes temporum, rerum vicissitudines ordinesque conseruat, terras & maria contemplans, hominum commoda vitasque tuetur* (vt loquitur Cic. lib. 1. de Nat. Deor.) sic de victu angi, quasi à Deo omninò negligantur.

Quemadmodum puerulus securè & in vtramque aurem dormit, nihil anxius, quid serus vesper vehat; quid crastino induat, aut comedat, pro quo scilicet vterque parens insomnes ducit noctes, ne quid ei desit; sic ferè Christianos agere oporteat, quorum solicitissimus est Deus suus.

Omnis in Ascanio cari stat cura parentis. Virg. 1. AEneid.

In manibus meis descripsi te.

Si non meminero tui, obliuioni detur dextera mea. Psal.

1. Petr. 5. *Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.*

Vt damnatur monachi proprietas ac sui solicitudo, quem Abbas suus summa fide ac cura nutrit ac vestit &c. sic damnãda anxietas Christianorum, quorum Deus curator est prouidentissimus.

* 5. *Pronuntiatio. Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.*

Eccl. 2. *Respicite filij nationes hominum, & scitote quià nullus sperauit in Domino, & confusus est, permansit in mandatis eius, & derelictus est.*

Psal. *Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia.*

Psal. *Escam dedit timentibus se.*

Psal. *Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem,* seu egens pane.

Psal. *Generatio rectorum benedicetur. Gloria & diuitiæ in domo eius.*

V. Beda lib. 4. c. 54. in Luc. 12. *Nolite timere, ne propter regnum Dei militantibus huius vitæ necessaria desint.*

Vt corui pullis iàm plumescentibus, & sibi iàm factis concoloribus pastum administrant; ità planè nobis similitudinem quandam Dei induentibus vitâ & virtutibus, aderit ipse Deus & pascet vberrimè.

III.

III.

Quid per regnum Dei, & iustitiam eius, intelligendum; & quibus exemplis doceri possit verum illud esse; Quærite primùm &c.

Notandum autẽ regnũ Dei multiplex esse;

1. *Cœlum ipsum, ac sedem beatorum;*
2. *Ecclesiam militantem;*
3. *Scripturam sanctam;*
4. *Animam iusti, & viuentis ex præscripto legis Dei;*
5. *Tempus aduentûs Christi per carnem.*
6. *Opera pia, gratiam Dei iustificantem, Dei in animam plenam potestatem.*

* 1. *Cœlum ipsum*, ac sedem beatorum; Elysios campos, & Insulas fortunatas vocare possis, vbi lætissima visio est, ac certa fruitio ipsius Dei; vbi è seruis olim suis fidelibus reges creat Deus, & beat.

Et iste est primò primus conceptus omnium, audientium nominari regnum Dei, aut Christi. *Regni eius non erit finis.* Luc. 1.

Regnum tuum, regnum omnium sæculorum. psal. 144. Matth. 6. *Adueniat regnum tuum.* Vide Cyprianum in orat. Dominicam.

Memento mei, cùm veneris in regnum tuum.

* 2. *Ecclesiam militantem*, quod regnum assumpsit Christus in cruce, in eoque inuisibiliter regnat.

Fecisti nos Deo nostro regnum.

In eo regno bibit Christus vinum nouum.

Ibidem sunt prudentes, fatuæque virgines. *Matth. 25.*

De regno illo colligunt Angeli omnia scandala. D. *Greg.*

Claues huius regni Petro collatæ. *Matt.16.*

Psal. 102. *Et regnum ipsius omnibus dominabitur.*

* 3. *Scripturam sanctam*, prædicationem Euangelij, notitiam scripturarum.

Vide Chrysostomum opere imperf. cap.23.

Appropinquauit in vos regnum Dei. Luc.10.

Matth. 21. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.*

Marci 12. *Non longè es à regno Dei.*

Pauperum spiritu, & paruulorum est hoc regnum Dei, id est, intelligentia, censore Christo.

Matth. 23 *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia clauditis regnum cœlorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.*

Verbum certè Dei, sceptrum quasi quoddam est, quo Deus credentium corda regit, & regnat.

* 4. *Animam iusti*, & viuentis ex præscripto legis Dei.

Regnare enim ibi dicitur quilibet, vbi nutu eius omnia geruntur. Hinc Cicero rex *fori* dictus.

Luc. 17. *Non venit regnum Dei cum obseruatione, neque dicet: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.*

Matth. 6. *Adueniat regnum tuum.* Cæterum Greg. Nyssenus legit apud Lucam 11. *Adueniat Spiritus S. tuus, qui sanctificet nos.*

Hoc regno magis delectatur Deus, quàm totius mundi possessione, imò cœli ipsius empyrei habitatione.

Nam Regibus cordatioribus vix tanti est vrbibus, arcibus, muris & corporibus ciuium dominari, si nó etiam in animis & pectoribus suorum per amorem ac beneuolentiam regnent.

* 5. *Tem-*

*5. *Tempus aduentus* Christi per carnem.

Matth. 12. *Si in digito Dei eijcio dæmonia, peruenit in vos regnum Dei.*

Luc. 23. *Ioseph Decurio ab Arimathæâ ciuitate Iudææ, expectabat & ipse regnum Dei.*

* 6. *Opera pia &c.*

Tùm enim verè regnat Deus in homine, cùm *non regnat peccatum in* eius *mortali corpore*; cùm gratiæ iustificantis ductu impulsuque iusta adpetuntur, cõtraria euitantur &c.

Abbas Moyses sic apud Cassianum. *Expulso Diabolo, ac nequaquàm in anima iàm regnantibus vitijs, consequenter regnum Dei fundatur, dicente Euangelista: Regnum Dei non veniet cum obseruatione &c. quia regnum Dei intra vos est. Intra nos verò nihil aliud esse potest, quàm scientia, aut ignoratio veritatis; & vel vitiorum amicitia, vel virtutũ, per quæ aut diabolo, aut Christo regnum paramus in corde.* Ioan. Cass. collat. 1. Abb. Moysi c. 13.

Rom. 14. *Non est regnum Dei esca & potus: sed Iustitia, & Pax, & Gaudium in Spiritu Sancto; qui enim in hoc seruit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus.*

Quærite ergò *regnũ Dei*, id est, amate virtutes, operibus pijs studete, diabolo excluso, in vobis regnet Deꝰ; omnia ex legis diuinę præscripto facite; erudimini in lege Domini, vel versando, & diurna nocturnaq; manu sacros libros euoluendo, vel conciones sacras frequentando; in numerum ciuium Ecclesiæ meæ vos adsciscsi procurãdo, tempus Incarnationis meæ vestigando, agnoscẽdo, confitendo; cœlestem beatitudinem adpetendo, dignis operibus ambiendo &c.

Et iustitiam eius, vel regni, vel Regis ipsius. Si *Regni* Dei *iustitiam* dicit; intelligit iustitiam Euangelij & Ecclesiæ, quæ animum etiàm reformat, non tantùm manum, vt iustitia Synagogæ, &

Scri-

Scribarum & Pharisæorum. Si autem iustitiam Dei; hortatur ad diuinarum perfectionum imitationem.

Benè etiàm iustitiam Regis dicit, quià nec Reges, nec regna rectè dicuntur sine iustitia, potiùs D. Augustini sensu, *magna latrocinia. D. August. lib. 4. ciuit. Dei c.* 4

Hinc sapienter olim ab AEgyptijs, sui Reges omnes, Pharaones sunt adpellati. Pharao enim vindex malorum iudex dictus, cuius intererat punire sontes. Syriacè Pharao, idem quod vindicans, vt scilicet audito nomine suo, mòx iustitiæ in improbos exercendæ Reges admonerentur.

Quærite ergò *iustitiam eius*, id est, imitamini & cõsectamini eius æquitatem maximè in culpis vestris ipsorum seuerè multandis.

Græcè est δικαιοσύνην, quod Arias Montanus vertit, *iustificationem*, id est, remissionem peccatorum, gratiæ plenitudinem, sanctitatem perfectam. Vni gratiæ Dei studete acquirendæ, & conseruandæ.

Et hæc omnia adijcientur vobis.

* *Pulcrè* ait *adijcientur*, vt ostendat, temporalia ista apud Deum esse tàm vilia, vt ea non largiatur tãquàm solida dona aut veram substantiam; sed tamquàm additamenta, & quasi accidentia, aut accessoria.

* *Deindè*; vt ostendat ea affatim obuentura, diuinitùs, humanitùs; per ostium, per feneſtras, colentibus ex animo Deum; creaturis scilicet quasi omnibus illis ministrantibus, & ad pedes eorum omnia bona quasi cuiuis diripienda iacientibus.

Et coniurati venient ad prælia venti. Claudianus.

In iustos, quasi in scopum suum, cœlum, terra, animata, inanimata intendent, & velut tela suorum effectuum dirigent, vt prosint, quemadmodum contrà

pugnat

pugnat pro eo orbis terrarum contra inferfatos.

Gazophylacij instar erit iustus, vt in quem creaturæ omnes dona sua,& operas liberalissimè conferent. Pandoram vocare possis,iusti domum, omnibus Dei donis locupletatam.

Qui manu in manum Iusto dare non poterit,in eũ proijciet.

Græcè est παρατεθήσονται id est, apponentur, & ministrabuntur. Quasi dicat; Mirabimini, mensas vestras cibo opportuno, vt famosissimam illam Solis mensam oneratas; horrea frumento,torcularia vino redundantia; vestiaria, tunicis necessarijs referta, vt ferè accidit Monachis, in monasteriis ad regulam viuentibus.Ibi enim Monachi, postquàm vni Deo in Templo ritè vacauerunt;in Refectorio, mensam stratam,& cibos vbertim appositos inueniũt;in Dormitorio & cellulis,vestes,subuculas,strophiola; in Hypocausto & Calefactorio,luculentos ignes; cæteris locis, cætera id genus vitæ suæ necessaria.

Iacta cogitatũ tũ in Domino,& ipse te enutriet. psa.

Non priuabit bonis eos,qui ambulant in innocẽtia. ps.

Generatio rectorum benedicetur. Gloria & diuitiæ in domo eius. psal.

Vt Imperatorem decet,annonam exercitui prouidere;sic Christum necessaria militibus suis strenuis, id est probis Christianis.

Dignus est operarius mercede sua.

Non claudes os boui trituranti.

Fallor? an fallo?Neutrum.

Nàm sic Christo,post ieiunium quadragesimale,& tentatorem ter victum, Angeli tandem accedentes ministrarunt.*Matth.*4.

Sic Israelitis in deserto, quadraginta totos annos quotidiè pluit Deus manna ad manducandum, panẽ Angelorum,habentem in se omnem saporis suauitatem

tem, ficto illo mendacium poetarum nectare aut ambrosia multò iucundiorem. *Non laborabat populus, & manducabat.*

Sic Elię Iesabelem fugitanti subcinericium panem Angelus, imò & coruus, cibos ex coquina ipsius Regis (vt quidam volunt) furtim subtractos adtulêre.

Sic Danieli in lacu leonum posito, iàm fame morienti, & in escam leonibus propinato, promisum opportunè. Abacuc. n. cum esculentis illis & poculentis, quæ alioqui messoribus ferebat, in aere pendulus ex capillo, ab Angelo in Babylonem, ex alio penè orbe, est importatus, illos suos cibos interuersos illi famelico præbiturus.

Sic D. Paulo, non Apostolo, sed illi Eremitarum auctori & antesignano, sexaginta totis annis quotidiè dimidij panis fragmentum coruus adtulit; D. autem Antonio nonagenario illum Dei admonitu inuisente, Christus panem integrum, quasi duplicatam militibus suis annonam, eiusdem corui ministerio largitus est. *Breu. Rom. 15. Ianuarij, ex D. Hieronymo. tom. 1.*

Ioan. 2. In nuptiis, *gustauit architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat vndè esset.*

Bone Deus, quoties D. Francisco Legislatori nostro, eiusq; sacro Ordini similia contigerunt, imò & quotidiè contingunt.

D. Bonauent. c. 5. vitæ eius. *Apud eremum S. Vrbani, seruo Dei* (Francisco) *ægritudine grauissima laborante, cùm ipse naturæ defectum sentiens vini poculum postulasset, nihilque de vino, quod sibi dari posset, responderetur adesse, iussit aquam afferri, & allatam signo crucis edito benedixit. Mox vinum efficitur optimum, quod fuerat aqua pura; & quod deserti loci paupertas non potuit, viri sancti puritas impetrauit. Ad eiusque gustum magna protinus facilitate conualuit*

Cùm B. Didacus ægrotorum fratrum Romæ curam gereret;

reret; in publica inopia, apud Christi pauperes omnia abundabant (canere solemus in festo S. illius Franciscani Laici) Nicolao V. scilicet tùnc Pōtifice. Didaci enim tunc in Conuentu Aræ-Cœli degentis sanctitati hoc tributum est, quo tempore vrbs grauibus morbis, & annonæ penuria laboraret. *Officium Ord. Minorum.*

Mirabile planè, & posteris bonæ huius spei magnum incentiuum est, quod de D. Francisco narrat D. Bonauentura his verbis: *Accidit*, inquit, *vt infirmitate grauatus Domini seruus in loco Nocerię, reduceretur Assisium, per solemnes nūtios, ad hoc Assisinatis populi deuotione transmissos. Qui Christi famulum deducentes, ad villam quamdam deuenerunt pauperculam, nomine Sarthianum: vbi cùm fames & hora cibum expeterent, euntes & nihil inuenientes vænale, vacui redierunt. Ad quos vir sanctus: Ideò nihil inueniſtis, quià plus in muscis vestris, quàm in Domino confiditis* (*muscas nempè denarios vocauit:*) *sed reuertimini, ait, per domos, quas circuistis, & amorem Dei offerentes pro pretio, humiliter eleemosynam postulate. Nec falsâ id æstimatione verecundum putetis aut vile, quoniàm vniuersa in eleemosynàm post peccatum, dignis, & indignis, Eleemosynarius ille magnus largiſluâ pietate concesſit. Deponunt erubescentiam milites, & eleemosynam sponte petentes, plura pro Dei amore, quàm denariis emunt. Siquidem diuino nutu, corde compuncti pauperes incolæ, non solùm sua, sed & seipsos liberaliter obtulerunt. Sicque factum est, vt inopiam, quam pecunia releuare non poterat, Franciſci pauperies opulenta suppleret.* D. Bonauentur. c. 7. §. 9. vitæ eius, edit. P. Sedulii, amici nostri cum primis optimi, iàm tertium Ministri Prouincialis.

Ità est omninò, *qui terrenis affectibus, siue possessionibus pro Christi discipulatu renunciauerit, quò*

plus

plus in eius amorem profecerit, eò plures inueniet, qui se interno suscipere affectu, & suis gaudeat sustentare substantijs. Venerab. Beda homil. in Natali Sancti Benedicti.

Et profectò quotidiè experimur Franciscani, ea monasteria necessariis abundare, quæ obseruantiæ regularis sunt studiosissima, vt Obseruantinorum, vt Capucinorum, vt Recollectorum &c. ea verò, quæ à regula longiùs deflectunt, sæpè laborare rerum angustiis, vixq; multa prouidentiâ, & laboribus improbis illa obtinere.

Quid? Vel Agar ancillæ Abrahami fugitiuæ, eiusque paruulo Ismaheli insolentissimo, siti iàm iàm in deserto morituris prouidit Angelus Dei, puteo ostentato. *Genes.* 21.

Nisi ita esset, non esset Deus, neq; bonus Pater, neque clemens Dominus. Patrem misericordiarum decet misereri miserorum, maximè in animas suas misericordium, pericula gehennæ, per reformationem vitæ, declinantium.

Boni Patris est filios
1. *Alere;*
2. *Erudire;*
3. *Castigare.*

Si vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris &c.

Quis Dominus adeò immitis, vt seruum vllum suum impastum, aut nudum sibi seruire velit? *Dignus est operarius mercede sua.*

Ne Agricolæ quidem gratis, à bobus aut equis suis, aratra sua trahi permittunt.

Non claudes os boui trituranti.

Mercènariis suis messoribus, etiàm vltra pacta stipendia, messe peracta, epulũ solenne instituunt, quod Gallum gallinaceum comedere, rustici nostrates vocant.

Sed

Sed & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum.

Venatores quoque ipsi quamlibet durum à stirpe genus, tamen cum ferâ afflictâ aut stratâ, canunt receptui, chorum simonum silonumque suorum inclamant, viscerationeque extemporali excipiunt, quæ sic debetur canibus venaticis, vt libamentum capturæ accipitribus in aucupio volucri: Has enim primitias peculiares placita maiorum vtrisque largiuntur; nimirùm, vt in capite feræ aut volucris captæ lacerando, & obrodendo, fructum nauatæ operæ percipiant, imposterumque iritentur, cùm interim viscerator, gratulabunda voce, fruentibus parte sua canibus blandiatur, & tamquam mactos virtute industriaque esse iubeat.

Epulum autem caninum fieri hoc modo solemne est (ait Budæus l. 2. de Philologia.) *Venatores intra tergus ferinum panis fragmenta sanguine feræ madentia, miscent cum omaso, in minutas particulas conciso.*

Nonnunquam præterea, si canes strigosi sint, & macie exhausti, aut si strenuam insignitè operam eo die nauauerint, liberalitatis est venatoriæ, opiparis eos impensiùs epulis accipere, ceruicem extis addentes, & nonnihil, vt ita dicam, è viuo resecare &c.

Priore porrò epulo peracto, fit & alterum eodem momento, sed non eodem loco: ex interaneis perpurgatis & dilutis (sunt enim hæc, quoque Dianæ sacra eiusque satellitio) non concisis frustillatim aut prosectis, sed integris: ità vt cùm aliquamdiu illa viscerator sublimia tenuerit & ostentarit, ad iritandam edacis agminis voracitatem, tùm ea demùm repentè in medium porricit.

Imò, ne Domicella quidem triobolaris, & Hecale pauperior, suum melitæum seruire (vt vocant) aut pedibus gesticulari, & quasi filia

ducere, aut panis offam humi iacentem tantisper intactam custodire iusserit, aut viderit, quin mòx ei buccellam carnis cut panis, vanæ opellæ prætium, proijciat.

Et verè prouerbio nostrate dicitur; *Eum bonum expectare stipendium, qui bono Domino seruit.* (gall. *Qui sert bon maistre, adtend bon loyer.*) Seu bonum interpreteris clementem aut humanum, seu potentè & opulentum.

At quis Deo & Domino nostro vtrimque comparandus? Ille est, quem etiàm Ethnici passim vocant Optimum Maximum.

D. Leo serm. 2. de Natiuit. Dom. *Deus omnipotēs & clemens, cuius natura bonitas; cuius voluntas, potentia; cuius opus, misericordia est.* Ergò omnia bona ab illo speranda ritè eum colentibus.

Benè sperādi de Deo omnes adsunt causæ;

1. *Debitum* ex pacto, & iure paternitatis, seu creationis; *Conditor est.*
2. *Scientia* nostræ egestatis; *Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis.*
3. *Potestas* succurrendi; *Deus est.*
4. *Voluntas* propensissima. *Pater est.*

Scit enim Pater. Dùm Patrem audis, ne dubites de voluntate. Dùm Patrem Deum cogitas, ne dubita de Scientia necessitatis tuæ, & potestate succurrendi.

Quis enim dubitet, eum, si debet, si scit, si potest, & si vult, suis cumulatissimè opitulaturum?

Quærite ergò primùm regnum Dei &c. & hæc omnia adijcientur vobis, quasi ex copiæ cornu.

psal.

Psal. *Nihil deest timentibus eum.*

Imò, quàm multi expositi feris, & inclementiæ maris obiecti, diuina prouidentia seruati nutritiq; ab ignotis, imò & ab ipsis nonnunquam bestijs, ijsq; natura feris, & rapacibus?

Quis nescit, Romulum Remumque geminos, ab Amulio in Tyberim abijci iussos, à Faustulo regij pecoris magistro inuentos, & Laurentiæ vxori traditos educandos? quæ, quòd vulgato corpore quæstum faceret ideoque lupa inter pastores vocaretur, fecit locum fabulæ, quæ Romulum & Remum à lupa bestia dicit alitos fuisse?

Liuius lib. 1. deca. 1. *Tenet fama, cum fluitantem alueum quo expositi erant pueri, tenuis in sicco aqua destituisset, lupam sitientem ex montibus qui circa sunt, ad puerilem vagitum cursum flexisse, eam summissas infantibus adeò mitem præbuisse mammas, vt lingua lambentem pueros magister regij pecoris inuenerit &.*

Ouid. lib. 2. Fast. *Venit ad expositos (mirum) lupa fœta gemellos*
Quis credat, pueris non nocuisse feram?
Non nocuisse parum est; prodest quoque: quos lupa nutrit,
Perdere cognatæ sustinuêre manus.
Constitit, & cauda teneris blanditur alumnis,
Et lingit lingua corpora bina sua.
Marte satos scires: timor abfuit: vbera ducunt,
Nec sibi promissa lactis aluntur ope.

AElianus lib. 12. var. hist. c. 42. *Cyrum Mandalæ filium, à cane fuisse enutritum fama refert. Telephum, Agaues & Herculis filium, à cerua: Peliam Neptuni & Tyrus filium, ab equa. Sed & Alopes Priamique filium Alexandrum, ferunt à vulpe educatum esse: Aegy-*

ſtum verò Thyeſtæ & Pelopiæ filium à caprâ.

Pindarum etiàm, cùm è patriâ domo fuiſſet expoſitus, aluerunt apes, pro lacte mella præbentes. *Idē AElian. lib. 12. cap. 45.*

Vt non ſit mirum, Oedipodi Laij Thebanorum Regis filio, pedibus aut gladio, aut calido ferro, perforatis, vimine ad arborem ſuſpenſo, Phorbantem Polybij Corinthiorum Regis paſtorem diuinitùs prouiſum liberatorem, à quo ad Meropen Polybij Regis vxorē liberis carentem ſit delatus, & pro magno munere datus, quę eum vnà cum viro, tamquàm filium cœlitùs miſſum, materna charitate ſuſcepit, & à pedum tumore Oedipodem nominauit.

Ne dicam, quòd Moyſen trimeſtrem, vrgente regio edicto, expoſitum, Deo ità prouidente *ſuſtulit filia Pharaonis, & nutriuit eum ſibi in filium* (Act. 7.) neque id tantum, ſed & eius ipſius matri alendum ignoranter dedit, & quidem mercedem pacta; his verbis: *Accipe puerum iſtum, & nutri mihi: ego dabo tibi mercedem tuam.* Exod. 2. O paternam Dei prouidentiam?

Vt taceam quoque xenodochia repertis paruulis alendis erecta.

An non eiuſmodi pueruli meritò vſurpare potuerint illud pſalmiſtæ: *In te proiectus ſum ex vtero?*

Et: *Quoniàm pater meus, & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem aſſumpſit me?* pſal.

Quid? etiàm oua à Cuculo aue illâ temporariâ, excludendorum & fortè etiàm alendorum pullorum impotente, in nidos aliarum auium vel palumbæ, vel alaudę, vel luteolæ, vel currucę furtim illata, curat Deus ab alijs illis auibus foueri, vt pulli excludantur; pullos verò tantâ caritate nutriri, vt legitimi propè negligantur, nidis maturè eijciantur.

Quid igitur *timuit* ſumus *modicæ fidei?*

Iacta

Iacta, iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet. psal.

Habenti Dominum nihil deerit, si Deo ipse non desit. Cyprian. in orat. Dom.

Tob. 4. Multa bona habebimus, si timuerimus Deum, ait Tobias ad filium.

Paleæ & Micæ.

*1. *In Sabinensi* diœcesi vetula quædam octogenaria erat, cuius filia moriens lactentem infantulum dereliquit. Cùm igitur anus paupercula plena esset inopiâ, & vacua lacte, nullaque esset mulier, quæ sitienti paruulo lactis stillicidium, iuxta quod exigebat necessitas, erogaret: quò se verteret vetula penitus ignorabat. Debilitato verò infantulo, nocte quadam omni humano destituta subsidio, ad B. Patris Francisci auxilium implorandum, lachrymarum imbre perfusa, tota se mente conuertit. Adfuit statim innocentis amator ætatis, *Ego*, inquiens, *sum Franciscus, ô mulier, quem cum tantis lachrymis inuocâsti. Pone*, ait, *mammas tuas in ore pueruli, quoniam abundanter tibi lac Dominus dabit.* Impleuit anus Sancti mandatum: & statim octogenariæ mammæ lactis copiam effuderunt. *Hæc D. Bonau. in vitâ D. Francis. cap. vlt. §. 10. art. 4.*

*2. *Anno* 1572. cùm captam à Gallis Augustam Hanoniorum, seu Montem-Castrorum, Dux Albanus obsideret & quateret, & Princeps Arausionensis cum multo equitatu veniisset, obsesso illic fratri Lodouico auxiliaturus, vidi puer circiter nouennis Binchij puellulam Germanam, bimam, aut vt plurimum trimam, à Binchianis aliquot ciuibus in biga inuentam,

cùm motis castris Arausionensis parentes vel aurigæ, qui in castris illis militabant, citò detractis currui suo equis fugæ studio, eam vel deseruissent vel exposuissent; quæ, cùm vnius solius facta esset, eius scilicet, qui bigam illam procùl visam, & totam in ea prædam, quæcumque tandem inueniretur, à cæteris socijs suis certâ pecunia redemerat, nec ferè aliud præter puellulam illam in capta biga inuentum esset, & satis tenuis insuper esset fortunæ, qui eam damnosam prædam redemerat, fœlix tandem facta est, & captiuitate sua, & emptoris sui paupertate. Nàm nobilis quædam Domicella, benè Catholica & sine liberis, vitam agens cœlibem in conuentu Augustinianarum Vestalium Binchiensium, rogatu miseri emptoris & intercessione adstantium, eam adoptauit, & suam fecit, aluit, erudiuit, Catholica fide imbuit, quæ, vt credibile est, hæreticis parentibus nata erat: vt ea tandem maior natu iure vsurpare illud Themistoclis potuerit; *Perieramus, nisi perijssemus.*

Atalantę propè fontem expositæ vrsa amissis catulis superueniens lac præbuit. *Vide apud AEliaũ latè lib. 13. var. hist. cap. 1.*

* 3. *Themistocli* exilium à patria, & ad Xerxem Regem Persarum hostem suum fuga, adeò opulentum, & inter Persas potentem fecit, vt cùm iàm largiter posset, & à multis coleretur, splendido apposito quondàm cœnæ apparatu ad pueros dixerit: *Equidem perieramus, ô pueri, nisi perijssemus.* Plerique autores tradunt datas ei fuisse tres ciuitates, quarum è reditibus, panem, vinum, & opsonia, pararet, Magnesiam, Lampsacum, & Myuntem: duas ad vestem stragulam, & amictum, nimirùm Percoten & Palescepsia. *Plutarch. tom. 1. vit. in Themistocle.*

* 4. *Ne*

*4. *Ne soliciti sitis* &c. non prohiberi humanam prouidentiam.

Ioannes Cassian. Collatione 2. Abbatis Moysi de Discretione, capit. 6. *Quid dicam de illis duobus fratribus, qui habitantes vltra illam eremum Thebaidos, vbi quondam fuerat B. Antonius commoratus, minus cautâ discretione permoti, enites per extentam solitudinis vastitatem, nullam escam penitùs sumere decreuerunt, nisi quam, per semetipsum Dominus illis præstitisset? Cumque errantes eos per deserta & deficientes iàm fame conspexissent à longè Mazices quidam (quæ gens cunctis penè nationibus feris immanior atque crudelior est: non enim eos ad effusionem sanguinis, vt nonnullas gentes, desiderium prædæ, sed sola ferocitas mentis instigat) eisque contra naturam feritatis suæ cum panibus occurrissent, vnus ex eis subueniente discretione, velut à Domino sibi porrectos, cum gandio & gratiarum actione suscepit, reputans escam sibi diuinitus ministrari, nec sine Deo factum, vt hi qui semper hominum cruore gauderẽt, deficientibus iàm ac tabescentibus vitæ substantiam largirentur, alius verò recusans cibum, velut ab homine sibi oblatum, inediæ defectione consumtus est. Quorum licèt initia ex reprehensibili persuasione descenderint, vnus tamen, subueniente discretione, id quod temerè incautèque conceperat, emendasse agnoscitur: alius autem in stulta præsumptione perdurans ac penitùs discretionis ignarus, mortem, quam Dominus auertere voluit, sibiipsi conscisciuit, nequaquàm credens diuino instinctu factum, quod immitis populus, propriæ feritatis oblitus, panes eis pro gladijs obtulissent.*

In quâ vnâ historiâ, nota & prouidentiæ humanæ licitæ, imò & necessariæ, exemplum; & diuinæ, rebus suorũ desperatis misericorditer succurrẽtis, iuxta illud: *Quærite primũ, &c. & hæc omnia adijcientur vobis.*

R. Pr. F. Alfonsus à Castro lib. 2. aduersus hæreses

verbo Apostoli, hæres. 2. *Quod autem afferunt ex Euangelio Matthæi videlicet: Noliti soliciti esse in crastinum, ex hoc conuincere volentes, non licere aliquid in crastinum seruare, nullo pacto suam sententiã cõfirmat. Primò quidem (vt ait beatus Hieronymus super Matthæum) cras in sacris literis non solùm denotat diem proximè futurum post præsentem, sed omne tempus futurum. Item incertum, vt illud dicatur cras futurum, quod aliquandò eueniet, vt in Genesi dicit Iacob: Respondebit mihi cras iustitia mea, quandò placiti tempus aduenerit coram te* (Genes. 30.) *Vbi clarè patet, hoc aduerbium cras poni pro tempore futuro. Et in Samuelis phantasmate Pythonissa loquitur ad Saulem: Cras tu & filij tui mecum eritis* (1. Reg. 18.) *Nec tamen die proximo Saul & filij eius sunt defuncti, sed aliquot transactis diebus moritur Saul cum tribus filiis. Et ità iuxta hanc interpretationem posset dici, per illam literam non prohiberi seruationem pro crastinâ die, hoc est proximè sequenti, sed prouisionem pro toto tempore futuro. Secundò, & melius & clariùs respondemus, non prohiberi seruationem pro crastino, sed solicitudinem: ne scilicet adeò soliciti sint, vt solicitudo ipsa separet nos à Deo, cui seruire debemus. Hoc autem & verba ipsa sonant, & ex præcedentibus facilè colligitur. Non enim dixit, nihil seruabitis in crastinum, sed dixit: Nolite soliciti esse in crastinum. At sine solicitudine quis potest in crastinum seruare, imò cùm iàm seruârit pro crastino, solicitudo ipsa tollitur, vt non sit ei iàm cura de crastino, sed cogitet de Deo. Apostolus namque ait: Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus* (1. Timo. 6.) *Vndè Theophylactus exponens illa verba apud Matthæum, ait: Sufficit enim tibi, quòd hodierna afflictione obrueris: quòd & si pro crastino solicitus fueris, quandò vacabis Deo, semper teipsum crucians pro corporalibus. Hæc Theophylactus. Vides ille solicitudinem, & nimiam prohiberi: & non solam reseruati-*

nationem, aut rerum pro crastino detentionem. Errant ergo Pseudoapostoli dicentes: nihil in crastinum licere seruare.

Quid, quòd ipse Deus manna duplo largius pluere è cœlo solicitus erat feriâ 6. & colligi tùnc volebat, quod in crastinum & sabbatum sequens, quo feriari omninò oportebat, reseruaretur?

* 5. D. *Franciscus* Assisinas, à summo Pontifice Innocentio iussus Deũ orare, vt reuelare dignaretur, probandane & autoranda esset ipsius regula tàm arctæ paupertatis, tantæque seueritatis, an non: post orationem ità Pontificem affatus dicitur. *Cùm parabolam de diuite Rege cum muliere formosâ & paupere contrahente gratanter, & de prole suscepta proferente generantis Regis imaginem, ac per hoc educanda de mensa ipsius, sicut a Deo acceperat, retulisset; ex illius interpretatione subiunxit: Non est formidandum, quod fame pereant æterni Regis filij & hæredes, qui ad imaginem Regis Christi, per Spiritus-Sancti virtutem, de paupere matre nati, & ipsi per spiritum paupertatis sunt in religione paupercula generandi. Si enim Rex cælorum imitatoribus suis regnum promittit æternum; quanto magis illa subministrabit, quæ cõmuniter largitur bonis & malis? Hanc ergò parabolam & intellectum ipsius, Christi Vicarius cùm diligenter audisset; miratus est valdè, & indubitanter Christum loquutum in homine recognouit.* D. Bonau. c. 4. vitæ D. Franc.

IN FESTO S. FRANCISCI, LEODII, in S. Lamberti æde Cathedrali, die Dominico sub meridiem, anno 1598. 4. Octob. post solemnem Comitorum FF. Minorum Prou. Flandriæ pompam, seu processionem, Præside R. admodum Patre. P. F. Henrico VVillotio, Exministro, iàm Paduæ in Italiâ defuncto, Autoris Præceptore in Theologicis meritissimo.

Thema. *Vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terrã, neque in vllam arborem. Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui: & clamauit voce magnâ quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ & mari, dicens: Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Apoc. 7.

Tria hodiè sunt mihi difficilia (Auditores &c.)
- 1. *Expositio thematis;*
- 2. *Laudatio D. Francisci;*
- 3. *Terror à*
  - 1. *Loco,*
  - 2. *Populo.*

* 1. *Expositio* thematis sumpti ex Apocalypsi, libro adeò

adeò clauſo etiàm doctiſsimis.

Nàm *Dauus ſum* ego (vt ait ille) *non Oedipus.* Terent. in Andr.

D. Hierony. ep. ad Paul. de omnib. diu. hiſt. l. *Apoc. Ioánnis tot habet ſacramenta, quot verba. Parum dixi pro meritovoluminis laus omnis inferior eſt. In verbis ſingulis multiplices latent intelligentiæ.*

Primaſius præfat. in commentar. ſuis in Apoc. vocat eam *librum multis myſterys opacatum.*

Eſt *hortus concluſus, fons ſignatus.* Cant.

Liber iſte, liber clauſus eſt: literæ iſtæ, literæ obſignatæ ſigillis ſeptem.

Quàm rari expoſitores ſcopum verumq; ſenſũ adtigerunt; è maximis viris aliqui, qui tota Biblia fæliciter, & penè inoffenſo pede decurrerant, atq; expoſuerãt; adgreſsi Apoc. ibidem, vt ſæpè nautæ in ipſis portubus, longo iã mari emenſo, fecêre naufragium.

Nicolaus ipſe Lyranus, noſter, cognomento *Doctor Literalis*, ab integris ſcilicet Biblijs literaliter sũmâ facilitate ac fęlicitate expoſitis ità dictus (de quo adhùc Theolog. tyro illud audiebã, parùm quidẽ elegãs, ſed tamẽ valdè glorioſum, prouerb. *Si Lyra nõ lyraſſet, Eccleſia in Biblia non ſaltáſſet*, id eſt, niſi Lyranus noſter cõmentarijs ſuis totũ corpus ſacrorũ Bibliorũ illuſtrâſſet, non tanta facilitate Theolog. cãdidati in Bibliis verſarentur:) idem tamen cùm ad Apoc. exponendã peruenit, adeò minor ſe fuit, vt vulgò dicatur etiam à noſtris, *Lyra illic deliraſſe*, pulchrâ vtrobiq; ad cognomen viri alluſione, & collusione.

Laudes huius Lyrani ingentes, vide apud Trithemium l. de Script. Eccleſ. & apud Senenſem l. 4. Biblioth. Sanct.

Quantò ergò magis contactus Apoc. mihi formidandus, vix tyrunculo ſcilicet! *Numquid non filius Iemini ego sũ, de minima tribu Iſrael, & cognatio mea nouiſſima, inter oẽs familias de tribu Beniamin?* 1. Reg. 9.

Onus

Onus, cui vel Gigas succumbat, qui ferre pumilio cubitalis possit?

Difficultatis autem huius causa est, partim
1. *Communis*. Nam Prophetarum natura ferè talis;
2. *Priuata*. Nam modus loquendi totus in Apocalypsi parabolicus. Est autem propria parabolarum omnium, obscuritas. Vide Acad nostram tomo 1. serm. 1. pag. 21. edit. Gallicæ Paris. edit. verò Lat. Colon. pag. 15.

* 2 *Laudatio* magni illius Diui Francisci, quæ necessariò hodiè & hîc mihi dicenda, festo sc. eius die. Hâc enim in re vnâ duo timeo
1. *Ne quid minus*, aut parum;
2. *Ne quid nimis*;

* i. *Ne quid minus*, & id est ne benè affectis, & huic Diuo deuotioribus Auditoribus (cuiusmodi hic multos esse scio) qui infinita eius magnalia nôrunt minus satisfaciam, non satis multa eorum arbitratu dicendo, neque satis liberè, vtpotè dicere volentem & paratum refrenante nescio quo metu, aut pudore indè concepto, quod D. Franciscum laudans, me, aut meos, aut mea laudare videri potero, & *laus propria in proprio ore sordeat*: sitque res valdè inuidiosa eiusmodi dilaudatio.

Aliena laudat, qui genus tactat suum. Senec.

* ii. *Ne quid nimis*, id est, ne minus benè affectis erga hunc Diuum (si qui fortè adsunt) aut saltem excellentiæ illius ignaris, nimis multa, & nimis grandia dicere videar, abreptus adfectibus filiorum in patres, sicq; inuidiosum potiùs, quàm admirandum illum faciam, & Ordinem ipsum, ac me ante omnes.

Sunt enim certè, *qui nihil laudant*, sed nec laudari pati-

patiuntur, nisi quod faciunt ipsi, aut sui, aut *nisi quod se imitari posse confidant*. Cic. 2. Tusc.

..*Id arbitror*

Adprimè in vitâ esse vtile, NE QVID NIMIS. Terent. in Andr. Act. 1. Scen. 1.

Est illud Chilonis dictum, Delphici Apollinis templo ità inscriptum: NIHIL NIMIS.

*) *Terror*. Nàm (ingenuè fateor) terrent me
- 1. *Locus*, sui vastitate;
- 2. *Populus*, quà
  - 1. *Numero*;
  - 2. *Nouitate*;
  - 3. *Eruditione*.

*) *Locus*, sui vastitate. Quàm enim augustum, tàm vastum est hoc nobilissimum D. Lamberti templum, templorum aliquot aliorum capax scilicet.

Non tàm ædes est, quàm arx, aut ciuitas.

Vix poterit (vereor) exilis huius corpusculi mei vocula illud ità implere, vt me omnes circumfusi intelligãt, tàm qui chorum ipsum (quem vocant) quàm qui nauim confertim complent ac sacella.

Timeo ne multis accidat gestus quidem meos visuris, verba autem non intellecturis, suspicari me histrionem aut circulatorem. Nam etsi aptæ actioni vtcumque studuimus iâm olim; non tamen tanti æstimus, vt, Roscij instar, speremus ex gestibus nostris solis, sine verbis, à quoquam intelligi, capiqúe nos posse.

Audiri me tàm cupio ab omnibus, quàm videri.

Stentoris illius prisci, Græcorum vocalissimi, qui quinquaginta hominum clamorem vocis magnitudine adæquabat (vt Homero placet Iliados 5.) aut Neronis vocẽ, & fortia illa Præconum ac Tragædorum latera, optare quidem hic iure meo hùc possum; facere verò vt habeam, non possum, nisi Deus det.

Dabit

Dabit (ſpero) *Deus* mihi *voci ſuæ vocem virtutis*; aut certè quanta ſatis erit, ſi non merito meo, certè ſerui ſui Franciſci, & precum veſtrarum.

*ij. *Populus*, quà

* 1. *Numero.* Nàm penè immenſus eſt, ſaltem quanto nunquàm ſum vſus auditore.

Hic mihi mundus, non populus, adſtare, & ex ore meo pendere videtur. Orbis in vrbe, & orbe iſto eſt, qui me nũc coronat (laus Deo) quod vobis, mihiq́ue, fælix fauſtumque ſit.

Facilè ad ſeptem milia Auditorum adeſtis (vt famâ audio.) Etſi ergò, ô bone Deus, *populum tuum hunc, qui repertus eſt, video cum ingenti gaudio* (1. paral. 29.) tamen non ſine ingenti quoque formidine.

Nàm fere *quot capita, tot ſententiæ* de Concionatoribus.

Et volunt etiàm vel Sutores de Apellis Venere iudicare.

Et Momus in hominis pectore feneſtellam deſiderat.

Cic. lib. 1. de Nat. Deorum. *Magnum onus eſt atque munus, ſuſcipere ac profiteri, ſeſe, omnibus ſilentibus, vnum, maximis de rebus, magno in conuentu hominum audiendum. Adeſt enim ferè nemo, quin acutiùs atque acriùs vitia in dicente, quàm recta vident. Ità quicquid eſt, in quo offenditur, id etiam illa quæ laudanda ſunt, obruit ... Nec quidquam eſt tàm inſigne, nec tàm ad diuturnitatem memoriæ ſtabile, quam id, in quo deliqueris.*

Sed & *homines imperiti facilius, quod ſtultè dixeris, reprehendere, quàm, quod ſapienter tacueris, probare poſſunt.* Cicero lib. 2. de Orat.

Nàm etſi *excitat auditor ſtudium*, vt equos bellicum taratantara; tamen nimis frequens etiàm terret, ac nonnunquàm adtonitos reddit Oratores.

Adde,

Adde, strepitus à tantâ turbâ timeri, & silentij importunas interruptiones.

* 2. *Nouitate.* Semel enim dumtaxat (quod meminerim) ex hoc loco mihi dicere contigit, Dominica scilicet Quinquagesimæ anni 1588. ætatis meæ circiter 26. quo ipso die, vix è suggesto isto egressus, tristissimum heu, de morte Patris mei nuntium accipiebam.

Heu, Genitorem omnis curæ, casusque leuamen
Amitto Anchisen. heic me, pater optime, fessum deseris. Virgil. 3. AEneid.

Terret (puto) Oratores, si non omnes, certè plerosque multos & in his meipsum, nouus insuetusque Auditor; consuetus facit securiores.

Generant noua omnia admirationem, quædam etiam stuporem; ille verò tandem euirat, & elinguat: vndè illa: *timor & hebetudo mentis venerũt super me. Turbatus sum, & non sum loquutus.* psal. 76.

* 3. *Eruditione.* Nàm hic video florem gentis Eburonum; florem tot Canonicorum; florem Ordinum omnium, tàm Mendicantium, quàm Locupletum, ac Mediorum, quos omnes magna vestra gloria & salute, vel intùs collectos, vel in vicinia habetis, & alijs plerosque multos liberaliter.

Circumstat me quoque flos Prouinciæ nostræ Flandriæ, Patres mei, Iudices mei, Censores mei, & ipsi summi Concionatores, à quibus, *quoties aliquid aut dicimus, aut loquimur, toties de nobis iudicatur.* Cic. lib. 1. de Orat.

Intrepidè scilicet audeat *ſus Mineruam?* aut *oculos cornicum configere?*

Disertulus tyro vel mutire, coram tot veteranis tàm eloquentibus? *Anser strepere inter olores?*

Vt exiguo aliquo lacu possit cymba quæpiam ludere; non tamen sine metu ac periculo Oceano se credi-

erediderit, maximè dominantibus Aquilonibus.

Quod priſcus ille ſcriptor (Lucilius opinor) de ſcriptis ſuis dicere ſolebat, *ſcribere ſe ſcilicet illa neque doctiſſimis lectoribus, quia dedignarentur; neque indoctiſſimis, quia non adſequerentur, ſed mediocriter doctis, qui illa intelligerent, laudarent, ac proficerent*; idem ego ferè de Concionibus meis ſoleo vſurpare, *non vouere me, aut valdè optare Auditores, neque doctiſſimos, neque indoctiſſimos & planè bardos, ſed mediocriter eruditos, ne ab his negligantur, ab illis faſtidiantur; ſed potius vltimos illos, vt auribus arrectis, audè vtiliterque audiantur.*

Natura, & cultura, fortaſſe ſatis diſerti iàm ſumus, vt aliquid apud mediocre auditorium, ex communi quadam hominum opinione dicere; eloquentes verò non item, neque augendi & ornandi tàm potentes, omneſque omnium rerum, quæ ad dicendum pertinent, fontes animo ac memoriâ ſic continemus, vt hac audientiâ digni ſimus.

Angustiæ ergò *mihi ſunt vndique* profectò, & quò me vertam, quemue potiùs implorem, neſcio.

Sancte Franciſce, properè veni: Pater accelera ad filium, qui premitur, & teritur ſub onere, paleâ, luto, latere &c. Ex off. Ord. Minorum.

Ità mihi nùnc adeſto, quemadmodum tibi olim Spiritu-ſanctum D. Matris-Virginis interceſſu adeſſe ſimiliter laboranti, & poſt diligens ſtudium obmutescenti coram Cardinalibus, popoſciſti, impetraſti. *D. Bonauent. c. 12. vitæ eius.*

Non ignare mali, miſero ſuccurrere diſco. Virgil.

Homo, qui in homine calamitoſo eſt miſericors, meminit ſui.

Et verò agitur ſanè hîc quoque res tua. *Gloria Patris, filius ſapiens*, diſertus, eloquens, &c.

Quàm fuerit tibi inglorium, præconem tuum delectum,

lectum, hodiè, & hic, & his Auditoribus mutescere, balbutire, delirare &c. si ità contingeț? Et continget (vereor) nisi iuueris. Iuua ergò, iuua.

Dicendum autem hodiè mihi
- 1. *Quis sensus literalis verborum thematis;*
- 2. *Quomodò verba thematis D. Francisco, Francico, & Proculo, conueniant;*
- 3. *Multùm D. Francisco, vti Angelo isti quinto, debere Ecclesiam Dei, imò & orbem vniuersum.* AVE.

I.

Quis sensus literalis verborum thematis.

Principiò statuendum est (Auditores &c.) multa in Apocalypsi de Anti-Christi tempore ac dominatu tyrannico prænuntiari.

Quamobrem & hunc locum exponunt aliqui, de tempore ipsius Anti-Christi. *Andreas Cretensis Episc. & Victorinus scriptor antiquissimus, nec non Græca Scholia.*

Item Hugo Card. in hunc locum. Dionys. Carth. Ioan. Gagneius Doctor Paris. & Franc. Ribera ibid.

Sed sunt tamen qui aliter, atque aliter exponunt Angelos istos, ipsorumque hic memorata ministeria.

Angelos enim istos quatuor, quidam volunt esse
- 1. *Angelos propriè sumptos, id est, intellectuales substantias,*
- 2. *Homines ipsos*
  - 1. *Malos isti;*
  - 2. *Bonos alij.*

* 1. *Angelos.*

* 2. *Malos*; illi scilicet qui hæc referunt in finem sæculorum, seu mundi mox ruituri decliuia, & aduē-

tum Christi vltimum ; putantque descriptâ illa Ecclesiæ persequutione, quæ sub Anti-Christi tyrannide feruebit, & expresso fidelium pauore, quem illis creabit signorum tùnc adpariturorum magnitudo, tandem hic principio capitis huius describi Dæmonum omnium exsolutorum, quasi lictorum crudelissimorum, aut ferarum fame rabidarum, ex repagulis & clathris suis, seu emissarum, seu erumpentium debacchationem, & Dæmones omnes isto vno quaternione Angelorum designari.

Sic Hugo Card. hic. Petr. Berthorius Pictau. Benedictinus lib. 7. Moralit. in textum 7. Apoc.

Cælius Pannonius.

Andr. quoque Cæsariensis Episc.

Ità, Angelos (inquiunt) ità; quòd scilicet Angeli nomen vt plurimùm poni soleat, vt nomen commune substantijs dumtaxat intellectualibus, & vt proprium ordinis earum infimi, supra quem constituatur ordo Archangelorum. *Vide Dionys. Areop. c. 5. cæleſtis Hierarch.*

Orig. hom. 2. in Matth.

Philonem 2. Alleg. & de conf. linguarum.

Malos verò Angelos fore lictores istos confirmant, partim à

1. *Consuetudine* Dei ipsius, ferè semper vtentis malorum spirituum ministerio ad nocendum; *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationē, immissiones per Angelos malos,* psal. 77.
2. *Intentione malâ* lictorum illorū, nempè impediendi verbi Dei.

Et quidem malis illis Angelis illum ipsum quoque accensere possis, qui *ascendens ab ortu solis*, cæteris grauiùs aut præcipitantiùs furere paratos sistere, ac cohibere tantisper dicitur, non affectu quidem pie-

dem pietatis, aut misertus, sed superioris potestatis metu, id est, Dei decreto ità coactus, diuini diplomatis secretioris sententiam socijs suis, alioqui omniá iam iàm vastaturis, edicere, ferè vt in bello solent Centuriones qui Ordines ducunt, summi Imperatoris, Senatûs, aut Reipub. mandata quædam sibi priuatim data, alijs opportunè publicare.

Nàm & inter illos genios malos, & spiritus nequam, ordinis quædam ratio est, vti inter latrones etiàm perditissimos. *Vide Collat. 1. Abbatis Sereni cap. 19. & secundam, cap. 16. apud Cassianum.*

Alioqui quomodò staret regnum Beelzebub?

Domus supra domum cadet.

In Cyclopum regione est illa Anarchia, & acephalia. prou. Gallico dicitur: *C'est la Cour du Roy Petauld; où chacun veult estre maistre.*

Non (inquam) socios compescit Angelus ille quintus, miserando (vt fit non rarò, militiæ, ruri, domi, inter earundem partium milites, in quibus insolentissimis licèt, aliquis tamen vnus aliquandò reperitur cæteris naturâ clementior, seuitiæ sociorum in hostes hospitesue dehortator, vel quasi temperator:) non, non: sed coactè, sed vi & imperio potentioris parendo.

Dæmones autem aptè quaternario numero significari, quà

1. *In quatuor* turmas, seu choros, genij illi mali diuiduntur, ad quatuor mundi plagas perturbãdas;
2. *Numerus quaternarius* est maximè patiens diuisionis, vti & Dæmones sunt litium ac diuisionum amantes, autores, atq; incentores;
3. *Numerus ille* non est solidus; sed superficialis tantùm; sicuti & Dæmones, cùm tentant homines, superficie tantùm & boni adparẽtis specie fallunt.

* ij. *Bonos* alij, in quibus Andreas Cæsar. Episc. & Ribera.

Ac boni quidē credi possint, quà à { 1. *Textu ipso*; 2. *Scripturæ vsu*. 3. *Operâ ab ipsis Lictoribus præstandâ*.

* 1. *Textu ipso*. Agnoscunt enim hic Angeli isti Deum suū, quē mali genij sciunt quidem omnes, sed rarò & ægerrimè, nec nisi magna vi Dominum suum confitentur. *Donec signemus seruos Dei nostri &c.* aiunt isti nostri.

Adde; Deum solere dici, bonorum dumtaxat Deum.

* 2. *Scripturæ vsu*. Ea enim perrarò, aut numquàm nomine Angeli, Dæmonem indigitat, quin aliquid continuò, aut certè in proximo addat, vndè ibi agi de malo Angelo lector intelligat.

Verbi causâ. *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius.*

Matth. 25.

Nescitis quoniàm Angelos iudicabimus? 1. Corinth. 6. De malis dici, facilè subaudis, quoniàm bonorum Angelorum non est ab hominibus iudicari. Vt enim *maior sedes ab inferiore non iudicatur*, sic nec ferè natura, nec Gratia:

Ne sutor vltra crepidam.

Cornicum oculos hoc sit *configere.*

Item Prou. 17. *Angelus autem crudelis mittetur contra eum.*

Sed Iohannes absolutè Angelos hic vocat. Ergò de bonis intelligit.

* 3. *Operâ* ab ipsis lictoribus præstandâ. Signaturi enim & illi alij quatuor Angeli dicuntur, cum bono Angelo illo quinto seruos Dei. *Nolite nocere* (ait quintus ille) *terræ & mari &c. quoadusque signemus seruos Dei &c.* quasi dicat, vos nobiscum, vel nos vobiscum,

biſcum, alioqui dicturus, vel *donec ſignem*; vel, *donec ſignentur*.

Signare autem ſeruos Dei non poterant cum bono illo genio, & quidem auertendi periculi ſtudio, niſi boni, nec niſi ſigno Dei viui adtrectato, ſiue illud Crucis, ſiue aliud eſſet, quod nequitijs ſpiritualibus geſtare nō ſatis congruè permitteretur; neque ſi permitteretur, ipſe adtrectare illud vellent, vel auderent, ſed nec alios ſignare ſigno, quod, vt ſibi fatale, perhorreſcunt.

Numquàm à Cancellario prudenter *hoſti geſtanda darentur ſigna Ducis* ſui, aut Regis &c. Ergò.

Niſi reſpondeas, fortè verbum illud (*ſignemus*) non ad illos quatuor, ſed ad comites, quos ſecū quintus adducebat, referri.

*2. *Homines* ipſos improbos quidam intelligi malunt, vt Anti-Chriſtum, Tyrannos, & totum Anti-Chriſti ſatellitium.

Actùm *tenere quatuor ventos terræ, ne ſflent*, idem fuerit, quod
- 1. *Præfocare Bonos*;
- 2. *Impedire bona*; vt
  - 1. *Curſum Euangelij quadripartiti*;
  - 2. *Quatuor prædicandi argumenta, de*
    - 1. *Vitijs*;
    - 2. *Virtutibus*;
    - 3. *Pœnâ*;
    - 4. *Gloriâ*.

*1. *Præfocare* bonos, id eſt, tàm grauiter & tamdiu affligere, vt vix reſpirare permittantur, vix mutire, vix vel ſe oſtendere; nō ſe Chriſtianos, Catholicos, Sacerdotes, Monachos &c. profiteri.

Vel eſt etiàm eos morte afficere. Nàm præfocatis, & reſpirare prohibitis, quid niſi mori reſtat?

Etiam hic *ſpiritus eſt, qui viuificat*, alternis admiſſus & emiſſus, idemque nimis diù incluſus, aut excluſus necat.

Dùm ſpiritus hos reget artus, ait ille. Virg.

* 2. *Impedire bona*; vt

* 1. *Curſum* liberum Euangelij quadripartiti, id eſt, à quatuor Euangeliſtis conſcripti, vel quadrifidæ mortis noſtræ curatiui; vel quatuor ingentium Chriſti Sacramentorum indicatiui; *Humanitatis* ſcilicet, per Matthæum, qui figurâ hominis; *Reſurrectionis*, & regni inuictiſsimi per Marcum, qui figurâ Leonis; *Sacerdotij* ſummi & æterni, per Lucam, qui figura vituli; denique *Diuinitatis*, per Iohannem, qui figura aquilæ repræſentatur.

Siſtitur autem Euãgelii curſus, his ferè obicibus oppoſitis.

1. *Legibus ac prohibitionibus*;
2. *Pœnis, ac tormentis*;
3. *Pſeudoapoſtolorum & Miniſtrorum contrariâ prædicatione*;
4. *Scandalis, & malis exemplis, quorũ eſt vis permaxima.*

Incredibile enim eſt, quàm *corrumpant exempla domeſtica, magnis*

Cùm ſubeant animos auctoribus maximè.

* ij. *Quatuor* prædicandi, ſeu dicendi ad pop. argumenta, Cõcionatoribus Catholicis cõmendatiſsima.

Omnis prædicatio Euangelica aut admonet bona; aut prohibet mala; aut comminatur ſupplicia, aut promittit præmia. D. Auguſt. lib. ſer. 19.

Concionatorum Catholicorum vſitatiſsima argumenta ſunt,: *Sacra; Fides; Virtus; Vitũm; Laus; Præmia; Pœnæ.* Anonymus. *Vide noſtrum Orbis Terrorem Conc. 1. initio.*

Venti autem dicuntur iſta, quòd vt venti Cœli, Terræque temperiem ſaluberrimam conſeruant; vacuant, & vim aquarum importunam reprimunt; denique & ſegetum, arborumque fructus & fruges omnes alunt; ſic Euangelii, & quatuor argumentorum illorũ prædicatio, temperat corruptos mores & purgat

gat; bonos conseruat; siccat nubes & fluenta luxurię; & opera bona suadendo ac nutriculando, cōgruis auget incrementis, & ad lætam messem perducit.

Euangelica lectio & concio corda variè æstuantia refrigerant, & nubes vmbrosas ac lumē solis obtenebrantes, id est, affectus prauos ad mala, quibus vel visrationis, vel gratiæ aduentus, vel vtriusque iam prę-sentis, & benè operari gestientis, congruus vsus impeditur, longè lateque dissipant.

Nàm si inordinatus quidā amor, humanus tamē, & nō simpliciter malus, quo Christū pręsentē Apostoli prosequebantur, visus est quibusdā aduentū Spiritus S. retardare potuisse (vndè & audierint: *Nisi ego abiero, Paracletus nō veniet ad vos:*) quo modo non magis noster in res terrenas aut minimè, aut nō sic amādas, imò etiàm odio aliquandò habendas, affectus vehementior?

Si hoc in viridi ligno, in arido quid fiet?
Generatio vnius, corruptio est alterius.
Alibi auctum, alibi diminutum.

Et hæc quidem maximè de quatuor illis Angelis Dei lictoribus (Auditores &c.)

Verùm enimuerò, quē nùnc tandem esse putabimus, Angelum illum quintum, de quo sequitur: *Et vidi alterum Angelum ascendentem? &c.*

Silete, & attendite: dicam sine ambagibus.

Ego Christum ipsum opinor intelligendū, tota vi, Sathanę furoribus resistentē, & Furias ac seruitia eius velut catenantē, ne lædere & grassari, pro nequitiæ, & naturalis alioqui potentiæ magnitudine, possint, id est, vt ne quidquid ipsis libet, liceat.

Hic enim serpēs; vt est tortuosissimus, & Mçādris gaudēs, *callidior* scilicet *cūctis animātibus terræ* (vt dicitur Gen. 3.) vndè & illud Christi: *Estote prudētes, sicut serpentes &c.* ità est neruosissimus, ac fortissimus.

Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, vt nullum timeret. Iob. 41.

Orig. homil. 6. in Iudicum. *Sunt istæ virtutes fortiores nobis.*

Illis comparati, muscæ sumus, & locustæ, imò formicæ.

Illi Gigantes, nos pumiliones: illi Elephantes; nos formicæ.

Illi *aquilæ alarum grandium*; nos pulli columbarũ.

Tamen Deo benè prouidente, eius quoque, vti & aliud *omne, sub regno grauiore, regnum est.* Senec. Trag.

Non ei quidquid libet, licet.

Minimum decet licere, cui plurimum libet.

Obpositum est illi *vnum contra vnum.*

Habet & hoc malum, antitheton, seu antidotum suum, se potentius, Christum ipsum dico, ne Michaelem, ne reliquos bonos genios dicam, præsidiarios nobis diuinitùs decretos.

Sed inquis, etiam Christum tu nobis Angelum adpellabis?

Omninò; non naturæ proprietate, sed ministerij similitudine.

An non Angelum dici Christum, alibi quoque legere est?

Isai. 9. *Consilij magni Angelus* indigitatur.

Malach. 3. *Angelus testamenti, quem vos vultis.*

Si quis cum Iacob, non Filium, tanquam hominem, luctatum esse (in Angeli scilicet illius colluctatoris specie) *sed Deum ingenitum, aut partem ipsius affirmârit; anathema esto*; aiũt Episcopi quidam, in Fidei formulis Sirmij expositis, præsente Imp. Constantio. *Socrates hist. Eccles. lib. 2. c. 25.*

Nam profectò si Angelus idem est quod Nuntius; an non Christus Angelus, qui Patris ad nos nuntius, & quidem nuntij omnium optimi fuit? Nuntius ipse

ipse & Nuntium?

Verè, verè Euangelicus is fuit, Euangelij & Redemptionis nostræ portitor, cui εὐαγγέλια *quæ reddam*, aut operæ præmia *nescio*. Cic. lib. 2. ep. 8. ad Atticum.

Ascendentem quoque *ab ortu solis* (vt in sequentibus dicitur) licet ostendere.

* j. *Quod à* Patre totius luminis principio, veroque oriente, lucis veræ parente emanârit, & quàm citò Pater, tàm citò Filius fuerit.

* ij. *Quod secundum* carnem, circitèr gallicinium natus ex Virgine credatur. *Dum medium silentium tenerent omnia &c.*

* iij. *Quod* vrbs, & locus, vbi natus est, ad Orientalem mundi plagam vergat.

Zach. 9. *Ecce vir, oriens nomen eius.*

Habentem etiam signum Dei viui, id est, vel

1. *Naturæ* æqualitatem, imò identitatem, cum Deo Patre;
2. *Immunitatem* ab omni peccato. *Non est homo, qui non peccet.* lib. Regg.
   Nemo bonus, nisi solus Deus. Marc. 10.
3. *Remittendorum* peccatorum potestatem. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Luc. 5.
4. *Notitiam cordium. Tu solus nôsti, corda filiorum hominum* 2. Paral. 6.
   Scrutans corda & renes, Deus. psal.
5. *Miraculorum* patrandorum omnipotentiam.
   Nemo potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Ioan.
6. *Crucem*, in quâ ipsius moribundi

clamor validus, & omnium elementorum tùnc horror, Deum esse, illũ qui moriebatnr, ostenderunt: & etiãnum, Deum esse signa, quæ deinceps crucis signo fiunt, ostendunt.

7. *Charitatem* incomparabilem. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ioan. 15. *Vsque ad aras.*

Ergò ego cum Hugone Cardinale, & Cœlio Pannonio, iure Christum in Angelo isto intelligo, his momentis.

Dumtaxat notandum, signorum iàm dictorum Dei viui quædam fuisse, ad designandum & autorandum ipsum quintum Angelum solum; quędam ad notandos seruos Dei, quod signorum cæterorum omnium capaces non sint.

Ribera tamen negat, aiens hoc ministerij Christũ dedecuisse: potiùs vnum fuisse ex Angelis illis septem, quibus salutis humanæ procuratio commissa est.

Dionysius Carthusianus etiàm putat, Angelicum spiritum diuinitùs missum intelligendum.

Sed ad rationem Riberæ. Quem (quæso te, mi Ribera) magis deceat seruare homines, quàm Iesum ipsum, Seruatorem à seruandis hominibus dictum?

Cûr Christũ dedeceat signandi seruandiq; sui gregis officium, quem pro eodem penè in hara nasci, pò puduit, neque in arâ crucis tandem mori.

Audi mihi D. Gregorij, de re lõgè indigniore pronuntiatum: *Non esse incredibilia ista cognoscimus, si in illo & alia facta pensamus.* D. Gregor. homil. 16. in Euang.

Quid mirum, si ab illo (Dæmone sc.) *permissi in mentem duci, & tentari, qui pertulit etiam à membris filius*

illius crucifigi? Non est ... indignum Redemptori nostro, quod tentari voluit, qui venerat occidi. Idem ibid.

Neminem pudere debet actionum, quas exigit Officium, quod assumpsit.

Nec pictorem pingere, nec pistorem pinsere magis pudet, quam Pontificem Deo supplicare, Regem populos regere, Militem pugnare, Musicum psallere.

Nauita de ventis, de tauris narret arator.

Quis iure exprobret equitibus phaleras, peditibus clypeos, signiferis vexilla, denique triumphantibus quadrigas albas, & togam palmatam?

At Christus Dominus Iesu & Seruatoris nomen officiumque adsumpsit. Ergò non ei pudendum aut dedecorosum gregem signare ad salutem ac præsidiũ.

At (inquies fortasis Auditor bone, & Riberæ fauens) ista mortalem Christum decere quidem potuerunt, at non sic nùnc immortalem, & beatissimum, quò potuit Ribera spectauisse homo non inoculatus, neque in scripturis sacris hospes.

Quidni verò etiàm immortalem? inquam ego. Nã in Iudicio vltimo, quod immortalis & beatissimus exercebit, & quidem, vt ipse ait, *cum potestate magna & maiestate*, aliquid simile, & æquè vile aut seruile facturum se ipse dixit: *Separabit enim* (inquit) *eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis: & statuet oues quidem a dextris, hœdos autem a sinistris.* Matth. 25.

Quò differunt (quæso) pastorem agere, segregare oues ab hœdis, & velut Cancellarium agere aut Sigilliferum, imò iterum pastorem agere, & *signo Dei viui* distinguere oues ab hœdis, seruos Dei à non seruis, vel ab hostibus, ne communibus malis innoxij cum nocentibus conuoluantur?

Verum dignius, aut Seruatorem professo conueni-

uenientius, seruare à morte primâ seu culpæ; an seruare à morte secundâ, seu pœnæ? Primum, opinor.

At dicimus, vltima mundi ætate Christum suos à morte culpæ, seu ab Anti-Christi corruptelâ, seruaturum: tu autem negare nõ potes seruaturum eosdem in Iudicio à pœnâ eius corruptelæ.

Ergò nulla est ratio, quà negatur, in Angelo isto quinto Christum intelligi, idcircò tantùm, quòd Christum id ministerij dedecere videatur.

Est qúe pati pœnam, quàm meruisse minus. Ouid.

Glorioſius tueri aduersus culpam, quàm aduersus pœnam.

Quamuis & hic tuendo à culpâ, à pœnâ quoq; suos illum tueri certum est, quæ scilicet non solet, nisi ob culpam, inferri.

Ergò Christus in Angelo isto quinto non indignè significatur.

* *Denique*, nomen Procuratoris sibi Christus ipse adtribuit, in parabolâ Vinitorum. *Matth.* 20. vbi ait: *Cùm serò autem esset factum, dixit Dominus vineæ Procuratori suo: Redde illis mercedem suam*, id est, *Pater omne Iudicium dedit Filio.*

Ipse, ipse Procuratorum salutis nostræ, ac negotiorum protectionis nostræ princeps.

Procuratorem autem non dedecet, imò verò magis decet, solicitè omnia notare, signare, sigillare &c. nihil, ad causæ, ac personæ ad tuendum suscepte, patrocinium pertinens, omittere.

Ergò Christus *haud tanto cessabit cardine rerum*: notare, insignire, ac *signare* suos *signo Dei viui* non omittet, tamquàm se actiones illæ dedeceant iàm regnantem.

Quamlibet regnantem, tamen adhuc iàm *aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum Iustum &c.*

Sed

Sed hæc hactenùs.

* *Tandem*; nonnullus est, qui hominem veritatis prædicatorem illustrem, per hunc Angelum quintum, significari putet.

Ioannes Gagneius comment. in Apoc. *Mihi aptius ad connexionem præcedentium, Victorinus hoc Angelo Heliam significari asserit, benè ab ortu Solis ascendentem, quia à Deo mittendus est, & Sole Iustitiæ Christo, dicente Malachia c. 4. Ecce ego mittam vobis Heliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis, & conuertet cor patrum ad filios; & cor filiorum ad patres eorum, ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate.*

SECVNDA OPINIO.

Sed sunt etiàm alij quidam, qui totam hanc rem ad primum Christi aduentum referunt, & ad nascentis, seu adolescentis Euangelij & Ecclesiæ tempora.

Primasius lib. 2. in Apoc. in illud: & vidi Ang. ascendentem ab ortu Solis &c. *Hic Domini Iesu Christi primus declaratur aduentus, qui alibi magni consilij Angelus appellatur.*

Qui in hâc mente, variè Angelos illos quatuor exponunt.

Quibusdam quatuor Angeli, sunt { 2. *Potissima Orbis imperia*; 2. *Potissimi Tyranni.*

* 1. *Potissima* Orbis Imperia, seu Principes super regna quatuor præcipua constitutos, nempè Babyloniorum, Persarum, Macedonum seu Græcorum ipsis adiunctorum, & velut incorporatorũ, & Romanorũ.

Illi enim certè *ventos tenebant*, quoniam autoritate, & vi armorum, æuo suo efficiebant, ne quisquam contraria vanitati, & fœdissimo Idolatriæ suæ errori suggerere, mussare, aut hiscere auderet, non adflare

terram

terram, id est, *prouincias*; non *mare*, id est, *insulas*, seu locorum talium idiotas & vulgus simplex saniore mente imbuere; non carpere, nō salutari a docere improbos; maximè *Auaros*, qui nomine Terræ, quam amant, & in qua thesaurisant, significantur; & *libidinosos*, carnisq; mancipia, qui nomine *Maris*, quod salsū est (vndè & salacitas, & ipsa Venus orta fingitur,) indicantur; multò minùs *Satrapas* & Principes ipsos docere, quos *Arbores* designant, vt sub quorum quasi vmbra viuunt cæteri; vel ipsos *Probos*, sub quibus Improbi, vti sub arboribus, tutò morantur, & quasi sub Lauro constituti, à merito fulmine iræ Dei sæpè sæpiùs defenduntur, confirmare, fouere, & rigare.

* 2. *Tyranni* potissimi,
1. *Maximianus in Oriente*;
2. *Seuerus Alex. In Italia*;
3. *Maxentius Romæ*;
4. *Licinius Alexandriæ*.

Sed ad arbores reuertor.

Ergò *in arboribus, quia genus siluit, pro diuersitate, diuersa etiàm officia, atque hominum præsignari voluit qualitates.* Primasius lib. 2. in Apoc.

Arborum autem nomine, iàm iàm aiebam Principes designari; item Piorum hominum gregem, & hunc maximè.

Aptissimè Bonos, per arbores, significari propter
1. *Fructum*;
2. *Sublimitatem*;
3. *Dilatationem*;
4. *Vmbram*.

* 1. *Fructum.* Illę enim tempore suo poma sua; isti bona opera continenter proferunt.

Psal. 1. Iustus, *erit tamquàm lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.*

Matth. 7. *A fructibus eorum cognoscetis eos.*

Prou. 11. *Fructus Iusti, lignum vitæ.* Sap.

Sap.3. *Bonorum laborum glorioſus eſt fructus.*

Matth.3. *Facite fructum dignum pœnitentiæ.*

Philip.1. *Sitis ſinceri,& ſine offenſa in diem Chriſti, repleti fructu Iuſtitiæ,per Ieſum Chriſtum.*

Poſui vos,vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.

Cant. 2. *Fructus illius dulcis gutturi meo.*

* 2. *Sublimitatem.* Illæ enim altiùs è terra, quàm herbæ, plantæ, & frutices adſurgunt, ac cælo ſunt propiores:iſti vulgo hominum humi repente,ac tantum non iacente & putreſcente ſuperiores,adtollunt ad ſydera verticem, medioq; cœlo verſantur,mortui viuis,viui mortuis.

Vt arbores radicem in terra fixam habent, caput ipſum & ramorum orbem cœlo cõdunt; ſic illi corpore,atq; vno vix pedis articulo terram attingentes, anima tota cœlum incolunt.

Vt amphibia quædam animalia terra ſimul,aquiſque paſcuntur, ſic illi in terra poſiti terrenis veſcuntur; animis totis in cœlo cœleſtia ac cœli Deum hauriunt.

Noſtra conuerſatio in cœlis eſt, ait Paulus.

Vbi ſum, ibi non ſum: vbi non ſum, ibi ſum, dicat quilibet eorum. *Plautus.*

Eſt amantis animus magis vbi amat,quã vbi animat.

Hoc ipſo veri homines, & planè ἄνθρωποι id eſt, ſurſum tendentes.ἄνθρωπος enim,idem quod ἄνω ῥέπον id eſt, ſurſum tendens vt corpore, ſic pectore & ſtudiis.

Pronaque cùm ſpectent animantia cætera terras;
Os homini ſublime dedit Deus, *cœlumque tueri.* Oui. 1. Met.

Budæus libr. de contemptu rerum fortuitarum. *Ipſum cœlum ſuſpicere homini proprium natura dedit, vt nomen Græcum indicat, inſigneque diſcerniculum inter animantia.*

* 3. *Di-*

Dilatationem. Illæ enim latè in orbem ramos extendunt,& vineæ palmites suos ; Iusti charitate Deum,sed & beneficijs homines,amicos,inimicos æquè complectuntur.

Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur. Virgil. 1.AEneid.

Operemur (inquiunt)*bonum ad omnes, maximè autem domesticos fidei.*

Omnibus omniâ factus sum , vt omnes lucrifaciam.

Si angustiantur vasa carnis; dilatantur spatia charitatis. Aug.

Nemo indonatus abibit. Virg.5. AEneid.

Admissis iàm cęcis,claudisque ad nuptias,dicitur: *Et adhùc locus est.*

Itur *ad exitus viarum,* & quicumque illic errantes fortè inueniuntur,colliguntur , & eodem coguntur.

Numquam est *pallium* charitatis ità *brève, vt vtrũque operire non possit.*

Latissimus est Charitatis Christianæ sinus.

Spatiosissima arborum istarum vmbracula.

Vna enim nobis diligendorum æquè omnium causa radicalis , Deus æquè omnium Conditor,& Redemptor.

Tanti iste, quanti ille constitit Deo, Creatione, Redemtione.

Empti estis omnes *pretio* æquè *magno.*

Non his Angelus,istis Dei Filius decretus Redẽptor.

Ex latere Christi non his *sanguis* , istis *aqua fluxit.*

AEquè omnibus *haurire* est *aquas in gaudio,de fontibus Saluatoris.*

In Deo ergò , & propter Deum , omninò omnes à Iustis diliguntur.

* 4. *Vmbram.* Illæ vel citato itinere , vel laborę

bore longo, graui, & properato, vel Solis & Caniculæ æstu, sudore diffluentibus & fessis; aut pluuias imò & fulmina metuentibus, vel iucundiùs & familiariùs confabulaturis, conuicturis, & compotaturis, vmbrâ suâ latâ ac densâ multum commodant: (Nàm ferunt certè ex ipsis Laurum nunquàm fulmine iciri, nisi rarissimæ & maximæ infœlicitatis portento; imò nec domum, in quâ fuerit laurus sata vel adfixa: Quin etiam priscis Romanis creditum est, locum, vbi laurus esset, neque à sacro vllo morbo, sed neq; à dæmone, infestari: Denique, quod magis mirêre, Mauritio Portæo Parisino autore didici, segetes agri, in quo laurei rami plantati sint, non siderari, seu rubigine, quæ morbus segetum est ab humorũ redundantia proueniens, infici: rubiginem enim illam solis illis laureis ramis totam circumuolui: vndè est & illud Ouidi de Lauro; *mediamque tuebere quercum*:) Boni autem improbis magno sunt præsidio, aduersus fulmina & vindictas irati Numinis, & est vel impiis non omninò impiissimis, aut prorsus perditis, peruolupe, consortio Bonorum, vitæque exemplis, frui.

Opaca præbent arbores vmbracula? Virg. in Hor.

... *Platanis, sterilem præbentibus vmbram,*
Vberior, quauis arbore, venit honor? Ouidi. de Nuce.

Elias obdormiuit in vmbrâ Imperij? 3. Reg. 19.
Ionas, sub hederâ, post laborem? *Ionæ* 4.
Nathanael sub ficu? *Ioan.* 1.
Protegunt vmbræ vmbram? Iob. 40.

Etiàm multis improbis vmbra, præsidium, & asylum à Iustis, & apud Iustos.

Sub vmbrâ Iustorum decem, si tot saltem reperiri illîc potuissent, famosa illa sceleribus suis Pentapolis, quæ tota Sodomitando perire digna fuit, seruari

potuisset. *Genes.*

4. Reg. 19. *Protegam vrbem hanc, & saluabo eam, propter me, & propter Dauid seruum meum.*

Psal. *Propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui.*

Origen. homil. 16. sup. Iesu Naue. *Ego sic arbitror, quòd omnes illi, qui dormierunt ante nos, patres, pugnẽt nobiscum, & adiuuent nos orationibus suis. Ità namque etiàm quemdam de senioribus Magistris audiui dicentem, in eo loco, in quo scriptum est in Numeris: quià ablinget Synagoga illa hanc Synagogam, sicut ablingit vitulus herbam viridem in campo. Dicebat ergò. Quare huiusmodi similitudo assumpta est, nisi quià hoc est, quod intelligendum est in hoc loco, quod Synagoga Domini, quæ nos præcessit in Sanctis, ore & linguâ consumit aduersariam Synagogam, id est, orationibus & precibus aduersarios nostros absumit.*

Auesnas Hannoniæ seruatas, & hostem Gallum, qui iàm intra mœnia, & in mediâ vrbe domitum spoliabat, apparitione subita candidæ Matronæ (vt aiebat) id est, virginis Mariæ, territum, indè fugisse, tàm constans est fama, vt quotannis Festum Præsentationis, processione solemni celebrent, & puerulis liba purissimæ similæ, ad rei perpetuam memoriam largiantur.

Anno 1383. Anglis Ipram, oppidum Flandriæ nominatissimum obsidentibus, *obsessi* (ait Historicus) *cùm quid aliud facerent, non haberent, ad gloriosam Virginem Matrem misericordiæ confugerunt. Nec mora longa, visibiliter apparuit. Supplices consolata est. Hostes exterritos aufugere compulit. Celebrant quotannis memoriam liberationis suæ mira festiuitate, Dominica prima mensis Augusti.* Massæus lib. 18. Chron. Mundi.

Vmbra D. Petri ægros etiàm aliquandò sanauit.

Vt taceam vmbram illam magnam, & certissimã

præ-

præsidium atque asylum, Christũ Iesum Crucifixũ.

Psal. *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis.*

In ramis eius arboris sinapis, etiàm *volucres cæli*, & maximi quique nidulantur.

Cant. 2 *sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi.*

Thren. 4. *In vmbra tua viuemus.*

Psal. 56. *In vmbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.*

Psal. 16. *Sub vmbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum, qui me afflixerunt.*

Christus persæpè *voluit congregare* Ierosolymitanos, *vt gallina pullos suos sub alas*, id est, vmbra ramorum ac meritorum suorum tueri.

Q.d. *Si Regem me vobis constituistis, venite, & sub vmbrá mea requiescite.* Iudic. 9.

An adhùc staret etiàm nùnc Mundus (putatis) his moribus, adeoque corruptus, aut non plerique nos omnes fulminibus deleti iampridem essemus, nisi magnarum arborum istarum inuersarum, rationalium, & vmbriferarum, id est, Iustorum & sanctorum, vel iàm sæculo mortuorum, cælo viuentium, vel adhùc mortalium, vmbra, tàm ille, quàm nos, foueremur?

Iampridem (Auditores) iampridem omnes (opinor) nisi sub Lauris illis magnis stetissemus, fulminibus irati Numinis icti & commoliti, iaceremus.

Mòx, mòx, Deo dante, ex me audietis, quid D. Frãcisci, ac B. Dominici, magnarum illarum arborum cœuarum, vmbra mortalibus effrenatè peccãtibus, suo suo profuerit.

Et hæc quidem de quatuor illis Angelis.

Quintus autem *Angelus ascendens ab ortu solis*, quibusdam videtur fuisse Constantinus, qui *habens signũ Dei viui*, id est, charactere Christi & cruce in Baptis-

mo signatus,& Christianus factus,insanam Tyrannorum præcedentium & coætaneorum,Ecclesiam infestantium,sæuitiam represserit.

Non malè.Melius tamen illi,quibus *Angelus iste ascendens ab ortu solis*,Christus(vti in primâ opinione)creditur, qui scilicet factus rediuiuus, & velut post mortem renatus,continuit vel Principes, vel Dęmones, ne nocere pergerent prædestinatis ad vitam æternam. Quatuor enim regna sibi subiecit.

Sic Primasius, & Haymo hic.

Lapis paruus ingentem illam statuam æream, auream, & argenteam & c. comminuit. *Daniel.*

Remora piscículus,impetum currentis nauis, Centauro maioris,facillimè stitit.

Christo Domino,non Ioui Statori, pacatæ persequutionis nomine, gratiæ & templa augusta debentur.

Dixit ille militibus Romanis, eorumque cacu*lis*, cum caperetur:*Sinite hos abire*; cuius verbi virtute factum vt, Petrus, etiam percusso Malcho in oculis armatorum,non sit repercussus; agnitus verò deindè in domo Põtificis,non sit captus; captus autem iàm adolescens quidam(sed quis nescio, Deus scit) capi ac teneri non potuerit,sed *relictâ* tantum *sindone* effugerit, eruperit,euaserit, etsi *nudus*, Ioannes Euangelista fortassis(vt quibusdam videtur) Mariæ Virginis Silentiarius, & custos, adhùc tùm satis adolescens; quæ tamen sententia mihi non satis placet;tùm,

* j. *Quod* non videatur Ioannes, qui iàm iàm in horto cum cæteris fugerat, tàm subitò animum colligere,& redire in eadem pericula potuisse; tùm,

* ij. *Quòd* post eam nudationem, non potuit tàm citò noua veste quæsita indui, vt cum Petro iterùm rediret in domum Pontificis, quò tamen rediit, & Petrum, fauente hoc ei ancilla, introduxit;tùm denique,

* iij.

* iij. *Quod amiciri* solâ *sindone super nudo*, eaque tàm parùm adhærente corpori, vt tàm facilè ei detrahi à nocturno milite aut prædone, aut ab ipso relinqui posset (quod ibi factum adseritur :) sit magis hominis cuiusuis è lecto ad strepitum exilientis, arrepta tantùm subucula, aut quolibet primo oblato linteamine.

Sed hæc sunt alterius loci. Itaque ad Angelum nostrum quintum, & Christum, reuertamur.

Ergò *imperauit ventis & mari Christus*, illo imperioso magis, quam supplice, verbo: *sinite hos abire*: & repentè, id est, post aliquot persequutiones, *facta est tranquillitas magna*.

Ibi confregit potentias, arcum, scutum, gladium, & bellum. psal.

Vno verbulo *posuit prodigia super terram, auferens bella, vsque ad finem terræ.* psal. Ianum clausit.

Primasius lib. 2. in Apoc. *Exclamare dicitur, eò quòd potestas saluberrima prædicationis aduersarias cohibuerat* (fortè mel. cohibuerit) *potestates, ne solitæ* (mel. solutæ) *mundum indebitæ dominationis crudelitate comprimerent.*

Idem ibid. paulò post. *Istos quatuor Angelos hâc nùnc dicit potestate frænari, ne solitis ausibus memoratæ ladere sinerentur.*

Beda lib. 2. c. 28. in c. 6. Marci. *Videt Dominus laborantes in mari, quamuis ipse positus sit in terrâ: quia etsi ad horam differre videatur auxilium tribulatis impendere; nihilominùs eos, ne in tribulationibus deficiant, suæ respectu pietatis corroborat. Et aliquandò etiàm manifesto adiutorio victis aduersitatibus, quasi calcatis sedatisque fluctuum voluminibus, liberat.*

* *Donec signemus in frontibus &c.* id est, demus cõfitendi nominis Domini fiduciã, & martyrij subeũdi constantiã, collato, per manus Episcopi, Cõfirmationis Sacramento.

Donec induamini virtute ex alto, ait Dominus de hac gratia, in die Pentecostes Apostolis conferendâ.

De illo (opinor) signo aiebat D. Agnes, sub cultris iàm & tortoribus constituta : *Posuit signum in faciem meam* amator meus Christus, *vt nullum, præter eum, amatorem admittam*. Breu. Rom. 2. Ianuarij.

Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.*

TERTIA OPINIO.

Sed sunt præterea nonnulli, qui hæc referant ad pœnas, quæ sanctorum persequutores manent, non verò dumtaxat ad temporariam nimiæ ipsorum licentiæ refrænationem.

Franc. Ribera in hūc locum Apoc. ait, Ioannē cœpisse dicere, quæ calamitates Sāctorum persequutoribus imminerent, & nunc quoque prosequi, ac docere, bonos exceptos à Deo, & selectos prædestinatos, qui tūnc erunt in terra.

Idem etiàm putat, hîc Angelos & ventos propriè accipiendos, id est, quòd Angeli stent parati ad opus, ad ventos continendos, & veluti carcere suo claudendos, ne terram ac mare vllo modo perflent, id est, omnia funditùs perdant.

Et quidem Angelos bonos vult esse (vti & Andreas Cæsariensis Episcopus) idque probat à textu ipso, à scripturæ vsu, & operâ ab ipsis præstita, de quibus superius dictum est.

Ex quo sequitur, si Angeli propriè accipiendi sunt, sigilliferum istum *ascendentem ab ortu Solis*, Christū ipsum non esse, quod mihi non displicet.

Ratio tamen Riberę, qua ait, ità videri, quod Christum ministerium hoc non deceat, paulò antè satis est refutata.

Probari

Probari autem melius posſit, verbis textus ipſius, quibus ſcilicet ſe Angelis æquat, dicens: (*donec ſignemus*) quaſi vnus ſit ex ipſis: & ſubijciens (*ſeruos Dei noſtri:*) quaſi Deus ipſe non ſit, Deum, communem Dominum agnoſcens, & clientem ſe eius profitens. Chriſtus autem eſt & Deus, & par Patri.

Sic ergò merus Angelus, quintꝰ iſte quoq; qui quatuor cæteros cohibet, alioqui paratos omnia perdere.

Ità (inquam) ità omnia perdere. Nàm, ventis non ſpirantibus, & prorſus quietis, an nõ neceſſarium eſt omnia mòx interire, vti homines aere deſtitutos mori?

Nihil enim aliud eſt ventus, quàm aer fluctuans & coactus. Ariſtot. lib. de mundo.

Omnia animantia, ſubtracto terris vento, præfocarentur; imò & plantæ ipſæ, quas cumprimis ventus nutrit & vegetat.

Sed nec in mari nauigatio vlla eſſe poſſet, ſaltem commoda illa, quæ velis ac ventis fit; remis fortaſsis, aliquò naues impelli poſſent.

Maximam enim ex corporibus, mouendi & appellendi ventus vim habet. Ariſt. lib. 2. Meteor. c. 7.

An non quotidiè videre eſt, carbones quamlibèt candentes, & inflammatos, ſi loco benè obturato, qui nulli aeri ac vento pateat, includantur, derepentè nigreſcere, ſuffocari, ac velut emori?

Lenis alit flammas, fortior aura necat, & nulla. Ouid.

Viuimus nos, quamdiu hùnc aerem bibimus & haurimus, vel (vt Virgilius loquitur) dùm *veſcimur aura Aetherea.* Virg. 1. Aeneid.

Scribunt aliqui, lacum neſcio quem Campaniæ apud Baias, ſulphureis ſuis exhalationibus vſque adeò aerem adtenuare, vt aues omninò nullas poſsit ſuſtinere, vndè Virgil. 6. Aeneid.

Quem ſuper haud vllæ poterant impunè volantes
Tendere iter pennis,

Vndè locum Graij dixerunt nomine Auernum, quaſi ἄορνον, id eſt, auibus carentem dixiſſent.

Interituros quoque niſi reſpirent, ſub aqua piſces, certum eſt.

Videas indè, quòd ſtagnis aut viuarijs gelu conſtrictis, omnes eò confluant, vbi glacies pertunditur, aut aperitur, tantillam auram captantes.

Itaque Plinius rectè, quum *vitalem hunc, & per cuncta rerum meabilem aerem dixit.* Plin. lib. 2. nat. hiſt.

Additum autem fuiſſe *(neque in vllam arborem)* vt ventus omninò omnis deſiturus, aut continendus, oſtenderetur. Nàm arbores minima quauis aura motantur. Ergò non perflari illas, ſignat, ventos omnes ceſſaturos.

Per illam autem tantam malaciam, ventorumque tàm altum ſilentium, morbos quoque intelligit, peſtem, ac denique mortem.

Diſsipant enim venti perflantes, corruptiones.

Infimam aeris regionem idcircò agitant, verrunt, ac ventilant, ne perpetua quaſi deſidia computreſcat.

Cernis, vt ignauum corrumpant otia corpus?
Vt capiant vitium, ni moueantur, aquæ? Ouid. lib. 1. de Ponto.

Quis neſcit, aquarum, quæ ſtagnantes ſunt, eſſe corruptiſsimas?

An non antrorum, ſenticetorum, & ſpinetorũ aeri ventiſque imperuiorum, acceſſus, inſalubris ferè eſt ac peſtilens?

Illà ergò tantà ventorum quietè, & aeris immobilitate, lues, extremaque omnia deſignantur.

Sed inquis: Ecquod tunc erit *ſignum Dei viui? Vidi habem-*

habentem signum Dei viui, inquit Ioannes.

Respondeo videri fuisse aut fore duplex, alterum
1. *Quasi Angeli illius autoramentum*;
2. *Quasi discerniculum signandorum*; σφραγῖδα, id est, signum quoddam, quo signa Dei imprimuntur.

*1. *Quasi autoramētum* ipsius Angeli quinti, id est, quo ostenso fidē alijs quatuor faciat se missum à Deo, & moram illam, quam sit illis præcepturus, dicens: *Nolite nocere, donec &c.* esse diuinæ voluntatis.

Quasi diploma diuinum aliquod priuatum habere ipsum hùc oporteat, ad autoritatem legationis, & vt nouo quasi autoramento exautoret, vel saltem ad tempusculum contineat, alios quatuor Angelos, quibus iàm *datum erat nocere terræ & mari &c.* ne temerè neglecti imperii aut permissionis, apud Deum accersātur. Vocare illud possis bullā eius authenticā.

*2. *Quasi discerniculum* signandorum, vt scilicet illos in communi excidio, inter eos qui cædendi essent, ipsi lictores internoscerent, scirentq; sacros esse, & incæduos.

Sic olim in AEgypto, domus Israelitarum sanguine agni sunt rubricatæ, vt iis hoc signo distinctis parceret Angelus primogenitorū AEgypti exterminator. *Exod.*

Sic & tempore Ezechielis signo thau notati, illæsi sinebantur, cæteris internecione deletis.

Signa thau super frontem virorum gementium &c. interficite vsque ad internecionem: omnem autem, super quem videritis thau, ne occidatis. Ezech. 9.

Sic in Iericho, domui Raab vel hospitę, vel meretricis, vel vtriusque, panno coccineo distinctæ, milites Iosue pepercerunt. *Iosue.*

Sic *posuit Dominus Cain signum, vt non interficeret eum omnis qui inuenisset eum.* Genes. 4.

Et

Et nũnc quoque ſolent milites, ſignis amicos diſtinguere, ne cum hoſte cædantur; aliàs paludamentorũ colore; aliàs ſubuculę cãdore (vulgò *la camiſade* vocant:) aliàs crucis geſtatione, hac cãdida, vt Gallorum eſt; hac rubea, vt Burgundionũ & Anglorũ, ſed Anglorũ recta, Burgundionũ decuſſata. Aliàs enim, qui ſocios quaſi hoſtes cęderent, dicerẽt ad ſui defenſionem, deprehenſi: *Signa noſtra non vidimus.* Pſal. 73.

Sic videas, boues oueſq; macello aut aris deuotas, à non deuotis, vel minio, vel carbone diſtingui.

Sic in ſyluis cæduis ac denſis, quercus cæduas ab incęduis, herilis ferri aut mallei impreſsione, diſparari.

Poſuerunt ſigna ſua, ſigna. Pſal. 73.

Duobus ergò diuerſis, opinor, ſignis Dei munitus erat Angelus hic quintus, vno ſibi; altero, ſeruis Dei ſigillandis, & ſeruandis.

Niſi fortè dicatur, vnum idemque vtriſque ſeruiſſe, vt fit, cùm Rex Regulo cuipiam, detractum digito ſuo annulum ſuum, aut ex cancellaria allatum ſigillum ſuum regium, non ceræ tantùm impreſſum, ſed ipſum ipſiſsimum & prototypon dat, cuius vnius oſtenſione & Regulus ille vnà autoretur, & autoret quemuis alium ad quiduis, eiuſdem impreſsione, vel etiàm exautoret Duces, creet, abdicet &c. Tùm enim ſigillum vnicum ſeruire vtrimque, & Officij autoramento, & Officij exercitio rectè poſsit.

At quid tandem ſignum illud eſſe potuit? An fortè

1. *Crux Chriſti?*
2. *Memoria Paſſionis eius?*
3. *Baptiſmus?*
4. *Fides in verbo ſancto Dei?*
5. *Charitas mutua?*
6. *Conſtantia profitendi Chriſti?*

De quolibet horum licęat opinari.

* 1. *Crux*

* 1. *Crux Christi?* Nâm & thau litera, quæ est cruci conformis, apud Ezechielem notati leguntur, qui eripiendi erant communi excidio.

Et cruce notata opinor domorum superliminaria in AEgypto.

Et apud Matth. Crux vocatur *signum filij hominis*, id est Christi. *Tùnc apparebit signum filij hominis, & tùnc plangent omnes tribus terræ.* Matth. 25.

Crucis vexillum, Christianorum proprium. Socrates lib. 1. hist. Eccl. c. 14.

Haymo lib. 2. in Apoc. *Signum sanctæ crucis fideles in Ecclesia dupliciter, in corpore scilicet & anima portant. In corpore scilicet, quià signantur in frõte in nomine Patris, & Filij &c. In anima verò, quià Christi passionem imitantur, crucifigentes se cum vitijs & concupiscentijs.*

Et meritò Crux signum Christi, vt claua Herculis, vt funda Dauidis, vt asini mandibula Samsonis, vt pẽna aut calamus Ciceronis, penicillum Apellis, gladius Cæsaris, Lingua Demosthenis &c. quoniã vt Hercules claua monstrorũ domitor, fũda & lapide Dauid Goliathi victor, Samson asini mandibula Philistinorum repressor, Cicero calamo & scriptione summus Orator, Apelles penicilli vsu pictoribus omnibus prior, Cesar gladio & armis factus Imperator, Demosthenes lingua primus Orator &c. ità Cruce Christus euasit Dæmonis & Inferni triumphator.

Libenter in familiarum suarum insignia transferunt nobiles quique & victores, instrumenta, quibus victoriam retulerũt, aut res, quibus reliquos antecellunt: vndè est illa tanta symbolorum Heroicorum, & armorum (quæ vocant) seu insignium diuersitas.

Dicitur autem Crux signanter *signum Dei viui*, & non Hominis mortui, aut moribũdi; quià in ipso moriẽdi in cruce momẽto, quo virorum etiã fortissimorum vires solent esse fractiores, ac flaccidiores, voces lan-

languidiores, & ſpiritus ac meatus ità coarctari, vt qui antè vocaliores erant, & clamoſiores quam Stẽtores Homerici, tùm ægerrimè loqui ac vix mutire tùm poſsint; contrà Chriſtus tùnc clamorem validiſſimum, ſignum Diuinitatis in homine illo crucifixo & moriente degentis, edidit.

Et quo tempore ditiſsimi quique ac potentiſsimi etiàm Reges, à ſubditis & antè amiciſsimis ferè deſeruntur; Chriſtus tunc maximè à ſuis creaturis omnibus animatis, inanimatis, viuis, mortuis, amicis, inimicis, vellent nollent, tàm Deus viuens, quàm homo iuſtus moriens agnitus eſt.

Ab omnibus tùm vel impetrata, vel extuſa Diuinitatis & Innocentiæ eius confeſsio.

* j. *Ab animatis*, inimicis viuis; à Centurione ſcilicet tùm demum exclamante: *Verè Dei filius erat iſte*, ſed & ab eius commilitonibus &c. imò & à Iudâ, quũ videns *quià damnatus eſſet*, exclamauit in medio templo. *Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum.*

* ij *Ab amicis*, præter Matrem, & alias aliquot mulierculas, & Iohannem Euangeliſtam; ab ipſo Nicodemo, & Ioſepho Arimathæo, hactenus occultis diſcipulis, propter metum Iudæorum; vndè & Nicodemus antè *venerat* quidem *ad Ieſum, ſed nocte*, & latẽter, nocturnus diſcipulus. *Ioan.*

* iij. *A mortuis* rediuiuis. *Multa* enim *corpora ſanctorum ſurrexerunt, & venerunt in ſanctam ciuitatem &c.*

* iiij. *Ab inanimatis*,
- 1. *Sole*, ſe intrò velut in ſcenam, præ dolore ac pudore tormentorum, quæ tam horrenda & indigna Creator ſuis patiebatur, recipiẽte, & mortales idcircò lumine deſtituente;
- 2. *Terrâ* tùm tremente, & quaſi ex hume-

humeris excutere tùm conante tàm indignos ſeſſores, Dei ſui tortores immaniſsimos;

3. *Petris* diſsilientibus; quaſiſque indignantibus facinus tàm execrabile.

Adeò tùm fuit Crux; & quidquid à Chriſto ex eâ pendente, geſtum eſt, *ſignum Dei viui*, vt ſi anteà nullis miraculis innotuiſſet filius Dei, vel indè dumtaxat initium nobilitatis ampliſsimum accipere tandē potuerit.

Epiphaniorum, & manifeſtationum ſublimiorum dicere illum diem iure poſsimus.

Crux Chriſto fuit, quod Regibus diadema, quod Imperatoribus paludamentum, quod Pontificibus galerum, quod lituus auguribus.

* 2. *Memoria* Dominicæ paſsionis, quæ perpetua in nobis, & cum debitâ reuerentiâ, ac grati animi ſignificatione, magnum indicium eſt conſcriptionis noſtri in albo filiorum Dei.

Eadem potentiſsimum aduerſus tentationes, & peccati omne genus, amuletum, & conſequenter aduerſus pœnas & ſupplicia præſidium.

* 3. *Baptiſmus* in electis ſecundum propoſitum Dei, in cuius collatione inuiſibilis character imprimitur, & gratia Dei iuſtificans confertur, conſtitues nos ex filiis iræ & Diaboli, filios Dei.

Sed & vti olim Circumciſionis ſigno, Iudæi à cæteris Gentibus diſtinguebantur; ſic nunc Chriſtiani Baptiſmo ab exteris ſeceruimur.

Tùnc *conformamur imagini filij Dei.*

Tùnc incipimus eſſe *initium aliquod creaturæ eius.*

Tùnc maximè *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui, Domine.* pſal. 4.

* 4. *Fides* in verbo ſancto Dei, vel ſymboli Apoſtolici ſcientia, & receptio, ſeu profeſsio. *Cælius Pannonius.*

Ioan.

Ioann. 1. *Quot quot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.*

Signaculum primũ Iustitiæ Christianæ est Fides.

Fundamentum Iustitiæ est fides. D. Ambro. lib. Off.

Marci vlt. *Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.*

Ephes 1. *In Christo & vos cùm audissetis verbum veritatis (Euangelium salutis vestræ) in quo & credentes signati estis spiritu promissionis sancto.*

* 5. *Charitas* mutua, quæ certissimum est filiorum Dei signum.

Ioan. 13. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.*

1. Ioan. 3. *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate, in hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus.*

D. Augustt. tract. 65. in cap. 13. Ioan. in illud: In hoc cognoscent omnes &c. *Tanquam diceret: Alia munera mea habent vobiscum etiam non mei, non solùm naturam, vitam, sensum, rationem, & eam salutem, quæ hominibus, pecoribusque communis est, verùm etiam linguas, sacramenta, Prophetiam, Scientiam, Fidem, Distributionem rerum suarum pauperibus, & traditionem corporis sui, vt ardeant: sed quoniam Charitatem non habent, vt cymbala concrepant, nihil sunt, nihil illis prodest. Non ergò in illis, quamuis bonis muneribus meis, quæ habere possunt etiam non discipuli mei: sed in hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.*

Idem tract. 5. in cap. 3. 1. Ioann. *Dilectio sola discernit inter filios Dei, & filios Diaboli. Signent se omnes signo crucis Christi. Respondeãt omnes Amen. Cantent omnes Halleluia, baptizentur omnes, intrent Ecclesias, faciant parietes basilicarum: non discernuntur filij Dei à filijs Diaboli, nisi Charitate. Qui habent charitatem, nati*

sunt

sunt ex Deo: qui non habent, non sunt ex Deo. Magnum iudicium (al. indicium) *magna discretio.*

Idem lib. 13. Confess. *Dilectio, character est discipulorum Christi.*

D. Chrysost. tom. 5. homil. 1. de incomprehensibili Dei. nat. *Charitas, discipulorum Christi iudicium est, & magnus seruorum Dei character.*

D. Aug. l. 1. de Bapt. *Charitas & cõmendat, & emẽdat cætera.* Nota quæso illud; *& emendat cætera.* Multa .n. aliàs intolerabilia, tolerabilia facit charitas, & excusat. Eadem *operit multitudinem* verorum *peccatorũ.*

Charitas, est anima literarum... Sacramentorum salus ... Fidei fructus. D. Aug. de laude Charit.

Est anima Fidei, est vita virtutum.

Signorum omnium illud maximè illustre, spectabile, durabile, indelebile, interminum, Cœlo Terraque amabile, nulli non vtile.

Charitas nunquàm excidit: Siue Prophetiæ euacuabuntur, siue Linguæ cessabunt, siue Scientia destruetur 1. Cor. 13.

Aquæ multæ non poterunt extinguere Charitatẽ. Cãt.

Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas. Ouid. in fine Met.

*6 *Constantia* profitendi Christi, diuinum sanè munus, & planè *signum Dei viui*, id est, homines entheos demonstrans & Deo dignos efficiens.

Corde creditur ad Iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.

Non omnes, nec semper capiunt hoc verbum, non Petrus ipse, qui in Pontificis domo Christum negauit.

Discipulorum Christi adhùc viuentis plerique multi *occulti propter metum Iudæorum.*

Cæterorum nemo audebat se coniungere Apostolis. Act.

Antio-

Antiochi persequutione, *nec simpliciter Iudæum se esse quisquam confitebatur.* 2. Machab. 6.

Non idem in ore erat omnibus, quod in pectore, nec in fronte, quod in mente: sed paucis, *quos ardēs euexit ad æthera virtus.*

Res tamen sanè pulcherrima oris & cordis illa symphonia, vt contrà turpissima dissonantia, qualis est in formidolosis,& in hypocritis &c.

Vt turpe audire; *Intùs Nero, fore Cato:* Et: *Mel in ore, fel in corde*: Et: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me*: Et: *Dilexerunt Deum in ore suo,& linguâ suâ mentiti ei*: Ità pudendum intus sentire & credere, quod foris non ausis confiteri.

Dixit insipiens (sed *in corde suo* dumtaxat) *non est Deus.* psal.

Faxit Deus, vt & hoc in laudibus meis sineper numerem in Fidei negotio, sicut in negotijs humanis numerare possum, candorem,& simplicitatem.

Nàm (absit verbo iactantia, atque inuidia) ab Italis, hominibus sanè oculatissimis, agens in Italiâ audire solebam de me, indice in frontem meam directo: *Iste homo gerit veritatem in fronte.*

Frons hominem præfert, ait Paradinus in Heroicis Lat. pag. 305.

Da, bone Iesu, da mihi filio ancillæ tuæ, vt numquàm vel in tormentis te erubescam, sed semper tàm in fronte, quàm mente geram spectabilem eam ipsam fidem, quam hausi cum lacte.

In eâ fide senex moriar, in quâ puer natus sum? D. Hierony.

O Deus, *fac mecùm signum in bonum, vt videant, qui oderunt me, & confundantur.* psal.

Maiores mei, *qui timuerunt te*, & nunc videntes, *videbunt me, & lætabuntur.* psal. Sed hæc hactenus.

Signo ergò Dei viui in fronte signari, est etiam cū primis

primis dotari Fidei in Christum profitendæ constantiâ.

Sed inquis; Positus in triuio isto, & medio trium opinionum, quò me vertam? quam amplectar?

Dicam. Quamcumque ex his elegeris, non errabis.

Omnes enim natæ, ac datæ à magnis & probis autoribus, & literæ ipsi satis inhærent omnes.

Secunda tamen opinio fortè cæteris præferenda videri possit, vel idcircò imprimis,

* j. *Quòd Primasium* scriptorem antiquum, vtpotè à mille iàm & ampliùs annis scribẽtẽ, autorẽ habet.

* ij. *Et ideò* maximè, quòd Primasium ferunt Magni Augustini fuisse discipulum, & aliquot annos diligentissimum tàm lectionum eius, quàm Concionum auditorem.

Sed (vt pace Primasij dicam) eam sequi malim, quæ de Anti-Christi temporibus, & Ecclesiæ persequutorum pœnis, textum hunc intelligit.

Nàm certè æquè antiquos, & numero plures autores habet, sed & rationes (vt mihi quidem videtur) ingeniosiores, magisque adparentes.

Dixi nùnc (Auditores &c.) de literæ sensu historico, nùnc ad moralem atque allegoricum, si per vos licet, venio.

II.

Quo modo verba illa Apocalypsis D. Francisco, Francico, & Proculo, conueniant.

Quoniam sic abundat Ciuitas ista Iurisperitis, Causidicis, Iustitiæ sacerdotibus, & ministris, vt facilè quatuor hominum milia calamo (vt loquuntur,

quuntur(hîc viuere vulgò iactentur, facileque id iactanti famæ adsentior, cum scilicet sit Patriæ huius Metropolis,& summæ Curiæ Eburonum,Ecclesiasticæ Laicæque,domicilium,non fuerit(opinor) inutile cõmemorare,non fortasse tàm emendandi, quàm præcauendi mali quod nondum sit,studio, quemadmodum Benedictinus quidam Scriptor benè doctus hunc locum interpretetur, sed, ob temporis angustiam,quæ(vt video)D.Francisci laudibus paratis & speratis obiter decurrendis, ægrè sufficet,quàm potero pauciſsimis.

Dicam autem eius ipsîus Scriptorisverbis, ad maiorem cùm fidem,tùm gratiam.

Isti(inquit)*quatuor Angeli possunt significare Ballinos,& Officiales Principum,qui in quatuor partibus mũdi sunt locati & qui stant in diuersis officijs super angulos terræ nostræ.Istis datur à Principibus & Prælatis nocere terræ,mari, & arboribus, id est,omnibus gentibus* (fortè mel. generibus) *hominum subditorum terræ, villis & ciuitatibus maris, id est Collegijs & Conuentibus,arboribus,id est, personis & hominibus, qui ad hoc breuiter ponuntur in officio,vt noceant subditis,& vt rapiant quidquid possunt.Vnde dicitur* : Potestas eorum nocere hominibus mensibus quinque(Apoc.9.)*Et isti impediunt, ne venti flent super terram;quia omnem cõsolationis flatum,& omne refrigeriũ, vel auxilium,quod Principes,vel Prælati debent subditis,ipsi impediũt,quãtũ possunt.Sed quid?Verè ibi est alius Angelus,id est,alius Cõsiliarius vel familiaris,qui portat signũ & sigillũ Principis,vtpotè Consiliarius vel similes, cum quo oportet secretè loqui,quia breuiter nullus est inanimis à nocumento aliorum,nisi quos ipse signauerit liberandos. Et tales sic signati,per dona vel fauores à Magistris Curiæ accepti* (fortè mel. excepti) *ab huiusmodi quatuor Angelis*

lis malis, id est, ab huiusmodi iniquis non lædantur, imò stant in conspectu throni, id est, in præsentiâ Principum & Prælatorum, induti stolis & vestibus eorumdem, & in eorum Curijs Officijsque ordinati. Alij autem qui non sunt signati, nec in gratia maiorum specialiter accepti atque recepti, scilicet nocumento talium malorum Angelorum, id est, inferiorum, Ballinorum, Executorum, & Commissariorum crudelium exponuntur. Et breuiter istud est verum, quòd nullus hodiè Ballinorum malitiam euitat, nisi alicuius magni Angeli, id est, alicuius magni Consiliarij fauorem procuret. Isti enim mali inferiores, illos non audent tangere, quos vident maiorem (fortè mel. maiorum) *gratiam obtinere.* Petr. Berthorius Pictauiensis. Benedictinus lib. 6. Moralitatum in Textum 7. Apoc.

Vix locus est, vel ordo sub cælo, *qui se abscondat à calore eius* mali. psal.

Nemo nescit, quàm sint sæpè Proconsules, Proreges, & Legati ipsi Imperatorum, Portitores libellorum, citationum &c. (gal. *porteurs de rogatons*) molesti vtriq; ordini, sæpè Consulibus, Regibus, & ipsis geminis rerum Dominis grauiores, quos etiàm ipsos reddunt perfrequenter subditis odiosissimos, & sceptris aliquandò exuunt.

Tamen *minimum decet libêre, cui plurimùm licet.* Senec. Trag.

Quid dicam, quãtum vbique possint, tres aut quatuor Angeli Angliæ, id est, aurei nummi, sic dicti vel à loco, vbi cusi; vel ab Angeli figurâ fortassis impressa, opportunè laxati, id est dono dati aut missi, ad subuertendos imbecilliores, incautiores, & minùs benè vel nummatos, vel gratiosos?

Timeo Danaos, & dona ferentes. Virgil. 2. AEneid.

Tradunt historici, celeberrimam orbis Christiani Academiã, ab Angelis talibus ab Hẽrico VIII. ex An-

glia misis, corruptam, non satis fortiter eius sententiæ, de repudio vxoris, & secundis nuptijs, repugnasse.

Quemadmodum Triginta milia sagittariorum, id est, Daricorum nummorum Persicæ monetæ, aiebat Dux quidam priscus res suas expugnasse, ac pernertisse: ità Angelorum eiusmodi aureorum, seu Anglicorum, seu aliundè, non magnam manum, multum posse, ad Iustitiæ & Religionis subuersionem, non est qui ignoret.

Si quis tamen sequatur Angelus quintus potentior, auro grauior, & liberalior; facilè priores illos cohibuerit, & quasi subneruauerit.

Vaccam mugire, & cornu ferire, bos non sinet, vt est in prouerb. *Bos in linguâ.* prou. apud Eras. in Chili.

Magna munera, muneribus maioribus, expugnantur.

Sed digitum hic intendisse, ac rem indicâsse, vobis tàm doctis & acutis, est plus satis: nùncergò ad D. nostrum Franciscum, quò maximè tendebamus, veniamus. Eodem quæso vultu, & silentio audite, quo priora.

Multi, ijque docti viri, faciunt D. Franciscum, legislatorem nostrum, *Angelum* illum quintum *ascendentem ab ortu solis* &c.

D. Bonauentura noster inprimis, in prologo vitæ eius. *Euangelistæ Iohannis vaticinatione veridicâ, sub similitudine Angeli ascendentis ab ortu solis, signūq; Dei viui habētis, adstruitur nō immeritò designatus Franciscus.*

Et quod mireris magis; Benedictinus quoque ille idem doctissimus iàm citatus, moralitate in huncipsum locum sic ait: *Vel dic, quòd iste secundus Angelus, est beatus Franciscus.*

Aloisius quoq; Lipomanus Epis. Veronensis, *Angelum*

gelum potiùs, & quidem ex ſupremo ordine, quàm hominem, dici poſſe adſirmat.

Quidni ergò etiàm ſic nùnc exponam, hos duces ſequutus?

* 1. *Spiritus* enim *Domini multiplex.*

* 2. *In verbis ſingulis* Apoc. *multiplices latent intelligentiæ.* D. Hieronym. ep. ad Paulinum de omnib. diu. hiſt. libb.

Eſt ſcriptura Apocalypſis omni cepâ multiplicior, & togatior.

Multiplex ibi *rota in medio rotæ.*

Sed non dicamus Franciſcum, Angelum, hoc tantùm: etiàm id vobis probare conemur.

D. ergò Franciſcum, Angelum dici poſſe, probo ab
1. *Etymologiâ nominis;*
2. *Officij paritate;*
3. *Vitæ puritate;*
4. *Sacerdotij reuerentiâ.*

* 1. *Etymologiâ* nominis. Angelus enim à verbo ἀγγέλλω, id eſt nuntio, idem quod nuntius, aut miſſus, aut miſſus legatus à quocumque quidem, ſed in ſcripturis ſanctis, à Deo maximè.

Hebraicè Angelus dicitur *Malachi*, id eſt, *nuntius meus.* D. Gregor. homil. 34. poſt initium. *Angelus, officij nomen eſt, non naturæ.*

Abbas Serenus apud Caſsianum collat. 8. capit. 15. *Etenim de officio nunciandi, Angelos, id eſt, nuntios appellari manifeſtum eſt: & Archangelos, quòd ipſis præſint*, quaſi quis diceret curſorum Dei magiſtros: gall. *maiſtres des poſtes de Dieu.*

D. Hilar. lib. 5. de Trinit.

Proſper ad pſal. 103.

Nàm non ſatis placet (quod quidam tamen nõ indoctus opinatur) Angelum magis propriè dici quẽuis, qui extrema nuntiet, cui obponatur εὐάγγελος. Sæpè enim in ſcripturis lætiſsima quæque ab Angelis ſunt nuntiata.

Non tamen negandum, Angeli nomen, infœlicis fauſtæq; rei nuntio æquè conuenire; Euangelium autem dici dumtaxat poſſe eum, qui fauſta nuntiet, quales illi maximè fuerunt, qui, nato Chriſto Domino, primi cecinerunt in oculis auribusque paſtorculorum: *Euangelizo vobis gaudium magnum &c.*

An non *fuit* D. Franciſcus *homo miſſus à Deo cui nomen erat Ioannes*? Sic enim primùm mater eum vocauerat marito abſente: ſed is Franciſcum, quaſi Francicum à Franciâ, dici maluit, quòd ſe in Franciâ peregrinante natus eſſet. *Vide Off. Minorum, feſto D. Franciſci.*

Fratrem Francinum nominatum ait Iac. de Vitriaco hiſt. Occid. c. 32.

Proculum quoq; dicere potuiſſet pater more priſco. Ità enim olim cognominabantur, qui patre peregrinante patriâ procul, naſcebantur.

Miſſus (inquam) *à Deo* nuncius,
1. *Tacitè*, vt omnes excellenter probi, diuinitùs orbi dati, ad impiorum reformationem;
2. *Expreſsè*, multoties, etiàm ipſum adloquente Deo.

Vt ibi: cùm ex Cruce ſic eum Chriſtus adfatus eſt, in templo S. Damiani: *Franciſce, vade, & repara domum meam, quæ, vt cernis, tota deſtruitur.* D. Bonau. c. 2. vitæ eius.

Et ibi; cum D. Claræ, & ſociarum precibus hùc imploratis, intellexit, diuinæ eſſe voluntatis, vt habendis concionibus ipſe ac fratres ipſius occuparentur. *D. Bonau. c. 12. vitæ eius.*

Sultano (id eſt, Cedreno interprete, Imperatori Imperatorum) vinctus oblatus, & rogatus: *quo ſanguine cretus,*

Quidue

Quidue ferat, memoret, quæ sit fiducia capto: (Virg. 2. Aeneid.) respondit: *Non ab homine, sed à Deo Altissimo se fuisse transmissum, vt ei & pop. suo viam salutis ostenderet, & annuntiaret Euangelium veritatis.* D. Bonau. c. 9. vitæ eius.

Ergò ipsum rectè Angelum dixi. Et Angelum quidem extrema peccatoribus obstinatis, & vltimam ruinã, planeque excidium Satanæ regno nuntiantem: Euangelium verò, pacem prosperaque omnia pœnitentibus promittentem.

*2. *Officij* paritate, vel { 1. *Docendi*; 2. *Vocandi ad fletum*; 3. *Obsignandi*.

*1. *Docendi.* Sunt enim Angeli præcones, & interpretes diuinę voluntatis apud homines, vt olim Mercurius ille fabulosus.

Faciunt voluntatem eius, ad audiendam vocem sermonum eius. psal.

Agar ab Angelo docta est, redire ad Dominam Saram, seseq; ei submittere. *Genes.*

Moysi lex data *in dispositione Angelorum.*

Apoc. 12. *Habebat Angelus in manu sua libellum apertum.*

Officium officiorum est istud, & ars artium.

Omnium diuinorum diuinissimum est, Deo cooperari, in reductione animarum ad ipsum. D. Dionys. Areop. c. 3. cæl. Hierarch. opinor.

Sed vestram fidem, Auditores. An non D. Francisc. totusque eius Ordo Seraphicus, diuinitùs missus, ad docendos populos, concionibus, lectionibus, exẽplis erudiendos, & planè eruderandos?

Neque se, neq; suos, sibi solis natos esse scilicet, sed Reip. Christianæ, sed saluti omnium, diuinitùs intellexit.

D.Bonau.c.4.vitæ eius.*In vallem Spoletanam redeuntes, tractare cœperunt, vtrum inter homines conuersari deberent, an ad loca solitaria se conferre. Sed Christi seruus Franciscus, nō de sua vel suorum confisus industria, per orationis instantiam, diuinæ super hoc voluntatis beneplacitum requisiuit. Supernæ igitur reuelationis illustratus oraculo, intellexit, se ad hoc missum à Domino, vt Christo lucraretur animas, quas Diabolus conabatur auferre,* id est, vt dissolueret opera Diaboli.

Idem ibid.c. 12. Cùm D.Franciscus quæsisset, *Quid, fratres, consulitis? quid laudatis? an quòd orationi vacem? an quod prædicando discurram?* argumentis in vtramque partem propositis, nec valuit ipse nec voluit ea de re quidquam statuere, sed fratrem Siluestrum magnum precatorem, & D. Claram, eiusque Vestales, iussit sociatis precibus, Dei ipsius oraculū exquirere. *Concordauerunt autem mirabiliter in idipsum, superno eis reuelante spiritu, venerabilis Sacerdos, & Virgo Deo dicata: Beneplaciti scilicet esse diuini, quod Christi præco ad prædicandum exiret.*

Nàm *quo modo prædicabunt, nisi mittantur?*

Præco sum Magni Regis, respondit aliquandò latronibus in nemore. *Bonau.c.2. vitæ eius.*

Ergò D. Franciscus non malè Angelus dictus, quià missus à Deo Doctor Gentium.

Malach. 3. *Eccè ego mitto Angelum meum &c.* quadret D. Francisco.

Iacob. de Vitriaco Hist. Occid. c.32. Totum Ordinem Minorum vocat *Ordinem Prædicatorum. Hic est (inquit) Religio verè pauperum Crucifixi, & Ordo Prædicatorum, quos fratres Minores appellamus.*

* ij. *Vocandi* ad fletum, planctum, saccum, & caluitium &c.

Iud.2. *Angelus Domini ascendit de Galgalis, ad locum flentium, & ait: Eduxi vos de terra Aegypti,* & ita vt dùm taxat

dumtaxat non feriretis fœdus cum habitatoribus terra huius, & aras eorum subuerteretis, & noluistis audire vocem meam. Quur hoc feciſtis? Quumque loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Iſrael, eleuauerunt vocem ſuam & fleuerunt.

Illuminato ſcilicet intellectu humano Angeli, quæ cuiuſque officij ſunt, refricando, etiàm voluntates excitant, & inſtant agi pro officio.

D. verò Franciſcus in hoc opere quàm ſingularis.

Quærebat ille ſibi ſolitaria loca amica mœroribus.

Tàm multus erat in fletu, vt oculos penè amitteret, fueritq; aliquandò ei neceſſarium cauterio ſuccurrere. *Bonau. in vita eius cap. 5.*

Sic ille erga ſeipſum.

Aliis verò excitandi fletus quàm fuerit ſtudioſus, nemo neſcit qui vitam eius ſcit, qui vel vltimũ ordinem ex tribus quos magno myſterio inſtituit, audiuit vocari *ordinẽ pœnitentium* vtroque ſexu conſtantem, qui ſine fletu ſaltem interno eſſe non poteſt.

Cuius conciones ferè omnes de Pœnitentia agendâ, de Cruce & Paſsione Chriſti.

Cuius veſtes ſaccus & cinis: cuius zona funiculus: cuius ornamentâ, aut nudipedalia, aut planipedia, cuius ciborum condimenta aquæ & cineris inſperſio.

Non modò ille Agelaſtos homines faciebat ſua dictione, & conuerſatione, ſed etiàm meros Heraclitos.

Et certè acceperat à Pontifice, *de pœnitentia* cum primis *prædicanda mandatum*. Bonau. in vita.

D. Bonauent. prologo vitæ eius. *Officium habuit, vocandi ad fletum & planctum, caluitium, & cingulum ſacci.*

Quid ad fletum in alijs ciendum efficacius, quàm primum flere prouocantem?

Si vis me flere, dolendum est
Primùm ipsi tibi. Horat. in Arte.

Dùm spectant læsos oculi, læduntur & ipsi. Ouid. de Arte.

* iij. *Obsignandi*, vel signo thau, vel quolibet signo Dei.

Habes apud Ezechielem, signatas signo thau frontes virorum gementium.

Et hîc dicitur: *donec signemus seruos Dei nostri &c.*

Signauit autem D. Franciscus suos, *signo pœnitentialis Crucis, & habitus Cruci conformis*, vt loquitur Bonauent. prologo vitæ eius.

Signauit, impresso socijs suis, & populo, singulari studio conuersationis planè Christianæ, mortificationis internæ externæque, & compositionis toto cultu habituque tàm religiosę, vt deinceps facilè omnibus appareret esse Christianos, qui antè solerent sæculis pompis oblectari.

Distinxit toto viuendi genere, à Gentibus Christianos, mirâ illâ morum reformatione, quam mundo tùnc sanè deformatissimo, exemplis magis quàm verbis inuexit.

Signauit Cruce Christi, quos Crucem Christi tùnc altè sepultam, intùs & extrà ferre docuit; cùm Passionis Christi valdè obliteratæ memoriam refricauit, & rursùs altè impressit, quasique recudit.

* 3. *Vitæ puritate*. Angeli enim certè, quia meri spiritus sunt, & planè incorpores, ideò nec motibus illis nostris ac tumultibus obscœnis vexantur, nec more nostro vllam vim fœdam patiuntur, nec sordibus vllis Venereis inquinantur. Ignei quodammodo sunt, & ideò instar ignis, purissimi sunt, & incontaminatissimi.

Qui

Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignẽ vrentem. pſal.

Et quià eos creſcere numero, & multiplicari, aut etiàm tandem mori, nihil eſt neceſſe, vt homines; ideò ſordidis ſexuum copulis inquinantur.

In regno Patris mei non nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei, iniuges, innupti, vno verbo mundiſsimi.

Nàm etſi *honorabile connubium, & torus immaculatus*, ægrè eſt tamen ſine fœcibus vel tantillis.

Innuptæ ergò illæ ſubſtantiæ etiàm defæcatiſsimæ.

Si quandò contingit corpora adſciſcere humanis ac maſculis ſimilia, iis tamen ad ea dumtaxat vtuntur, quæ præcepit Deus.

Vtuntur hoc mundo, tamquàm non vtantur.

Videbar quidem vobiſcum manducare & bibere: ſed ego cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor, aiebat Raphael dux Tobiæ & comes. Tob. 12.

Nihil turpiter Angeli aut ingerunt, aut egerunt, ſaltem boni, & qui Deo adhæſerunt.

Nàm alioqui *& in Angelis* deſertoribus *reperit Deus prauitatem*, ait Iob.

Nec modò illi fiunt concubitores nefarij, ſed etiã Incubi & Succubi execrabiles, ſterili vt plurimum voluptate, etſi fertili quoque aut fœcundâ nonnunquàm.

Cæſarius lib. exemp. videatur.
Delrius lib. 2. Diſquiſit. mag. q. 15.
D. Cypr. de habitu Virginum,
Tertull. de cultu fœminarum.
Cæſarius frater Nazianzeni dialogo 1.

Abſurdum & planè ſtultum fuerit, putare Angelos cubare cum mulieribus: ſicut & dæmones

mones dormire cum mulieribus existimantur ... Blasphemiæ & stultitiæ est putare, quod Angeli fœminas depereant. Neque enim de his inquit Scriptura sacra, quòd ingressi sint filij Dei ad filios hominum &c. Videtibi pulcra & docta.

At Diuus Franciscus virgo & corpore & spiritu.

Integer vitæ scelerisque purus. Horat.

Purus (inquam) quantum fert hominis adhùc viatoris natura, gratiæ Dei præsidio roborata,

Spiritu scilicet *facta carnis mortificabat*, vigilijs, ieiunijs, orationibus, laboribus, itineribus, vestium imò ciliciorum asperitate, chordâ aspera nodis, virgationibus &c. vt carni quiduis potius liberet, quàm lasciuire, aut venerea cogitare.

Vix ossibus hærebat misellus, ieiunijs tenuatus, excoctus.

Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Psal. 142.

Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum, & derelicta sunt tantùm labia circa dentes meos. Iob.

Genna mea infirmata sunt à ieiunio. psal.

Salpa; & quouis siccato pisce, aut tympani pelle, erat aridior.

Ora modis pallentia miris. Virg.

Mera mortis imago.

Ego vox, hoc tantùm, de se dicere ille potuisset, Echo sine corpore, sono dumtaxat suo (& exiguo motu) prodita.

Deindè; Eccui vel non lecta, vel inaudita D. Francisci in medijs niuibus spontanea volutatio, vt vel sic faces ardentiores libidinum ab Incendiario illo Infernate illi submissas extingueret, ac surgeret impollutus?

Cui incognitum priuum eius, nullique antè (opinor) vsitatum studium, cibos suos sæpè sanitatis tempore

pore cineribus adſpergendi, & aqua incocta diluendi, vt ſaporem omnem obtunderet, & ſic carnem nimis viuidam iugularet? *Bonau. c.5. vitæ eius.*

Difficile namque fore dicebat, neceſsitati corporis ſatisfacere, & pronitati ſenſuum non parere. Bonau. ibid.

Cinerem tamquàm panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam. pſal.

Factæ ſunt mihi lachrymæ meæ panes, die ac nocte.

De potu vini quid dicam? cùm & de aquâ, dùm ſitis æſtuaret ardore, vix ad ſufficientiam biberet. D. Bonauēt. c.5. vitæ eius.

Dignus planè collega B. Dominici, quem ferunt poſt itineris laborem, antequàm hoſpitium peteret, ſolitum fonte leuare ſitim, ne in domo hoſpitis vel tantillam bibacitatis notam incurreret. O viros, ô ſæcula, *Surius tomo* 4.

Venit vterque propè *non manducans, neque bibens,* ſed nequeveſtiens, Franciſcus imprimis, Adamita futurus, ſi per honeſtatem licuiſſet.

Vno pede, imò pedis articulo terram adtingens, altero, imò toto propè corpore reliquo, & pectore in medio Cœlo verſabatur.

Mortalis immortalibus iàm totus conformabatur.

Terrigena, & de terra eſſet licèt, & in terra terræ incola videretur, tamen cælicola toto animo erat, cælitum delicijs, nectare & ambroſia ſuperorum, *inuiſibiliqúe* illo *cibo & potu Raphaelis* ſæpè fruebatur.

Penè totus ſpiritus erat, non modò ſpiritalis, etiàm antequàm Angelus, id eſt, Concionator verbi Dei diuinitùs crearetur.

Qui facis Angelos tuos ſpiritus. pſal. 103.

Virginitas eſt ſoror Angelorum. D. Cypr. lib. de Virg.

Virginitas, cæleſte bonum, cognata Phalangi

Ange-

Angelicæ. Mich. Verinus in distichis.

Supergreditur Virginitas conditionem humanæ naturæ, per quam homines Angelis adsimilantur. Maior est tamen victoria Virginum, quàm Angelorum. Angeli enim sine carne viuunt; Virgines verò in carne triumphant. D. Ambros. lib. de viduis.

A Virginitate maximè, est Baptista Angelus dictus. Malach. 3. *Ecce ego mittam Angelum meum &c.*

Ea Stephanum vel hostibus suis tàm spectabilem ac reuerendum fecit, vt dicatur: *Intuentes Stephanum omnes qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius, tamquam faciem Angeli.* Act. 6.

Virtutis ergò huius, cæteręque Angelicæ puritatis tantus cultor Franciscus, meritò Angelus à me indigitatur.

*4. *Sacerdotij* reuerentia. Angeli enim se ægerrimè sinunt à sacerdote adorari, ab incarnato iàm Christo.

Iohanni Euangelistæ iàm creato Sacerdoti, adorabundo dixit Angelus; *Vide ne feceris, conseruus tuus sum, & fratrum tuorum.* Apocalypsis 19.

Imò adstites sunt Sacerdoti sacris operanti.

Quidni? vtpotè tùnc agenti, quod numquam potuerunt aut poterunt ipsi; Mater autem Christi Virgo, semel tantùm totâ vitâ?

At Franciscus noster, Deus bone, quantus Sacerdotum cultor. Tantus, vt eorum societate & ordine se indignũ totâ vitâ æstimarit. Diaconatus enim ministerio contentus, nunquam est ausus ad Sacerdotiũ conscendere, ad quod consequendum temerè nos miselli plerique multi tantum non ruimus, proh dolor, plerique *tolluntur in altum.*

Vt casu grauiore ruant. Claudian.

Eleuans allisisti me. psal.

Tantus Sacerdotij cultor, vt ad peccata Sacerdotũ semper conniueret. Nolo

Nolo in ipsis considerare peccatum, ait in suo Testamento c.1.

Filium Dei cerno in ipsis ibid.

Et, si haberem tantam sapientiam, quantam Salomon habuit, & inuenirem pauperculos Sacerdotes huius sæculi, in parochijs, in quibus morantur, nolo prædicare contra voluntatem ipsorum. Ibid.

A Sacerdotibus vexatus, vult nihilominus in ipsos recurrere. *Ibid.*

Docuit fratres, honorare præcipuâ reuerentiâ Sacerdotes. D. Bonau. cap. 4. vitæ eius.

Dicendus potiùs excessisse modum hac in re, quàm officio defuisse.

Angelus ergò, Angelus est D. Franciscus; Angelus, inquàm, *similitudine, non proprietate.* Homo prorsus Angelicus, aut Angelus humanus, vel incarnatus. Homo cœlestis, aut Angelus terrestris fuit, adeò corporea superauit, adeò humanâ transcendit.

Quid? non sit Angelus, vt Angeli vocabulum poni solet, quasi proprium infimi ordinis substantiarum intellectualium, supra quem ponitur ordo Archangelorum?

Vnde Dionys. Areop. de cœlesti Hierarch. c. 5.

Orig. homil. 2. sup. Matth.

Philonem 2. Allegoriarum, & de confusione linguarum.

Imò verò posit D. Franciscus etiam ipsis Seraphis accenseri, ab ijsdem ferè causis.

Seraphim enim (autore Suidâ) idem quod *inflammatores, ignea ora, calefactores, cognitionis multiplicatio, Sapientiæ flumen.* Suidas in Historicis dict. Seraphim.

Ordo ille Seraphinorum totus constat meris (vt sic vocem) castis Cupidinibus: totus est Amorum, sed pudicorum: totus est Deum ardentissimè amantium

mantium, & (liceat nùnc mihi extatico sic loqui) Lenonum diuini amoris, aut, si sic non licet, dicam paranymphorum, & pronuborum.

Occultum inspirant ignem amoris in Deum, animis mortalium, casti Vagaones.

Ordo Seraphinorum, est ordo Incendiariorum cœlestium (gallicè, *les boute-feus de l'amour de Dieu*.) Non, vt in Artesiâ, est *phratria ardentium* dumtaxat, sed etiam alios incendentium, & suos ignes nobis communicantium.

Psal. *Ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo.*

D. Hieronymus in c. 6. Isaiæ, interpretatur ἐμπύρους id est, *incendentes, & comburentes.*

Ab ardore Charitatis sic nominantur scilicet, & quo vruntur, & quo vrunt.

Nàm dare est, quæ vrantur ipsa, nec vrant: & quæ vrant, nec vrantur, imò ne caleant quidem.

Idem ep. 142. ad Damasum. *Seraphim, id est, ardor, incendium.*

D. Chrysost. homil. 3. de incomprehensib. Dei nat. *Seraphim à candente flagranteque ore nomen inuenerunt.*

Sophronius in Encomio S S. Archangelorum. *Cum vos ô Seraphim, ob incẽdendi expiandique vim, quâ polletis, omnem malitiam, omnemque fœditatem absumere, & expiare consueuistis, incensorum & calefactorum nominibus designemini &c.*

Psal. 103. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem.*

Vel indè discas incensos, atque incendiarios, ipsos esse, quòd Seraphinus fuit is, non alius quiuis, qui tulit carbonem de altari, ad Isaiæ labia vstulanda, inflammanda, perpurganda, vt essent deinceps

Fulgura vera viri, vel vera tonitra, voces. Isai.

Quod

Quod sunt caniculares dies, aut mordaces Caniculæ æstus, corporibus : hoc Seraphini pectoribus ac mentibus nostris.

Sed, bone Deus, quàm arsit semper amore tui Frãciscus hic noster?

Quis non AEtnam aliquam ingẽtem, in eius viuẽtis pectusculo latitare dixisset, vel totum Vesenum, flammiuomum illum Campaniæ montem? Vt Ignem fumus & scintillæ, sic amorem eius in Deum flagrãtissimum, opera, & vita tota, indicarunt.

Psal. 38. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.*

Et quantum ille ignem, & quas diuini amoris faces aliorum pectoribts in viuis agens inijciebat, incendiarius ille priuilegiarius?

Accede ad ignem hunc, calesces plus satis, ait ille.

Ipse erat lucerna ardens, & lucens, adde & inflammans.

Ignem veni mittere in terras, & quàm volo vt ardeat? Luc. 12.

Non Cupido, fabulosus ille vesani amoris Deus, *flammis & sagittis armatus, per alienas domos discurrens*, studiosior eiaculandorum suorum in omnes ignium profanorũ non certior, quàm Franciscus noster incendendorum populorum, sacro igne amoris Dei.

Totus quasi quidam carbo ignitus, diuini amoris flammâ videbatur absorptus. D. Bonau. c. 9. vitæ. *Hei mihi qualis erat.*

Planè talis, quales vult nos esse D. Paulus, nempè *feruentes, Deo seruientes.* Rom. 12.

Deo seruiebat *in spiritu Iudicy, & Ardoris.* Isai. 4.

Et erit in Israel in igne, & sanctus eius in flammâ. Isai. 10.

Excreuerat in Francisco insuperabile amoris incendiũ boni Iesu, in lãpades ignis atque flãmarũ. Bon. c. 13. vitæ.

Salamandra quædam rationalis videri potuit, in medijs diuini amoris ignibus nutriſcens, at non extinguens, imò augens potiùs, & faciens ad alios vſq; flammam proſerpere.

Non eſt (aut fuit olim) *qui ſe abſcondat à calore eius.* Pſal.

Dubitas? Aut vin' ardorem D. Franciſci nôſſe? vide, & audi eius
- 1. *Facta;*
- 2. *Dicta.*

* 1. *Facta*, cuiuſmodi eſt
- 1. *Veſtimentorum abiectio;*
- 2. *Patientia niuium, in quas aliquandò eum latrones intruſerant;*
- 3. *Quæſitum balneum niuium, hieme;*
- 4. *Ignium Sultani contemptus;*
- 5. *Pauper rigens, ſolo eius adtactu calefactus,*
- 6. *Nuditas ſpontanea morientis.*

Ex factis enim, vt ignem ex fumo & ſcintillis, æſtum amoris viri huius intelligas.

Cauſam effecta demonſtrant.

* j. *Veſtimentorum abiectio*, id eſt, & ipſorum, & omnium ſimùl temporalium, & iuris in ipſa: *ex amore tantùm erat homini incendium.* Plaut. in Aſin.

Quid enim ſunt terrena omnia, niſi quædam corporis indumenta? Greg. hom. 32. in Euang.

Veſtibus ſeſe exuere ferè non ſolent, niſi qui valdè æſtuant, vel ab ardore Solis, vel à violento labore, vel à febre acutâ &c. vel qui torrida loca ſunt ingreſſuri, vel calenter æſtuoſa opera, aut itinera adgreſſuri.

Scytalen ſerpentem adeò feruidum accepimus, vt etiàm hyemis tempore exuuias deponat, quæ depoſitæ etiàm ferueant: vndè Lucanus:

Et

Et Scytales ſparſis etiàm nùnc ſola pruinis
Exuuias poſitura ſuas.

Hinc nudas Gentes videre eſt ſub axe vrentiore, quoſdam diebus tantùm Canicularibus, quoſdam in Officinis tàtùm. vt in Coquinis, vt in Thermis & balneis, vt in Hypocauſtis, vt in Cyclopum & Fabrorum ferrariorum ſpeluncis &c.

At quàm ſæpè veſtes exuit D. Franciſcus, præ Chriſti amoris incendio, & ante conuerſionem ſuam ad Deum à ſæculo, & poſt eam.

Primùm: nondùm relicto ſæculo, nouis indutus veſtimentis, obuij cuiuſdam generoſi militis, ſed pauperis, & pannoſi *pauperiem pio miſeratus affectu, illum protinùs, ſe exuto, veſtiuit.* Bonau. cap. 1. vitæ.

Coram Epiſcopo, & patre carnis ſuæ, omnia veſtimenta, etiàm femoralia ipſa depoſuit, & ea reſtituit Patri, iuſque omne Filij & hæredis planè abdicauit, dicens Patri: *Vſque modò te vocaui patrem in terris; amodo autem ſecurè dicere poſſum, Pater noſter, qui es in cœlis &c.* Bonau. c. 2. vitæ.

A Conuerſione verò, tàm ſæpè exuuias ſuas, indumias pauperem faciebat, vt eſſet hoc vnum illi à Prælatis prohibendum.

Adeoque pauperum veſtiendorum exuuijs ſuis ſtudioſus erat vir ille, vt nullam veſtem, aut chlamydem à quoquàm accipere ſoleret, niſi ea conditione, *vt ei liceret dare pauperi cuicumque, qui ſe vinceret nuditate.*

Seminudus propemodũ viuebat *in frigore & nuditate.* D. Bouau. c. 5. vitæ eius. *Vnica paupere contentus tunicula, in nuditate Domino ſeruiebat, & frigore.*

Duplicium erat hoſtis iuratiſsimus in ſe, ac ſuis, planè bonus Adamita futurus, & Antagoniſta eorum, quos videmus quauis cepâ veſtiores.

Vt Ionathas quondàm ingentem illũ amorẽ quo

Dauidem animæ dimidium suæ prosequebatur, vestatus est, cùm se, eius gratia, tunica, reliquisque vestimentis, vsque ad gladium & arcum, & balteum, spoliauit, eique tradidit; sic Franciscus adeò omnibus renuntians, ardentem suam in Christum charitatem; & (vt sic dicam) Seraphismum ostendit. 2. Regg. 18.

Nôrat enim profectò Athleta veteranus, cum hoste nudo, nudè esse luctãdum ei, qui ad fectet victoriã.

Nàm si vestitus quisquam cum nudo luctatur, citius ad terram deijcitur, quià habet, vndè teneatur. D. Greg. homil. 32. in Euang.

Et sciebat, hominem nudum serpenti adeò formidabilem esse, vt eum ne contingere audeat quidem, qui alioquî in vestitum irruit, & insultat. *F. Bartholomæus Anglicus Minorita, in suo Proprietario lib. 18. c. 1.*

Et decere nudi Christi milites, nuditatem, id est, parcum vestimentum.

Ipse Deus nudus, nudos iubet ire ministros:
Nec satis ad cursus commoda vestis erat. Ouid. lib. 2. Fast. loquens de Ardacibus, & Pane, ipsorum fabuloso Deo.

* ij. *Patientia iniuium,* in quas eum latrones intruserant.

Cùm enim aliquandò *ciuitate relictâ, secretum solitudinis petijsset, vt solus & silens supernum audiret arcanum, dumque per syluam quamdam iter faciens, laudem Domino lingua Francorum decantaret cum iubilo; latrones in eum ex abditis irruerunt, quibus feralí animo, quis esset interrogantibus, vir Dei prophetica voce respondens:* Præco sum, *inquit,* Magni Regis. *At illi persecutientes cum, in defossum locum, glaciatis aquis plenum, protruserunt, dicentes:* Iace, rustice Præco Dei. *Ipse verò, recedentibus illis, exiliens, magno exhilaratus gaudio, voce elatiori cœpit nemora Dei laudibus implere.* Partim ex Speculo vitæ Franciſci quod castigamus, art.

articulo quarto, partim ex Bonauen. cap. 2. vitæ eius.

Ergo immensam illam puta, quam *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flamma.* Cant.

Imò, vt ignes quidam nescio quo artificio excitati, quos Græcos nostri vocant (gall. *feus Gregeois*) hoc magis ardere dicuntur, quò diligentius aquis inspergantur, aut immerguntur; sic D. Franciscus tùnc fuit, amorem in Deum duplicauit.

Stygem tùm quandam foris patiens licèt, totus tamen Christi amore intùs sic ardebat, vt dicere posset,

Vror vt inducto cerat æ sulfure tædæ:
Vt pia fumosis addita thura rogis. Ouid. ep. Didonis ad AEneam, libro Heroid.

Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni. Virg. 4. AEn.

Herculem Oetæum putâsses in pyra conflagrantem.

Vt tribus adolescentibus, in media fornace Babylonis constitutis, nescio quis ros diuinus & inuisilis refrigerium præbuit; ità contrà, tunc Franciscum in medijs niuibus & glacie rigentem internus diuini amoris ignis refocillauit. *Daniel.*

Frigora ne possim gelidi sentire profundi,
Qui calet, in cupido pectore, præstat amor. Ouid. ep. Leandri ad Heronem, lib. ep. Heroidum.

Quemadmodum olim *vbicumque erant filij Israel*, ibi in medijs etiam illis palpapilibus & propè secabilibus AEgypti tenebris, *Lux erat*; sic vbicumque D. Franciscus erat, ibidem cęteris licèt frigore rigentibus, æstus erat. *Exod.*

Media hyeme, vexantibus & glaciantibus æquora, & humana corpora Aquilonibus, iste homo in visceribus, in pectore, in animo, pluſquam Canicularium dierum æstus sentiebat.

Columnam ignis, imò AEtnam, hominem illum dixisses.

*iij. *Quæsitum balneum niuium* mediâ hyeme, non thermæ voluptariæ, cuiusmodi illæ Aquisgranenses, aut ille Constantini, quæ à Socrate historico memorantur, non ad voluptatem capiendam, sed abigendam, sed vincendam.

D. Bonau. c.5. vitæ eius. *Circà conuersionis suæ primordia, tempore hyemali, in foueam glacie plenam se ipsum plerumque mergebat, vt & domesticum sibi hostem perfectè subigeret, & candidum vestimentum pudoris, à voluptatis incendio, præseruaret.*

Idem ibid. *Graui tentatione carnis agitatus, depositâ veste, chordâ cœpit se verberare fortissimè.... insuper & mirando feruore spiritus animatus, apertâ cellâ foras exiuit in ortum, & in magnam niuem corpusculum suum nudatum demersit &c.*

Si Horus quidam apud Macrobium, sic probat, calidiora esse mulierum corpora, quàm virorum, dicens: *Nonne videmus mulieres, quandò nimium frigus est, mediocri veste contentas, nec ita operimentis pluribus inuolutas, vt viri solent: scilicet naturali calore, contrà frigus, quod aer ingerit, repugnante*: nonne & hinc ardere Franciscum putes? *Macrob. lib. 7. Saturn. cap. 7.*

* iiij. *Ignium Sultani contemptus*, & aliorum.

In Syriam enim aliquandò profectus, studio conuertendorum ad Christi fidem Saracenorum, ad Sultanum ipsum adductus, & ab eo libenter auditus, tandem dixit: *Si hæsitas, propter fidem Christi, legem Mahometi dimittere; iube ignem accendi permaximum, & ego cum Sacerdotibus tuis ignem ingrediar, vt vel sic cognoscas, quæ fides certior & sanctior, non immeritò tenenda sit.* Causante verò Sultano, nullum Sacerdotum suorum id ausurum; subiecit: *Si mihi velis promittere pro te & pop. tuo, quòd ad Christi cultum, si ignem illæsus exiero, veniatis; ignem solus intrabo.* Bonauent. c. 9. vitæ

vitæ eius.

Aliàs illectus ad venerem in aulâ Friderici Imperator. petulans scortum vocat ad se in igne Salamandræ instar iacentem. *Vide lib. Conformit. fructu* 10.

Vis maior scilicet, vis maior minorem obtundit. Ignis maior, minorem in illo viro absorbebat: & *amor pellebat amorem*, diuinus humanum. (Gal. prou. *Le plus fort l'emporte.*)

Aliàs mediâ ferè noctis horâ, fratribus orantibus, in curru igneo vectus instar Heliæ, aut Apollinis solaris aurigæ, apparuit. *D. Bonau. cap. 4. vitæ eius.*

Quid hominis, istum putes? An non igneum omninò, qui in igne, quasi in centro, & re naturæ suæ cõformi, conquiescat, vt in aquis ranæ aut pisces, aut in aere volucres?

Ignis in igne fuit.

Vincebat paruos maioribus ignibus ignes.

Certè, si contra Horum Cynicum, sic probat Symmachus, frigidiora esse mulierum corpora, quàm virorum, dicens apud Macrobium quoque: *Quòd frigus aeris tolerabilius viris mulieres ferunt, facit hoc frigus suum. Similibus enim similia gaudent. Ideò ne corpus earum frigus horreat, facit consuetudo naturæ, quàm sortitæ sunt frigidiorem*: & ego Franciscum nostrum Seraphinum fuisse, & ardentem, indè probo, quòd ignium atque incendiorum tàm patiens fuit. *Similibus enim similia gaudent.* Macrob. lib. 7. Saturnal. c. 7.

*v. *Pauper rigens*, solo eius adtactu calefactus. *Contigit enim tempore hyemali, propter debilitatem corporis, & asperitatem viarum, hominis vnius pauperis subuectum asello, sub rupis cuiusdam prominentis pernoctare crepidine, vt nuis & noctis superuenientium quo quo modo declinaret incommoda, quibus præpeditus*

ad hospitij locum non valuerat peruenire. Cùm autem vir sanctus hominem illum queruloſis ſubmurmurantem gemitibus, hinc indè ſeipſum iactare ſenſiſſet, tamquàm qui tenui operimento contectus, quieſcere præfrigoris acerbitate nequibat: diuini amoris igne ſuccenſus, manu illum protenſa palpauit. Mirabile certè. Repentè ad illius ſacræ manûs contactum, quæ Seraphici calculi gerebat incendium, omni fugato frigore, tantus in virum intùs & extrà calor aduênit, ac ſi quadam in eum vis flammea, ex fornacis ſpiraculo, proceſiſſet. Nàm ilicò & mente & corpore confortatus, ſuauiùs inter ſaxa & niues, vſq; manè, dormiuit, quàm vnquàm in proprio lecto pauſauerat, ſicut ipſe poſtmodum adſerebat. D. Bonauent. c. 13. vitæ eius.

Quàm ergò æſtuabat, & ardebat is, cuius vel leuis contactus alium ſic inflammabat, iàm penè in ſtatuâ glaciei conuerſam.

Ardere neges ſcorpionem, maximè in meridie, cùm Solis ardoribus canduerit, & cùm ſitit, qui, quem adtigerit, vrit, & inflammat, ſed moriturum?

Ardere neges draconem, qui quandoque æſtu veneni ſui aerem inflammet, & ſpirare atque efflare ex ſeſe ignem videatur? qui ſitiat elephanti ſanguinem, ob eius frigiditatem? *F. Barptolomæus Anglicus Minorita lib. 18. Proprietarij cap. 37.*

Ardere neges craticulam Laurentij, *quæ vim in ſe habebat vrendi?* D. Leo ſerm.

Nemo dat alteri, quod non habet.

Propter quod vnumquodque tale, & illud magis, ait Schola.

Ea gradum ſuæ perfectionis adtigêre, quæ ſui ſimilia poſſunt producere.

Homo tùm cenſendus perfectus, cùm ſibi ſimilis gignendi eſt capax.

Similiter artium Magiſtri, tàm militiæ, quam rogæ &c.

Vene-

Vehementer ergò arsisse Franciscum oportuit, cuius tactu homo congelatus potuit incalescere.

Si animæ nonnullorum, vel in Purgatoriis, vel in æternis ignibus constitutæ, excitato in aliis, per contactum perbreuem leuemq;, ingenti calore, vim torméti atque incendij sui aliquādò sunt testatæ; crux nō etiā potuerit Franciscus sic testari flāmas amoris sui?

* vj. *Nuditas spontanea* morientis. Quo enim tempore nullus cento, aut lodix, etiàm septemplex, satis hominem operit, nulla fométa, nulla hypocausta, nullę candentes ferri laminæ satis refocillant, vtpotè emortuo iàm & frigido sanguine, caloris fonte (vndè & frigidam mortem Poetæ adpellarunt: illo ipso Franciscus noster, non homo, sed Seraphinus, quasi nimis æstuans, & vestibus, & lecti stragulis, spoliari prorsus se iubet, nudaque humo sterni quouis verme nudiorem.

D. Bonauent. c. 14. vitæ eius. *Ad S. Mariā de Portiunculā se portari popposcit, quatenus, vbi acceperat spiritum gratiæ, vbi redderet spiritum vitæ. Quò cum fuisset perductus, vt veritatis exemplo monstraret, quòd nihil erat illi commune cum mundo, in illa infirmitate tàm graui* (omnium scilicet vltima) *super nudam humum se totum nudatū in spiritus feruore prostrauit, quatenus hora illa extrema, in qua poterat adhùc hostis irasci, nudus luctaretur cum nudo.*

Scilicet, vt Dominus omnium è cruce nudus pepēderat, ità tùm eius fidelis seruus.

Aliter planè quàm Dauid, qui *cū operiretur vestibus, non calefiebat*, ætate iàm ingraueſcente, vndè quæsita toto regno adolescentula virgo, & inuenta *Abisag Sunamitis* pulcherrima, quæ ei condormiret, & frigidū foueret, hoc tantùm. 3. *Regg. c. 1*

Franciſci frigentia non tàm ætate, quàm ieiuniis & laboribus, mēbra fouebat ardētissima Charitas, &

& amor Dei , loco Dauidicæ illius adoleſcentulæ.

Ne dicam, quod omnes concupiſcentiæ cuiuſcumque ignes, ignibus illis diuini amoris, tota vita reſtrixerit, fueritque in illo

Patre, nouus, veteris finis amoris, amor.

Et hæc quidem de factis Franciſci, Seraphicum eius amantis ardorem, & ardentis amorem , teſtantibus, ac talibus, vt non temerè olim in duplici Italiæ ducato (quem vocant) valoris ſex florenorum & octo aſsum , vno latere fuerit caput pileo quaſi Germanico coopertum, ità circumſcriptum. I.F. PICVS MIRAND. D. C. C. altero verò, D. Franciſci genuflexi effigies, cum Seraphino, & his verbis: AMORIS MIRACVLVM.

Dicta ergò nùnc quoque eius audiamus.

* 2. *Dicta. Fluuius igneus rapiduſque egrediebatur* ex ore eius. *Daniel.7.*

Cant.8. *Lampades eius, lampades ignis atque flammarum.*

Pſal. *Ignitum eloquium tuum vehementer.*

Matth.12. *Ex abundantiâ cordis os loquitur.*

Loquela tua manifeſtum te facit, ſeu probus ſis, ſeu improbus.

Cicero, aut quiuis alius orat. in Salluſt. *Neq; enim qui ità viuit vt tu, aliter, ac tu, loqui poteſt: neque qui tàm illoto ſermone vtitur, vitâ honeſtior eſt.*

Loquere, vt te videam, aiebat adoleſcenti cuipiam taciturno philoſ. quiſpiam, hùc ſpectans.

Interiora corporis humani an ſana aut ægra ſint, anhelitus oris ſeu teter, ſeu ſuaueolens manifeſtat.

Quale quantumque ſit in fornace incendium, indicant, fumus , fauillæ , & ſcintillæ , è camino & faucibus erumpentes.

Erant ipſius (Franciſci) *eloquia non inania , nec riſu digna*

digna, sed virtute Sancti Spiritûs plena : erant medullas cordis penetrantia, vt in vehementem stuporem audientes conuerterent. Bonau. cap. 3. vitæ.

Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dùm loqueretur in viâ, & aperiret nobis scripturas? dicere poterant, cum viatoribus illis duobus Emmauntinis, D. Francisci auditores. *Luc.* 24.

Ergò, *Tolerabilius viro spirituali fore incomparabiliter asserebant, magnum sustinere frigus in carne, quam ardorem carnalis libidinis vel modicum sentire in mẽte.* Bonau. cap. 5. vitæ.

Interrogatus etiàm *aliquandò, quomodò vestitu tàm tenui se posset ab hyemalis algoris asperitate tueri: in spiritus feruore respondit : Si supernæ patriæ flamma per desiderium, contingeremur interius; frigus istud exterius facile portaremus.* Bonau. cap. 5. vitæ.

Sic concipiebat ignem, sic ardebat Franciscus, sic ignem spirabat, vt & alios inflammaret draco iste innoxius, Pyrites iste flammiuomus, diuinus iste amoris Incendiarius, ad amorẽ Dei, amore Dei accendens vniuersos.

Psal. *Ignis àfacie eius exarsit, carbones succẽsi sũt ab eo.*

Samsonis trecentæ illæ vulpes, caudis suis igniferis, non plures aristas, toto Philistinorum agro, incenderunt, quàm homines ignito eloquio suo, & vitæ instituto, Franciscus noster. *Lib. Iudicum.*

Sacri ille ignis omnes sanctâ cõtagione adficiebat.

Vritque videndo fœmĩnas?

At Franciscus etiàm loquendo.

Accede ad ignem hunc, imò vel tantùm vide, vel audi crepitãtẽ *& iam calesces plùs satis.* Terẽt. in Eun.

Aloisius certè Lippomanus Episc. Veronensis, sic de se ingenuè fatetur: *Ego, vt verum fatear, cùm S. Francisci vitã lego, non solùm accendor, sed in eius meditatione totus exardesco: vtpotè in quo tãta diuini amoris cla-*

claritas effulserit, vt Angelus potiùs, atque ex supremo Ordine (qui ardor & incendium dicitur) magis quàm homo posse dici videatur.

Vtrobique ignis & flamma, in vita & in lingua, non, vt in quibusdam, sola verba flammantia.

Quod de Origene (penè dixi sancto) olim ferebatur: *Hic est, qui quale habet verbum, talem habet vitã, quia, quæ docet, agit; & quæ agit, hæc docet:* id de Frãcisco quoque dici potuit.

Euseb. Cæsar. lib. 6. hist. Eccles. c. 3. *Dicebatur (sicut aiunt) de eo, quia hic est, qui quale habet verbum, talem habet & vitam: & qualem habet vitam, tale habet & verbum: quoniam quæ docet, agit: & quæ agit, hæc docet.* Vbi ad marginem sic est adnotatum: (*Hic est, qui quale habet verbum, talem habet vitam. Et qualem habet vitam: non est in antiquo exemplo.*)

Id demum est *facere, & docere.* Act. 1.

Ergone, ego rectè (Auditores &c.) Franciscum & Angelum, & Seraphinum adpellaui?

Seraphim, Seraphim planè fuit, maximè verò, si verum est, quod ait D. Hieronymus. Nàm Franciscus maximè miserlis peccatoribus *omnia factus est.*

D. Hierony. ep. 142. ad Damasum. *Quidam Græcorum in scripturis adprimè eruditus, Seraphim virtutes quasdam in cœlis esse exposuit, quæ ante tribunal Dei adsistentes, laudent eum, & in diuersa ministeria mittantur, maximeque ad eos, qui purgatione indigent, & ob pristina peccata, aliqua ex parte, supplicijs purgari mereantur.*

Sequitur. *Ascendentem ab ortu solis*, id est, vel
1. *Nascentem;*
2. *Cœlestia sola spectantem;*
3. *Proficientem.*

* 1. *Nascentem*, quo etiam significato dictum, *fons ascendebat è terra.* Gen. 2.

Ascen-

Ascendentem ergò, quià scilicet Franciscus noster Assisij, in vallis Spoletanę partibus, natus est, quę nũc dicitur Ducatus Spoletanus, Italiæ pars.

Spoletium, non Spoletum, vocat Paterculus Historicus.

Et quidem *ab ortu Solis*, inquit, spectans vel
1. *Situm*;
2. *Tempus vel natiuitatis; vel visionis*;
3. *Qualitatem, ac mores æui illius.*

* 1. *Situm*, seu illius qui nasciturum videbat; seu illius, qui videbatur; id est, vel vidi ego degens in Oriente; vel, vidi nascentem in Oriente.

Patria certè D. Francisci Vmbria fuit, Italiæ regio, pars Tusciæ, seu Hetruriæ (Gall. *Toscane*) sic dicta (vt nonnullis placet) quòd ob montium altitudinẽ, & Apennini vicinitatem, vmbrosa sit; quamuis aliqui ἀπὸ τοῦ ὄμβρου potiùs, hoc est ab imbre, nominatam volunt, quòd Vmbri omnium Italiæ populorum antiquissimi, inundationi terrarum & imbribus superfuisse credantur, vt scribit *Plinius lib. 3. c. 14.* Propert. lib. 4. *Vmbria te notis antiqua penatibus edit*, vrbe Assisiâ.

Eam autem ad ortum solis dicimus, non ratione solis huius visibilis, quem bruta communiter nobiscum intuentur (nam sic non est Orientalis:) sed ratione Solis & Lucis inuisilis, rectæ sc. Fidei & Doctrinæ, cuius adspectus & vsus proprius est hominũ, quæ ab Italiæ partibus, maximè eius Principe Roma, oritur, & in reliquum orbem Christianum diffunditur.

Vmbria enim, & Hetruria, non ità procùl ab vrbe Româ, vero Fidei Catholicæ Oriente, distant, vt eas mystici Orientis nomine non liceat compleCti.

Ex

Ex illo ergò Oriente ascendit nascendo Franciscus, à Iohanne Euangelistâ præuisus; Iohannes verò, quum eum præuidebat, in Patmos exul agebat, insulâ satis orientali.

Pape. quàm pulchra ac beata ista generatio, quæ à loco ortus sui gloriam accipit, & vicissim reddit.

Plato *Deo gratias agebat quotidiè, quòd homo natus esset, non brutum; quòd Græcus, non barbarus: quòd temporibus Socratis.* Marsilius Ficinus cap. 12. vitæ Socratis.

At longè glorioſius vtiliusque in Italiâ nasci, quàm in Græcia: Romæ, aut in viciniâ, quàm Athenis, aut in Attica regione, non quià Italia aut Roma gentium victrix, sed quia Fidei Christianæ doctrix.

Barbaries idolatriæ, superstitionis, ac morum, magis quàm Barbaria ipsa loci tantùm, formidanda.

Glorioſissimum verò, cum quis glorioſa patria dignus est, imò cùm eam facit glorioſiorem, & ortu alumni sui gloriantem, etiàm si alumno patria esset ingloria, vt quondàm Anacharsidi Scythia. *Laert. lib. 1. cap. 6.*

Inclarueras quidem iàm pridem Italia & Vmbria tàm multis nominibus, vt Francisco fuerit gloriandũ te Patriâ habuisse: sed tamen si quod verum est, fateri libet & licet, facta es multò clarissima, ô Vmbria, vnius huius Franciſci Assisinatis ortu ac productione.

Vt tu, Vmbria, àveteribus iacteris *terris fertilioribus* (Propertio scilicet lib. 1. eleg. vlt.) nullius tamen rei neque tibi, neque orbi, fertilitas tua vtilior, aut glorioſior, quàm huius tantæ sanctitatis viri, tàm feracis bonorum, tamque toto orbe fertilis.

Vmbre-

Vmbrosam aut obscuriorem si te faciunt Alpes Pœninæ, seu Apennini & montium illa vicinitas; hic Diuorum Italiæ velut Apenninus, & eminentissimus, Franciscus ex te surgens, tibi iàm dat longissimè, latissimè, diutissimeque splendescere, & coruscare.

O memorande senex, quo se vetus Vmbria tantùm Iactat. Mantuan.

Hinc semper *honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.* Virg. 4. AEn.

Imò si te Apenninus vmbrosam facit, & tibi obumbrando satis commodè nimis vrentia & mordacia æstiui Solis tela, & rabidos Caniculæ morsus à te arcet: Franciscus iste noster & vester, precum & sublimium meritorum suorum obiectu, vmbram tibi præbat, longè latiorem ac lætiorem, auertens à te, contrà te accensi, iratique tibi Numinis iram, si quandò (vt sunt mortalia) contingit illam peccata vestra promereri.

Deinceps (tu, seu Vmbria, seu Imbria) es sanè clarior, seruata ab inundatione, & imbribus peccatorũ æuo illo Franciscí grassantium, & nunc quoque seruanda à peccatis, hoc tempore instar imbrium ac torrentium ruentibus, ipsorumque pœnis, sancti huius ciuis tui interuentu, quàm quòd olim fortè seruata fis, ab illa terrarum inundatione.

Sunt enim, sunt etiàm (si nescitis, Auditores) inũdationes & torrentes quidam peccatorum, & quidẽ rapidissimi & nocentissimi, sunt & pœnarum ipsis debitarum cataclysmi.

* *Peccatorum.* Oseæ 4. *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt.*

Psal. 17. *Circumdederunt me dolores mortis; & torrentes iniquitatis conturbauerunt me.*

In-

Inundant quidam, ſuam quiſque Vrbem & Orbem, Iniquitate, vt contrà quidam alij Iuſtitia & Sanctitate.

Iſaiæ 10. *Conſummatio abbreuiata* populi Iſrael *inundabit iuſtitiam.*

** Pœnarum quoque ipſis debitarum, ne dedecus culpæ careat decore Iuſtitiæ.

Teſtis, qui ad mortem vſque, pro nobis *de torrente in via bibit.* pſal.

Thren. 3. *Inundauerunt aquæ ſuper caput meum: dixi: Perij.*

Iob. 22. *Putabas te tenebras non viſurum, & impetu aquarum inundantium non oppreſſum iri.*

Iſai. 28. *Flagellum inundans cùm tranſierit, eritis ei* (Morti, & Inferno) *in conculcationem.*

Iob. 21. *Lucerna impiorum extinguetur, & ſuperueniet eis inundatio.*

1. Mach. 2. *Inundauerunt ſuper eos mala.*

Pſal. 123. *Torrentem pertranſiuit anima noſtra.*

Omninò, ſicut probis ſunt etiàm torrentes præmiorum.

Torrente voluptatis tuæ potabis eos. pſal.

O Vmbria, Vmbria; quàm multis peccatoribus producto hoc Franciſco, vmbram denſam ac tutam peperiſti.

Quàm multi periſſent, & quàm multos adhùc *Pater omnipotens adigat nùnc fulmine ad vmbras,*

Pallentes vmbras Erebi, noctemque profundam, in Vmbriam vmbroſiſsimam & miſerrimam; ſi non vmbrâ meritorum Franciſci tegerentur; vel ſi non monitis Franciſci ac filiorum eius, ab vmbrâ mortis, ac tenebris ignorantiæ ac nequitiæ, ad vitam & lucem, reuocati reuerterentur.

Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis eius ſperabis. pſal. 90.

Et vo-

Et volucres cœli, sub ramis huius arboris sinapis, requiescunt. Matt.13.

* ij. *Tempus, vel natiuitatis,* vt *ab ortu Solis,* sit idē quòd manè, post ortum iàm Solem, inquam, Iustitiæ Iesum Christum, post quem diu natum, natus est Frāciscus.

* *Vel visionis* tempus, id est, quòd *ab ortu solis,* & manè cœperint Ioanni ista adparere.

* iij. *Qualitatem,* ac mores æui illîus, quo natus est Franciscus.

Nàm ferè circa solis ortum
1. *Vmbræ maiores sunt;*
2. *Per frigidior;*
3. *Sensuum vsus maior.*

* j. *Vmbræ maiores* sunt, vti & vespere, vndè illud Autoris incerti:

Manè cadit crescens, & vespere grandior vmbra.
Maioresque cadunt altis de montibus vmbræ. Virgil. ecl. 1. Bucol.

Hieremiæ 7. *Longiores factæ sunt vmbræ vesperi.*

Manè peregrinantibus nobis ab oriente occasum versus, vmbræ magnæ corpora nostra præcedunt, adeò vt pumilio cubitalis, sibi gigas videri possit; subvesperū verò etiàm vmbra longa & magna consequitur eundem cursum tenētes. Hæc præit, hæc sequitur.

At *quæ est hæc parabola?* inquis.

Dicturiebam. Vmbræ homine, & rebus quibuscumque maiores, fastum indicāt, quo videtur sibi homo aliquid esse, cùm nihil sit: indicant & falsas de rebus opiniones.

Hominem vmbram suam sequi, est philautiâ laborare, amatorem sui nimium esse, & bonorum suorum immoderatum admiratorem, cuiusmodi Narcisus fuit formâ suâ stupescens; & Pygmalion, imagine eburnea à se facta.

Hominem vmbram sequi, est vanitatibus delecta-

ri,temporalia bona,& euanida gaudia, meras *vmbras futurorum*,conſectari,amplecti,&c.

Hominem ſequi vmbram ſuam,eſt vxorem,& liberos ardentiùs amare,vſque ad offenſam Dei. Nàm vt vmbra prodit ex corpore, ſic vxor ex viro,& filij ex parentibus.

Et inanem proſequar vmbram. Lucret. lib.1.

Aſcendit ergò *ab ortu ſolis* Franciſcus,id eſt, æuo illo natus eſt, quo arrogantia toto mundo graſſabatur,quo erant homines ſenſo ſuo magni, nimis amãtes ſeipſos,ſuos,& ſua,& hùc omnia referẽtes;cœlo, Deoq; ipſo cœli neglectis;vno verbo,eo tẽpore, quo *omnis caro* rurſus *corruperat viam ſuã*(geneſ.6.) adeò, vt rurſus *pœnituerat Deum fecisſe hominem*(ibid.)meditareturque nouum orbis excidium, vt mox dicam.

Dicere tùnc erat:*Filij hominum &c.vt quid diligitis vanitatem,& quæritis mendacium?* pſal.4.

Vt ſole oriente ſunt magnæ corporum vmbræ; ſic æuo illo erant homines arrogantes , & rerum mundanarum magni æſtimatores , atque admiratores.

Tùnc *In pretio,pretium.*

Quantum cuique ſuâ nummorum ſtabat in arcâ,

*Tantum erat & fidei,*illi, eiuſque verbis , tantùm dignitatis.

Cenſu ſenſus æſtimabatur:dabat *cenſus honores.*

* ij.*Aer frigidior*, propter ſolis totâ nocte abſentiam,& iàm exhalatum totum, qui conceptus pridiè fuerat,calorem.

Addæ Lunæ,frigidi & humidi ſideris , tota nocte dominatum,cuncta humectantẽ ac refrigerantem,& ventorum nocturnum imperium (vt taceam roſidæ & humidæ Auroræ potentiam.

Vndê & illud:*Frigida vix cœlo noctis decesſerat vmbra.* Virgil.in Buc.

Humi-

Humentémque Aurora polo dimouerat vmbram. Idem 4. Aeneid.

Natum ergò esse, aut *ascendisse* D. Franciscum *ab ortu solis*, est, eo æuo datum fuisse, & natum nobis, quo tepebant, imò frigebant, ac tantum non in solidam glaciem diriguerant ambæ, Charitas, diuina scilicet & humana.

Tempora illa dixisses tùnc esse, de quibus Christus: *Quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Matth. 24.

2. Timoth. 3. *In nouissimis diebus, instabunt tempora periculosa: erunt homines seipsos amantes, cupidi ... ingrati ... sine affectione, sine pace, criminatores ... immites, sine benignitate proditores, ... voluptatum amatores magis, quam Dei.*

Homines æui illius dixisses, æreos, ferreos, adamantinos, statuas glaciales; *pectora Hyperboreâ frigidiora niue.*

Surdis narrabant fabulas, qui tùnc opem, aut stipẽ petebant; qui de probis moribus, in foro, vel in templo, vel domi, vel militiæ tractabant:

Parsque suum mũdi nulla tenebat iter. Ouid. 1. Trist.

Terminum potiùs loco suo, quam cuiusquam animum, mouisses. *De Termino vide Gell. lib. 12. noct. c. 2. & Ouid. lib. 2. Fast.*

Qui tùnc temporis non rigebat, frigebat; qui non frigebat, tepebat; nullus in quoquã, aut in pauculis, vitalis calor.

Ignis totus, non elementaris ille, aut corporeus, sed spiritalis, quem mysticus noster Prometheus Iesus Christus, in hũc orbẽ intulerat, ac latè incẽderat, & in altari suo perẽniter arderevoluerat (*Ignem*, aiebat, *veni mittere in terras, & quid volo, nisi vt ardeat?*) aquis tùnc & imbribus abũdantioris iniquitatis cõplutus, vel valdè elãguerat, vel omninò extinctus, &

ruinâ ac cinere obrutus erat.

Deus ergò, beneficio sanè maximo, iterum in hominibus viuificum illum calorem excitari cupiens, torrentem hûc igneum rapidumque, animatam istam diuini amoris AEtnam, Franciscum tùnc nasci cum primis voluit, ex quo tepidi, frigidi, rigentesque, auditu, auditu, visuque ignem conciperent, recalescerent, imò etiàm inardescerent.

Igneus est olli vigor, in verbis, in factis, non illuminans tantùm, vt nos Concionatorum nùnc vulgus solemus, sed etiàm inflammans.

Os & oracula eius, vt faculæ ardentes.

Ipse erat lucerna ardens, & lucens, aduersus tanta frigora Charitatis.

Auditorum & spectatorum quilibet, ab eo audito, conspectoue regrediens, secum dicebat: *Vror, vt inducto cerat æ sulfur æ tæd æ.* Ouid. sup.

Crucior in hac flammâ. Luc. 16.

De excelso misit ignem in ossibus meis. Thren. 1.

* iij. *Sensuum corporis* vsus maior. Nàm *reddit rebus lux matutina colorem.*

Rebusque iàm color redit
Vultu nitentis sideris. Ecclesia.

Quæ noctu arbores putabantur, tùnc homines esse discernuntur, & contrà.

Legerit tùnc vel tenuissimos Iliadis in nuce inclusæ characteres, qui noctu literas vel pedales, vel cubitales non internoscebat.

Tunc aures hauriendis rumoribus, nares odoribus, fauces saporibus, manus tractandis corporibus operibusque vacant impensiùs.

Sæculo ergò illo Franciscus natus est, quo homines sapere cœperunt vt facerent malum, sapere secundum carnem, ac corporis sensus, imò verò desipere, vt sensuum erroribus seruire.

Sæculo

Sæculo illo, quo *prudentiores* facti sunt *filij huius sæculi, filijs lucis, in generationibus suis.*

Sæculo illo, quo homines naturali rationi plus tribuentes, quàm lumini Fidei, quàm ductui Spiritus-sancti, quàm Pharo, quàm columnæ ignis, Israelem in deserto, per opaca noctis, & vias inuias, deducenti, id est, Ecclesiæ, in hæreses prolapsi erant, quibus qui immersi sunt, ità insaniunt, vt ipsas ortum solis, vel lucē surgētis Auroræ vocent, quasi eatenus in tenebris sederint, & Sol iustitiæ ac veritatis nunquàm antè illis illuxerit.

Albigenses enim Hæretici, sic dicti, quod ex Comitatu Albigensi prope Tholosam (Heluios Cæsar vocat) prodierant, insanire cœperunt anno Domini M. CC. tempore Innocentij Papæ huius nominis III. monstra multorum capitum, quorum potissima hæc fuêre.

* *Primum*, Pythagorismus, de animorum è corporibus in corpora transitione.

** *Alterum*; Baptismi explosio.

*** *Tertium*; Ciborum quorumdam, vt carnis, ouorum, casei, lactis tāta damnatio, vt nec necessitate cogente vti permitterent.

**** *Quartum*; Duorum Deorum, vnius, Boni & alterius, mali, adsertio

* *Vltimum*; Resurrectionis Carnis infitiatio. *Vide Alphōsum à Castro Franciscanum, turrim illam Domini fortissimam, lib. 2. aduers. hæres. verbo Anima, hæresi 7.*

Natus, inquam, est tali ortu solis D. Franciscus, id est, eo tempore, quo sensibus corporis plus fidei habere homines cœperunt, quàm lumini Fidei &c.

*2. *Cœlestia* sola spectantem, affectantem, ambientem, terrena calcantem, mente cœlos sæpè adeuntem, perambulantem, habitantem; illic animo magis degente vbi amabat, quàm vbi animabat.

Nostra conuersatio in cœlis est.

Hoc voluit indicatum sculptor nescio quis (Vierxius fortassè) quum eum incîdit in æs, atque edidit, oculis in cœlum erectis, altero pede sursùm elato, specie ac facie quasi ad Deum euntis in Hierusalem supernam, altero globum, id est, Mundum, præmente aut calcante, cum his verbis: DEVS MEVS: ET OMNIA. *Vide Conformit. fruct.* 8.

Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. psal.

Leuaui oculos meos in montes, vndè veniet auxilium mihi. psal.

Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. psal.

Vbi thesaurus, ibi oculus.

Portio mea in terra viuentium.

Quid mihi est in Cœlo? & à te quid volui, super terram? psal. 72.

Quandò veniam, & adparebo antè faciem Dei?

Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ? & volabo, & requiescam. psal.

Homo iste igneus, vti quotidie cœlestibus flammis irradiabatur; sic in suum quasi elementarem & originalem ignem Deum, quasi in centrum, sursùm ferebatur. *Vidi Angelum ascendentem.*

Eò omnia, vndè.

Similia similibus adgregantur.

Si Moysi, & Christi, in montes ascensus significat contemplationem, & mentis in Deum erectionem, cùr non idem signet & iste Francisci ascensus?

In secretiora ergò Dei consilia sæpè oculos piè curiosos immittebat.

Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum transiuit in terrâ. psal.

Videbatur intuentibus homo alterius sæculi, quippe

qui

qui mente ac facie in cœlum semper intentus omnes sursùm trahere conaretur. D. Bonau. cap. 4. vitæ eius

Visus aliquandò *orans*, *manibus ad modum Crucis protensis, toto corpore subleuatus à terrâ, & nubeculâ quadam fulgente circumdatus, vt illustrationis mirabilis intra montem, mira circa corpus perlustratio testis esset.* Idem cap. 10. vitæ eius.

Verus *Anthropos*, id est, *sursùm tendens* erat, vt superiùs interpretabar.

Ascendebat Seraphim iste ardens instar flammæ, aut *virgulæ fumi*, *ex aromatibus myrrhæ & thuris.* Cant.

Dixisses pyramidem animatam; vel sagittam magnâ vi tortam, ascendentem in cœlum, & trigonum caput inter nubila condentem.

Illud Socratis *quæ supra nos, nihil ad nos*, contemnens, aiebat facto & re ipsâ, *quæ iuxta nos, & penes nos, nihil ad nos*, aut valdè parùm: Et: *quæ infra nos*, vt Purgatorium, vt Infernus; *quæ intra nos*, vt animus, & Cõscientia; maximè verò *quæ supra nos*, id est, Cœlum, Cœlique Dominus, Cœlicolæ, & cœleste honorarium, illa illa vel sola, vel prima, *ad nos*, id est, curæ nostræ.

Seruemus hæc, id est, vota nostra; *suspiremus* ad illa, scilicet præmia promissa fidelibus promissoribus, & vota sua Deo reddentibus: sæpè ille fratribus suis inculcabat.

Quæ sursùm sunt, quærite, vbi Christus est, in dexterâ Dei sedens, quæ sursùm sunt sapite, non quæ super terram. Coloss. 3.

In cœlum, quasi in scopum ac centrum suum, vndè exierat, & quò rediturus erat, caput, oculos, manus, animum, & hunc maximè adtollebat.

Vt se habet ferrum ad magnetem, seu Syderitin, aut succina ad paleam; sic se Franciscus

habebat ad Deum ſuum.

Vt enim *Domitrix illa rerum omnium materia* ad lapidem *currit, atque, vt propius venit, aſſiſtit, tenetur-qúe*, teſte Plinio; ſic Franciſcus, ad Dei memoriam, totus in ipſum, ſibi abreptus, ferebatur. *Plin. libr. 36. c. 13.*

Vbi erat *theſaurus eius*, amor eius, ibi *cor*, ibi oculus eius.

Expleri mentem nequit, ardeſcitqúe tuendo. Virg. 1. Aeneid.

Conſtiterat quocumque loco, ſpectabat ad Io,
Ante oculos Io, quamuis auerſus, habebat. Ouid. lib. 1. Metam.

A dilecto ſolus eum carnis paries diſiungebat. Bonau. c. 10. vitæ.

Vt Heliotropium florem, ac lupinum ferunt interdiù cum ſole rotari ac circumagi, abeuntem ſolem intueri ſemper, omnibus horis cum eo verti, etiàm nubilo die, & nubibus ſolem ipſum obumbrantibus (tantus illis ineſt ſcilicet principis ſyderis amor:) noctu verò, velut ſolis deſiderio, cæruleum orbem contrahere; ſic Franciſcus ægerrimè aliò ſpectare, & verti animo & corpore poterat, quàm ſurſùm, vtpotè vbi ſuus Sol, ſua Lux, & Lumen oculorum ſuorum eſſet, Chriſtus Dominus.

Vt olim Magi Orientales oculos ſemper in ſtellam ducem; ſic noſter Legislator ſuos in Deum ac cœlum continenter defigebat.

Quinimmò omnis illi creatura, pro ſcala, ad aſcenſum in Deum ipſum fuit.

D. Bonau. cap. 9. vitæ eius. *Per iucunditatis ſpectacula, in viuſicam conſurgebat rationem, & cauſam. Contuebatur in pulchris pulcherrimum, & per impreſſa rebus veſtigia, proſequebatur vbique dilectum, de omnibus ſibi ſcalam faciens, per quam conſcende-*

ret

ret, ad adprehendendum eum, qui est desiderabilis totus.

* 3. *Proficientem, & leuantem se supra se*, ac seipsum quotidiè superantem : fieri indies seipso meliorem ac sanctiorem ; idque *ab ortu Solis*, id est, à prima mentis illuminatione, ab aurorâ gratiæ, à primo euocationis suæ diluculo, ex mysticæ AEgypti tenebris opacissimis, in admirabile lumen Dei, in desertum, ac vitam monasticam.

Vel *ab ortu solis*, id est, ab ipsa Baptismi susceptione, quæ est illuminatio ;

Vel à prima natiuitate eius ex vtero, qua primum illi Sol iste ortus ac spectatus est.

Vt dictum à Palmistâ de improbis : *Errauerunt ab vtero* : sic hîc de probo isto *Ascendit ab ortu Solis*, id est, ab ipsa prima ferè natiuitate profecit, iuitque *de virtute in virtutem*. psal.

Ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum, in loco, quem posuit. psal.83.

Iustorum semita quasi lux splendens, procedit, & crescit, vsque ad perfectam diem. prou.4.

Donec totum impleat orbem, aiebat Henricus II. Galliæ Rex. Sicut ascendere dicimur in scholis, cùm ex syntaxi ad Poesin, aut Rhetoricen promouemur ; aut dùm sociis antecessoribus eiusdem tamen classis, nomine maioris vel eruditionis in disputando, vel facundiæ in scribendo, & themate tractando, vel disciplinæ in conuersando ; sic in via morum ac virtutum, is ascendere rectè dicitur, qui progressus ad virtutem facit, qui virtutes virtutib⁹ adgerit, qui fit seipso quotidiè melior, aliis post se longo interuallo relictis. Nàm *tendit in ardua virtus*, & rectè Veteres, seu templum, seu domicilium eius, in monte prærupto atque excelso locauerunt, vti Scientiæ & Musarum,

Sic etiàm plantas, sic arbores, sic flumina dicimus ascendere, cùm succrescunt, aut seipsis maiora fiunt.

Non petitur cœlum per saltum, vt dicitur prouerbio, non; sed ordinato ascensu, sed gradibus scalæ Iacob ritè superatis, & velut numeratis.

Sic Lothi, Christique in montem ascensus, progressum ad perfectiora designat. *Genes.* 19.

Sic Israelis ex AEgypto in solitudinem contentio, transitum à vitâ sæculari ad spiritalem adumbrat.

Cant. 7. *Ascendam in palmam*, ad perfectam charitatem Dei, indeque ad eius palmarium, ac præmium.

Isaiæ 40. *Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion*, id est, sic quotidiè progredere de virtute in virtutem, vt tandem verticem perfectionis adtingas, ibique consistas, eoque indè gregem tuum voces.

Hinc Greg. in glossâ super illud Genes. 19. In mõte saluum te fac. *Virginitas, altus mons est, ad quam Angelus hortatur. sed qui videt, se non posse ascendere, manebat in Segor, id est, in legitimo matrimonio, quia melius est mediocri bono vti, quam per abrupta libidinum præcipitari.* Vndè adparet potiora bona, montis & ascensionis nominibus designari.

Non fuit, non fuit (Auditores) D. Franciscus nolter, ex stationarijs, seu stagnantibus illis hominibus, nihilo decrepitâ ætate, & proximâ sepulchro sanctioribus, quàm primo vere aut flore Iuuentæ, qui annos quidem vitæ aut Religionis possunt numerare, Virtutes verò non item: (*Facies sua computat annos*, sed non vita: sunt *pueri centum annorum*, & ætatẽ habentes senũ, vitia adhùc habent puerorũ.)

Sed

Sed & multò minus fuit, ex *ascendentibus*, sed deindè *descendentibus Angelis*, aut potius caneris, qui aliquò progressi, mox retrocedunt, concepto hodie aliquantulo calore, cras tepescunt, perendiè frigescunt; seipsis iuuenibus, senes iam facti peiores fiunt (*priora tempora meliora*, Eccles. 7. *nouissima peiora prioribus*: *Nouissimus error peior priore*:) id est, ex illis Franciscus non fuit, vel quorum initia feruēt, media tepent, vltima frigent, & rigent; vel quorum dogmata, conciones, monita mirabilia quidem sunt & transcendentia; opera autem nil nisi lapsus & præcipitia; sed contrà quotidiè ascendebat, crescebat, & *proficiebat ætate, & sapientiâ*, & sanctitate *apud Deum & homines*.

Hoc sibi vult illud; *Vidi Angelum ascendentem*.

Bone Deus, quàm sæpè, ex ore eius illud Pauli audiebatur; *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem, quæ quidem retrò sunt obliuiscens, ad ea verò, quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatū persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu*. Philipp. 3.

Quàm sæpè fratribus occinebat, etiàm morti vicinus, & diu iàm emortuis prauis affectibus; *Incipiamus, fratres, seruire Domino Deo nostro: quià vsque nūc parùm profecimus*. D. Bonau. cap. 14. vitæ.

Tàm deerat huic auaro, huic pietatis & sanctitatis famelico, huic Tantalo spiritali, quod habebat, quàm quod non habebat.

Non quid haberet, sed quid nondum haberet, cogitabat.

Ego verò egenus & pauper sum, & virtutum inops, voces eius & querelæ erant quotidianæ.

Vt Socratem ferunt, qui tamen vnus vel idcirco Apollinis oraculo sapientissimus est iudicatus, dicere solitum: *Se nihil scire, nisi hoc vnum, quod nihil*

sciret

sciret: ità Franciſco familiare erat, de ſe dicere, ſentire, velle ex alijs, etiã ſubditis ſuis, inſtar improperij & contumeliæ occinentibus, ſe nihil profeciſſe, ſe numerum, ſe *telluris inutile pondus* eſſe, imò quouis latrone nequiorem &c. *Bonau. c. 6. vitæ eius.*

Nemò tàm congerendi auri cupidus, iungendæ domus ad domum, & facultatũ auitarum amplificandarum, quàm Franciſcus virtutum cumulandarum.

Cumuli Heſiodij cura illi maxima iſthic fuit.

Modos adinueniebat abſtinentiæ potioris, & quotidiè exercitatione creſcebat, licetque iàm perfectionis culmen adtingeret, tamquàm ſemper incipiens aliquid innouabat. Bonau. c. 5. vitæ.

Quotidiè aliquid limabat in vita, aliquid dolabat, aliquid eruderabat ex conſciẽtia; vineam ſuam auerruncabat, perpurgabat, vt plus fructus adferret; quotidiè vitam ad vnguem & amuſsim reuocabat; quotidianæ Cenſurę mores ſubijciebat, notabat, mulctabat; quotidiè tabellam animæ ſuæ recognoſcebat Apelles iſte moralis, & retractabat, nouis luminibus, admoto penicillo illuſtrabat; etiàm crepidã, vel ſutoris admonitu, emendabat.

Nullus dies huic Apelli ſine lineâ abibat.

Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhùc.

Vt Zeuſis celeberrimam illam ſuam Veneris tabulam, emendicatis vndique formoſis virginibus, & proprijs cuiuſque dotibus in ipſam coaceruatis, edidit tandem abſolutiſsimam; ſic Frãciſcus ſe ipſo quotidiè melior ac p rfectior euadebat, æmulatione & imitatione virtutum omnium, quæcumque in quocumque eminebant.

Vt Iſter, ſeu Danubius, *vnum ex quatuor fluminibus de Paradiſi fonte fluentibus, quod Phiſon à doctrina noſtrâ, apud Græcos vo Iſter, apud Romanos Danubius & apud Gothos Danubis adpellatur*, quia ſexaginta

augetur

augetur amnibus, creditur fluminum Europæ longè maximum; sic Franciscus, quia magnus imitator virtutum in alijs Diuis repertarum, & ipse nouarum repertor fuit, inter Diuos cæteros cumprimis numeratur, & ex Minore, Maior in multis Diuis censetur, & ab Angelis etiàm ipsis honoratur.

Maior seruiet Minori.

De Danubio sic, vt sup. Cæsarius frater Naz. dialogo primo, inter opera Nazianzeni.

Dicebat quotidiè Angelus iste terrestris, & Lucifer reformatus, Luciferi deiecti sede potiturus (sed alio, & reformato verborum sensu) quod olim perditus Lucifer: *Ascendam in altum, & similis ero Altissimo*: id est, contendam neruis omnibus, ad virtutum apicem, studebo quàm proximè perfectiones Altissimi, & Iesu Christi imitari. Benè, optimè.

Quidni? *Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*, ait Christus.

Ad imaginem & similitudinem Dei hûc facti sumus, vt Deum portemus in corpore, & pectore nostro, vt ipsum moribus repræsentemus.

Sapientissimè quidam sanctus Pater: *Quantumcũque profecerimus, nemo dicat: sufficit mihi, Iustus sum. Qui dixit, remansit in viâ. nõ nouit peruenire. Vbi dixit, sufficit mihi, ibi hæsit.* D. August. in psal. 69.

Imò *in viâ Dei non progredi, regredi est*, aiebat alius.

Theodorus Abbas apud Cassianum: *Qui proficere neglexerit, consequens est, vt retrò redeat, atque in deterius relabatur ... Velut si quis contra aquas fluminis violenti nauem subigere remorum impulsione conetur, necesse est eum, aut virtute brachiorum, torrentis aluei impetum desecantem, ad superiora conscendere, aut, remissis manibus, ad præceps prono ... reuocari.* Io. Cassianus collatione sextâ, quæ est Abbatis Theodori cap. 14.

Iob.

Iob. *Homo nunquam in eodem statu permanet*, nec corporis, nec animæ, nec fortunæ, nec gratiæ Dei, dũ hîc agit. *Aut proficit, aut desicit.*

Vt Luna mutatur, incrementa habet, aut decrementa.

Videtis (Auditores) quanta hactenùs D. Franciſci, cum Angelo iſto, conformitas? Maiorem porrò videbitis. Sequitur enim:

* HABENTEM SIGNVM DEI VIVI, ſigilliferum, & velut Chriſti Cancellarium, domi; vel Militiæ, Aquiliferum.

Sed, ecquod (inquis) illud in Franciſco ſignum fuit?

Duplex, opinor, alterum, vt
1. *Autoramentum* officij ſui;
2. *Inſtrumentum*, ad Officii exercitium.

* 1. *Autoramentum Officij ſui,*
1. *Miraculorum poteſtas;*
2. *Diuina reuelatio;*
3. *Sacrorum ſtigmatum impreſſio;*
4. *Cordium notitia,*
5. *Vitæ Chriſti conformitas.*

* 1. *Miraculorum poteſtas.* Hæc enim miſsiones inſolentes, ſeu (vt loquuntur) extraordinariæ ſolent diuinitùs autorari.

Opera, quæ ego facio, ipſa teſtimonium perhibent de me, aiebat Chriſtus.

Poſuit in eis (Moyſe & Aarone) *verba ſignorum ſuorum.*

Exod. 3. *Si non crediderint tibi* (filii Iſrael, me ſcilicet tibi adparuiſſe, teque à me ad eos, & ad Pharaonem, miſſum eſſe de libertate publicâ legatum:) *neque audierint ſermonem ſigni prioris; credent verbo ſigni ſequentis &c.*

Sunt miracula, quaſi diplomata regia, aut bullæ quædam Pontificiæ. Ano-

A noui Euãgelij doctoribus hoc missionis suæ autoramentum si exiges, nunquàm dederint.

At D. Franciscus nouum quoddam vitæ genus in orbem inuecturus, & quamdã Apostolicæ vitæ quintam velut essentiam, à contactu pecuniæ abhorrentẽ, suprà Apostolicum morem: (nàm Apostolos collectas pecuniarias in sanctos feciſſe, administrasse, misisse certum est: & à Petro staterem in ore piscis inuentum, tractatum fuisse, & tributi nomine telonio illatum &c.) nihilque propriè possidentem etiàm in communi instituturus, præter autoramenta & bullas Romanorum Pontificum, etiàm quouis ferè genere miraculorum fidem populis fecit missionis suæ à Deo, sibique ac suis autoritatem passim concilianit.

De miraculis D. Francisci copiosè D. Bonauent. cùm sparsim in vita eius, tùm maximè in calce operis. Illic vide, bone Lector.

*ij. *Diuina reuelatio.* Vt Christus habuit signum Dei viui, & autoramentum, descensum Spiritus-Sancti super se columbæ specie, & istam Patris vocem in nube, *Hic est filius meus dilectus &c.* iterùm repetitam in monte Thabor in Transfiguratione; sic Franciscus adparitiones, & reuelationes Pontifici Innocentio III. diuinitus factas, cùm scilicet ab eo Regulæ autoramentum postularet.

Cùm enim *ad Romanam Curiam peruenisset, & adduceretur ante conspectum summi Pontificis, esset que Christi Vicarius in palatio Lateranensi, in loco, qui dicitur speculum, deambulans, altissimis meditationibus occupatus; Christi famulum tanquàm ignotum repulit indignanter. Quo humiliter foras egresso, sequenti nocte huiusmodi reuelatio facta est à Deo ipsi Summo Pontifici. Videbat namque inter pedes suos palmã paulatim succrescere, & in arborem pulcherrimam eleuari. Et eo mirante, quid hæc visio vellet ostendere, diuina lux impres-*

impreſsit menti ipſius Chriſti Vicarij, quòd hæc palma illum pauperem, quem præcedenti die repulerat, deſignabat: & mane ſequenti mandauit, per ſuos famulos, per Vrbem dictum pauperem quæri, quem inuentum iuxta Lateranum, in hoſpitali S. Antonij, ante conſpectum ſuum celeriter iuſsit adduci. D. Bonau. cap. 3. vitæ eius.

Sed & viſionem, quam tunc temporis è cœlo perceperat, in hoc viro fore complendam, ſpiritu diuino ſuggerẽte, firmauit. Videbat namque in ſomnis (vt retulit) Lateranenſem Baſilicam ferè proximam iàm ruinâ, quã quidam homo pauperculus, modicus, & deſpectus, proprio dorſo ſubmiſſo, ne caderet, ſuſtentabat. Verè (inquit) hic eſt, qui opere & doctrina Chriſti ſuſtentabit Eccleſiam. D. Bonau. ibid.

AEnigmate illo ſeu emblemate, præfigurabat Deus, homuncionem illum, labentibus Eccleſiæ rebus moribuſque reſtituendis natum eſſe ac deſtinatum, quaſique Herculem nouum cœlo myſtico humeros ſuppoſiturum, fatigati iàm Atlantis, peneque oneri ſuccumbentis ſucceſſorem; cuius ego adparitionis imaginem iuſsi aliquandò in æs incidi, primæ editioni *Seruitutis Peccatorum* præfigendam, & hoc diſticho illuſtraui.

Cùr Franciſci humeris ædes Laterana recumbit?
Hoc notat Eccleſiæ hunc ſuſtinuiſſe polum; breuiatâ licenter mediâ longâ in (Eccleſiæ.)

iij. *Sacrorum ſtigmatum* impreſsio, non vt ſtigma dicit infamiæ notam, quæ propter flagitium aliquod ſeu verum, ſeu creditum, olim frontibus reorum inurebatur. (vndè Suetonius in Caligula ca. 27. *Multos honeſti ordinis, deformatos priùs ſtigmatum notis, ad metalla, & munitiones viarum, aut ad* * *naues damnauit* (*alias *ad beſtias:*) *ſed* vt eſt beneuolentiæ diuinę ſignum.

Certè S. Ludouicus Gall. Rex, blaſphemorum fron-

frontes cauterio solebat vstulare (vt scribit Petrus Primaudayus in sua Acad. Gall.) vel linguas (vt vult Haillianus lib. 11. ann. 1254.)

Fortè & olim manus stigmate notatæ, vndè est (opinor) illud Zachariæ 13. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? &c.*

Hinc stigmatici & stigmaticæ dicuntur eiusmodi notis deformati, quales nùnc qui in Gallia, in humero, post virgationem, Lilio candente vstulantur (quod de Caluino scribit aliquis) & apud nostrates, qui in medio dorso, notis Vrbium, in quibus virgantur, ignito sigillo compunguntur.

Cic. lib. 2. Off. *O miserum, qui fideliorem & Barbarum, & * stigmaticum, putaret, quam coniugem* alij legunt *stigmatiam.*

Christus Dominus noster à Iudęis stigmaticus pro nobis factus est, vndè illud Zach. 13. sup. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? &c.*

Sic & Paulus deindè pro Christo: *Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto*, id est, cicatrices, vibices, liuores, & quæcumque vestigia plagarum pro nomine Christi, quasi pro crimine credito, inflictarum.

Sic Martyres olim à Tyrannis notati.

Inscriptos notis se vocant illi epist. ad Methodium. Methodius verò in responsione ad ipsos, vocat *compunctos notis. Faciesque non sine laude compunctos notis*; ait, apud Mich. Glycam parte 4. Annalium.

Notandum ergò, stigmatum & signorum alia esse
1. *Verè criminosorum*, quales sunt blasphemi, fures &c.
2. *Creditorum criminosorum*, sed fallsò, vt Christus fuit, Paulus, Apostoli, & Christi martyres &c.

3. *Seruorum*, seu mancipiorum, ne scilicet temerè & pedetentim fugiant.
4. *Carorum*, vt sunt equi pretiosiores, boues saginandi, canes venatici, epistolæ, loculi, thesauri, & arcæ benè nummatæ, amici, vxores &c. vndè & hic audis: *signemus seruos Dei nostri &c.*

Caris suis rebus ferè semper cauti homines *posuerunt signa sua, signa.* psal.

Iudæos suos Deus stigmate Circumcisionis insigniebat; Christianos nùnc suos Christus characte Baptismi, Confirmationis, signo Crucis &c.

Signant etiàm mariti atque obsigillant vxores, diutiùs ab illis abfuturi. *Quid autem hoc sit, discere licet ex Plutarcho in vita Alex. vbi igitur de Philippi patris somnio.*

Item ex Scipione gentili, lib. 1. παράργον.

Quinimò in confesso est, sortilegas etiàm ipsas à suo Dæmone stigmate aliquo sensili sigillari.

Diuus ergò Franciscus stigmatis est notatus, vt singularis Dei seruus, vel charissimus Sponsi amicus. Fuit hoc ei publicum autoramentum amicitiæ Dei erga illum, & missionis eius à Deo.

Petrus claues, clauos iste,
Lateriſque tui, Christe,
Monstrat priuilegia, ait de illo vetus Prosa Festiui ordine 4.

Quod in Cruce Christus gessit,
In tuis membris impressit,
Amoris incendium. Item vetus Prosa de eodem, ordine 7.

Quià tamen præcipuè criminosi veri, vel falsò tales

tales crediti, notis compungebantur; indè accidit, vt stigma accipiatur etiàm pro publica infamia, & criminatione.

Hinc Suetonius in Cæsar. Dictatore, cap.. *A quo sibi versiculis de Mamurrâ perpetua stigmata imposita non dissimulauerat.*

Quint. *Philelphus & acerrimo, & opprobrioso stigmate, Cremonam nostram proscripsit.*

Hoc autem missionis suæ à Deo, habere ac gerere Francisco datum, circiter festum Exaltationis sanctæ Crucis, biennio ante eius mortem, *paucis admodum euolutis diebus* (vt ait D. Bonauent. c. 4. vitæ eius) post reparatam Regulam, quæ perierat, & ab Honorio confirmatam: idque *tamquàm Bullam Summi Pontificis Christi, ad confirmationem omnimodam Regulæ, & commendationem Auctoris.* Bonau. ibid.

Eius viri quasi Deuteronomium, & regula restituta, diuinum hoc habuit autoramentum.

Et seriò nota stigmata illa dici *signum Dei viui*, non tantum, quà Christus ipse Homo-Deus iisdem stigmatis signatus in passione fuit, & nùnc quoque indelibiliter illa in Cœlo gerit *nostræ pretia libertatis*, vt vocat Ambrosius lib. 10. in Lucam:) sed quà etiàm ipsemet Christus, specie Seraphini Francisco adparens, eidem stigmatum autor, impressor, insculptor, & quasi Typographus fuit.

Impressa sunt ei stigmata Domini Iesu, digito Dei viui, ait Bonauent. cap. 4. vitæ eius in fine. quod est contra Becanum quemdam, opinantem ab Angelo dumtaxat stigmata impressa fuisse; quod quidem obiter dictum sit, non tàm pro me, quàm pro veritate, pro D. Francisci dignitate, & ipsius Dei Opt. Max. dignatione. *Vide latius de hac re, in nostra secunda Naufr. Tabula, conc. de S. Francisco p. 2 pag. 375.*

Dulcem Iesum, quo ardebam,
E vicino distinguebam
Adspectu Seraphico, ait vetus prosa Festi, ordine 1.

Priuilegium D. Francisci, post Christum, priuum, & proprium propè quarto modo (vt sic dicam).

Nàm, quod Paulus de se ait: *Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto &c.* non ad talia refertur, sed ad vstiones, illi à Iudicibus nomini Christiano tùnc infestissimis illatas, seu in fronte, seu in dorso, seu in humeris; vel ad virgationum crebrarum, & violentarum vibices, vel cicatrices, vel cuiuscumq; tormenti pro Christo tolerati, in carne eius hærentia vestigia.

De Diua autem Catharina Senensi, sunt qui negent, & pernegent, sic visibiliter insignitam, vt Robertus de Licio, seu de Alecio oppido Apuliæ, Episcopus Aquinatensis Franciscanus, & valdè verisimiliter, cùm dicat in Apotheosi, seu Canonizatione eius Diuæ, Romæ facta 1461. cui interfuerit ipse, nullam audiuisse fieri stigmatum mentionem, neque vidisse picturam vllam cum stigmatibus ostentari. *Lucius serm. de S. Catharina Senensi c. 3.*

Nec R. P. F. Vincent. Iustinianus Antistius Ordinis Præd. Disputat. pro imaginibus D. Catharinæ Senensis §. 5. pag. 424. & 425. infitiatur, cum ait: *Præcipua illius mandati* (nempè de non sic pingenda D. Catharina Senensi) *causa fuit, ne quisquam putaret Catharinam stigmata, quæ oculis cerni ac manibus contrectari possent, recepisse, quemadmodum B. Franciscus. sed hic error metuendus non est, cùm disertissimis verbis nostri aliud doceant.*

Sed inquis: Molanus in Natalibus Sanctorum Belgij VI. Ianuarij sic scribit. *Delphis, in Curia Beghinarum, memoria beatæ Gertrudis de Oosten, natæ*

m

in Voerburch, quæ obijt anno 1358. in die Epiphaniarum Domini. Hæc virgo ergà Passionem Domini multùm fuit deuota. Vndè & Christi stigmatibus insigniri meruit. De ea quædam leguntur in vulgaribus Hollandiæ Chronicis: sed multò plura Latino sermone extant manuscripta. Ponitur autem quot annis Crux illa, vndè stigmata accepit, in die obitus in altari, & solemni concursu inuisitur. Sepulta est sub Campanili, ad Diuum Hyppolytum.

Ergò non solus & *singularis Crucifixus* Franciscus.

Item; quidam Barezzus Barezzi Cremonensis, 4. parte Chronicorum FF. Minorum, lib. 2. c. 34. refert, quãdam Ioannem Cruciam, vel (*de la Croix*) Abbatissam Monasterij Clarissarum S. Crucis de Cubas, Hispanam, quadam feria 6. S. Crucis contemplationi seriò vacantem in cellula, brachiis forma Crucis extensis, dùm Passio Domini in Choro legeretur, mòx tanto pedum dolore correptam, vt ambulare non posset. Itaque ad fletum & fœmineum eius vlulatum adcurrentibus Monialibus, dolorem pedum indicasse; eis autem inspectantibus pedes, manusque eius, adparuisse stigmatis instar Christi notatos, orbiculatis, magnitudine nummi quem regalem vocant, & valdè quidem rubentibus, sed incruentis; causam verò eius rei interrogantibus, respondisse: *nescire se aliam, præter arcem Passionis Christi cõtemplationem, & cùm ipso cõiunctionem, vndè hic illi vestigia remanserint.* Ob doloris autem vehementiam, opportunis importunis precibus apud Deum eniciſse, vt die Ascensionis tàm dolor omnis, quàm stigmata ipsa omnia, euanuerint.

Ergò non solus Franciscus hic priuilegiarius.

* *Respondeo*, ad duo illa vltima, non negari; sed

neutri visiliter à Christo ipso adparente, nequeanto apparatu, impressa.

Et primam sine dolore illa gestasse; alteram, doloris impatientem, & oneri imparem, breui obliterari petijsse, ac meruisse; Diuum autem Franciscum à Christo ipso adparente sic signatum, ac cum dolore, & sæpè non sine sanguinis effusione, & biennio, ad mortem vsque, illa fortiter perferendo gestasse.

Impressa hæc stigmata vni Francisco visibiliter, cum dignitate, doleter, & indelebiliter, credibileque est, eum etiam in Cœlo æternùm ita adparitorum, ac fortè ipsum fore Aquiliferum seu Signiferum *Signi Crucis, quod erit in Cœlo, cùm Dominus ad iudicandũ venerit.*

Visibiliter, inquam, vt excludas D. Catharinam Senensem; cum dignitate & Christi adparitione, vt B. Gertrudem & Ioannem Cruciam; dolenter, vt Gertrudem; indelebiliter, vt Ioannam Cruciam nemo illi æquare possit.

In Cœlo autem æternum sic adparitorum Franciscum putem; quòd illa stigmatum impressio ac gestatio eius quasi martyrium fuit.

D. autem Augustinus docet, Martyres cum cicatricibus resurrecturos, ità illis, quæ facient ad ornatum & decorem corporum, non ad aliquam deformitatem. *D. Aug. lib. 22. Ciuit. c. 20.*

Tales illic martyres nobis cicatricis suæ corona monstrauit. Ambros. lib. 10. in Luc.

Sunt verò certè illa stigmata Francisco gloriosissima, adeò vt multi tantâm illi gloriam inuiderint, vel ægrè crediderint, nùnc & olim; quidam verò etiã alijs arrogarint; D. verò Paulus tanti faciat, vt vel idcircò molestias deprecetur, dicens, *De cætero, nemo mihi*

mihi molestus sit: ego enim stigmata &c.

Ergò & in Cœlo ea retenturus.

Crucem præfers specialem,

Nec in terris habet talem

Sanctus, nec in patria, ait de illo vetus Prosa Festi, ord. 7.

Ergone ego dixi, & vocaui (Auditores &c.) Franciscum Sigilliferum, Aquiliferum, & singulariter *habentem signum Dei viui?*

Vt taceam, ipsum aliàs anteà sæpè Cruce signatum visum esse, etsi ad tempusculum.

F. enim *Pacificus*, etsi nondùm tùnc Franciscanus, adhuc *Rex versuum* vulgò dictus, tamen, cùm aliquandò D. Franciscum ad San-Seuerini castrum, in quodam Monasterio concionantem reperisset, vidit illum *duobus transuersis ensibus valdè fulgentibus, in modum Crucis signatum, quorum vnus a capite ad pedes, alius à manu in manum, per pectus transuersaliter tendebatur.* D. Bonau. c. 4. vitæ eius.

Idem, sed iam conuersus, & in verba Regulæ Francisci iuratus, *meruit iterato magnum Thau in frõte B. Francisci videre, quod colorum varietate distinctum, faciem ipsius miro venustabat ornatu.* D. Bouau. ibid.

Capitulo Arelatensi se Crucis effigie præsentauit. *Idem ibid. & cap. 11.*

Denique, Crucem *signum Dei viui*, D. Francisco, pro sigillo epistolari, fuisse, vel potiùs quasi chirographo, ferè nemo nescit.

Hoc signum, in eis, quas dirigebat, literulis, manu propriâ subscribebat, tanquam si omne ipsius studium foret signare Thau, iuxta dictum Propheticum, super frontes virorum gementium & dolentium, ad Christum Iesum veraciter coæuersorum. D. Bonau. c. 4. vitæ.

O verè beatum virum, cuius raro, etsi Tyrannico ferro non cæditur, occisi tamen agni similitudine non priuatur. O inquam, verè, ac plenè, beatum, cuius animam etsi gladius persequutoris non abstulit, palmam tamen Martyrij non amisit. Bonauentur. cap. 9. vitæ.

* iiij. *Cordium notitia*, qua vna re maximè homines enthei, ab hominum vulgo distinguuntur. Magnam ea res præ se fert diuinitatis participationem.

Franciscus enim Præbendarij cuiusdam Gedeonis nomine, iàm infirmi, lubricitatem vitæ prioris scire se Reate ostendit. *Bonau. c. 11. vitæ.*

Item; viro cuidam non indocto, *quemdam secretum conscientiæ illius scrupulum, quem nulli viuenti vir præfatus expresserat, & mirabiliter reuelando explicuit, & salubriter consulendo, reserauit.* Idem ibid.

Item; F. Leonardo comite suo humanitùs secum aliquandò murmurante, quòd Franciscus fatigatus asello veheretur, se interim etiàm delassato peditante, & asinum ductante; vir sanctus mòx intellexit, & ex asello descendens, ait: *Non frater, conuenit, vt ego equitem, tu venias pedes, quià nobilior & potentior in sæculo me fuisti.* Idem ibid. vbi & alia pleraque similia.

* v. *Vitæ Christi summa expressio*, ac tanta quidem, vt roganti de illo: *Cuius est imago hæc, & superscriptio?* sit promptissimum dicere; *Cæsaris* sempiterni. *Matth. 22.*

Verè hunc vnũ *ad imaginem & similitudinem suam fecit* Christus. Ezech. 28. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ, & perfectus decore, in delicijs Paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus, operimentum tuum.*

Gemmis,

Gemmis, auroque teguntur Omnia.

Qui vtrumuis rectè nôrit, ambos nouerit. Terent. in prol. And.

In faciem versus Amphitruonis Iuppiter,
Dùm bellum gereret cum Telebois hostibus,

Vt *Alcmenam vxorem* haberet *vsurariam*, non tàm ipsi Alcmenæ visus est similis Amphitruoni marito suo; nec tàm expressàm ipse

Mercurius formam Sosiæ serui gessit, dùm scilicet Vagao & leno factus, nequitiæ Iouis fauit, & subseruiit (etsi tàm similes veris ambo erant, vt verus Amphitruo, & verus Sosia quoque, seipsos in fictis illis agnoscerent, ac non ipsi serui tantum domestici, non hera ipsa Alcmena, *quæ illum censebat virum*

Suum esse; quæ cum alio erat;) quàm fuit tota vita in terris Christo similis Franciscus. *Ex argumento & prologo, in Amphitruonem Plautinum.*

Neque Iacob laruatus iàm à matre, melius fratrem suum Esau olim expressit, cum scilicet mater indulgentior *vestibus Esau valdè bonis, quas apud se habebat domi, induit eum, pelliculasque hœdorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit ... vt pilosæ manus similitudinem maioris exprimerent*, vt benedictionem, quam ei hoc ambitu mater aucupabatur, obtineret; quàm Christum ipsum D. Franciscus, signo, vita, & moribus (tolle tantùm diuinitatem, redemptionem, ex virgine natiuitatem, scientiæ plenitudinem, nunquam peccandi potentiam, & quæ creaturis incommunicabilia sunt: & quidquid merè humanum est, vt aliquandò labi, & peccare, & humanum aliquid pati, quorum altera Francisco non arrogamus, altera non derogamus neque adimimus, in Christo nullo modo ponimus.) Nudum nudo, tantùm nebulâ tenuiter obumbrante, Christum, cùm

recenter resurrexerat, Francisco qualis erat, cùm in monte Aluernæ notatus fuerat, composueris; & sic vtrumque vel Apostolis tàm familiaribns, vel tàm amanti Magdalenæ, vel fortè etiàm matri ipsi ostenderis, ex improuiso & inopinantibus; facilè (opinor) omnes electione deerrauerint, dubitarintque, vter duorum esset Christus, vter Franciscus.

Vel *Blepharo captus arbiter non queat decernere;*

Nō tàm similis fuit Pseudo-Nero vero Neroni; aut Pseudo-Fridericus, Friderico Iuniori pro quo se Suenis ostētabat; aut Pseudo-Sebastianus verò Sebastiano Regi Portugalliæ; & si qui alij magnos viros effingere voluerunt; quàm hic noster Christo fuit. *Tacitus lib. 2. hist. c. 2. de falso Nerone: Bapt. Egnatius lib. 3. Rom. Princip. in Rudolpho, de Pseudo-Friderico.*

Diceres; vt, nascente mundo, placuit magno Plastæ, hominem, sed hominem, hoc tantùm, *facere ad imaginem & similitudinem suam*, internè maximè; ita, denascente illo, recoctorem totius operis Filium ipsū Dei, etiàm voluisse & hunc Francisceum dare, qui se intùs & extrà more atque ore referret, sed merum hominem, hoc tantùm, *ne quis eum æstimet supra quam in eo videt.*

Franciscus ità secùm reputabat: *Quando imago est huius in me ...*

Et enimuerò, quoniam formam cepi huius in me, & statum;

Decet & facta, moresque huius habere me similes item. Plautus in Amphitr. Act. 1.

Videamus autem illam morum similitudinem saltem obiter, & in quibusdam, vt:

1. *Paupertate;*
2. *Humiliatione sui;*
3. *Charitate.*

*1. Pau-

*1. *Paupertate.* Hominis, & virgunculæ pauperis filius factus est Dominus Iesus, & inopem vitam hic elegit, qui alioqui Patre Deo, potente rerum omniũ, & factore, natus erat? Etiàm hic noster Franciscus, Petro Bernardone ciue Assisinate, benè opulento mercatore, natus fæculo, nasci voluit Deo pauperrimus, & rebus omnibus abdicatis, non habere *vel nidulum*, vt *volucres cœli*; non *foueam*, vt *vulpes*, *non* quidem *vbi caput* reclinaret, proprium & iuris sui, solo vsufructu contentus.

Fuit totâ vitâ Christus vnicâ tunicâ & rudi contentus, ea scilicet, quam ei inconsutilem & honestissimam puerulo dædala piæ matris manus texuerat, crescente cum crescente (vt ferunt) nec se vsu vnquàm consumente? (Quidni enim? nàm nec Israelitarum vestes, nec calceamenta, in deserto adtrita sunt totis 40. annis:) Etiàm hic noster Franciscus vnica veste semper deindè à sæculo semel eiurato contentus vixit, etsi alia atque alia propter adtritionem, duplicium, & mutatoriorum hostis (vt sic dicam) hostissimus, id est capitalissimus.

Nemo tàm auri cupidus, quàm ipse paupertatis. D. Bonau.

Si quis se pauperior illi fortè occursabat, sancta inuidia ac zelotypia laborabat, sese exuebat, & suas exuuias, induuias pauperioris esse iubebat.

Et (liceat, quæso Auditores, pace Christi dicere, qui prædixit de suis: *Qui crediderit; & maiora horum faciet:*) Franciscus iste, à prouidentia humana, aurique contactu, alienior videri possit.

Christo enim Domino Oeconomus vnus fuit rationalis

nalis, & burſifer, liberè oblatâ, collegis adſeruans, etiàm aurum argentumque, Iudas ſcilicet, is qui tandem ex burſifero furcifer euaſit, & periit.

Nemo (opinor) infitiatur, vt probandum ſit: etſi fatendum, Chriſtum non id neceſsitate aut inopiæ metu feciſſe, ſed indulgentiâ, & humanæ prouidentiæ exemplo.

At Diuo Franciſco nec Procurator, nec Quæſtor vllus fuit, in diem ſcilicet ſemper viuenti.

Tota Franciſci Oeconomia & burſa fuit, vitæ probæ ſtudium, & ſpes de Deo Opt. Max. firmiſſima.

Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet. pſal.

Quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & & hæc omnia adijcientur vobis. Matth. 6.

Imò ne fratri quidem comiti ſuo permiſit, burſam benè nummatam, vt videbatur, inuentam in via, colligere, etſi non ſibi, ſed pauperibus id vellet. *D. Bonau. in vitâ.*

Non modo ciuiliter & ad forum, æs ſignatum non adtigit, ſed ne phyſicè quidem (quod ſciam) ab Ordine inſtituto; etſi Apoſtolos vtroque modo tractaſſe certum eſt; Chriſtum verò etiàm ſatis probabile, fortè, cùm reſponſurus ſpinoſiſsimæ & periculoſiſsimæ Sphingum Phariſaicarum quæſtioni de Cenſu Cæſaris, dixit: *Oſtendite mihi numiſma Cenſus:* & cum oblatum eſt ei numiſma. Nam veriſimile eſt, tùm contrectaſſe illud ac reuoluiſſe, ad quærendam viſendamque vna parte imaginem Cæſaris, & altera legendam ſuperſcriptionem, priùs quàm interrogaret, *Cuius eſt imago hæc, & ſuperſcriptio &c?* Matth. 22.

Sed

Sed placet, vt leuicula ist a *adhùc sub Iudice lis sit.*

Item; Franciscanus Sultani munera omnia, etsi pretiosissima respuit, vt qui ipsum quæreret, non sua. D. *Bonau. c. 9. vitæ eius*, §. 7.

Quædam quasi quinta essentia Euangelicæ paupertatis hic noster fuit.

Non est, non est formidandum (aiebat Pontifici Max. Innocentio III.) *quòd fame pereant æterni Regis filij & hæredes, qui ad imaginem Regis Christi, per Spiritus-sancti virtutem, de paupere matre nati, & ipsi per spiritum paupertatis sunt in Religione pauperculâ generandi.* Bonau. c. 4. vitæ §. 8.

* 2. *Humiliatione sua. Humiliauit se Christus Dominus, formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo? &c.*

Venit non ministrari, sed ministrare?

Lauit discipulorum pedes præcinctus, prostratusque ad peluim?

Tantæ humilitatis fuit, vt diceret: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde?* Corde, inquit, *corde*, non ore tantùm aut corpore, & adparatu extero, qui sæpè totus ex ambitu, & merus ambitus est, eorum scilicet, qui *seruiunt, vt regnent*, imò alijs ancillantur, vt alijs dominentur, similes scilicet Caligulæ Imperatori, qui *tanti in auum, & qui iuxta erant*, erat *obsequij, vt non immeritò sit dictum, Nec seruum meliorem vllum, nec deteriorem Dominum fuisse* (Sueton. in Caligulâ c. 10. (Pape. Superbam humilitatem.) Etiàm hic noster Franciscus, inter pauperes versari, & ostiatim, atque adeò in ipsis templorum valuis mendicare deamabat. Et id pulcherrimo nomine vocabat *Mensam Domini.*

In festis

In festis præcipuis, vbi opportunitas aderat, mendicare solitus erat, dicens, in sanctis pauperibus propheticum illud impleri: Panem Angelorum manducauit homo. Illum sanè panem Angelicum esse dicebat, quem pro Dei petitum amore, & beatis suggerentibus Angelis, pro ipsius caritate largitum, sancta paupertas colligit ostiatim. D. Bonau. c. 7. vitæ.

Imò leprosis ministrabat, pedes lauabat, & ipsorum ora, & vlcera tabe fluentia, osculabatur.

Deindè, humilitatis studio, vegeto iàm Ordine, & benè constituto, Magistratum abdicauit, alteri pariturus, magister cuiuis discipulo, pater filio. *Bonau. c. 6. vitæ.*

Et dicere solebat, se Nouitio vnius diei, si Guardianus illi crearetur, æquè diligenter pariturum, ac *antiquissimo ac discretissimo fratri.* Idem ibid.

Quin etiàm rusticaturus, comitem suum quemcumque, sibi Guardianum ac præfectum horarium aut diarium creabat.

Sed & Rectoribus Ordinis, Prouinciarium, & Conuentuum, humillima nomina indidit Ministrorum ac seruorum; Fratres verò omninò omnes dici voluit, ac Minores quidem, studio humilitatis omnibus suis inculcandæ. *Bonau. c. 6. vitæ.*

Ipsa Humilitas Christiana, vel si mortua esset cum Christo, vel cum ipso & Astreâ, in Cœlum quoque abîsset, terris istis indignanter relictis; posset noster Franciscus nouam Humilitatis Scholam aperire, & ipse dicere; *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde.* Matth. 11.

Adeò colendæ humilitatis homo iste studiosus fuit, & eius parentis paupertatis, vt quemadmodum alij ab alijs dotibus indigitantur; verbi causa: noster Alexander Alensis doctrinæ solidi-

ditate *Irrefragabilis*; noster Scotus ab acumine, *subtilis*; Ioannes quidam Patriarcha Alexandrinus à liberalitate in pauperes propensissimâ *Eleemosynarius*; Aristides Athenienſis, à recti æquique ingenti ſtudio, *Iuſtus &c.* ſic Franciſcus, à modeſtiſſimo de ſeipſo ſenſu, dicatur quaſi proprio ac perpetuo epitheto *Humilis Franciſcus.*

Iudicari à ſuis nolebat ne *homines* quidem *mollibus veſtitos.* Regulæ c. 2. & 3.

Videor mihi (aiebat vni fratri) *maximus peccatorum.* Bonau. c. 6. vitæ.

Iſta quidem laudantibus: ad ſe autem ſic; *Latroni ſi tanta contuliſſet Altiſſimus, gratior te foret, Franciſce.* Idem ibid.

Quis es tu, dulciſſime Deus meus? & quid ſum ego? Vermiculus, & paruulus ſeruus tuus. Conform. fruc. 15.

Hoccine non eſt Chriſti humilitatem exactiſsimè repræſentare?

* 3. *Charitate.* Ità amore Dei & noſtri arſit Chriſtus, vt languores noſtros ipſe portaret, ipſe mortem ſubiret, ipſe ad Inferos pro nobis deſcenderet? &c. Etiàm Franciſci in Deum & proximum charitas incredibilis penè fuit.

In Deum certè maxima fuit, cuius amore omnia reliquerit, toties ſudarit, arſerit, alſerit, toties insõnes noctes duxerit, denique mortem & martyrium magno vitæ contemptu ambiuerit, aditis ſæpè Barbaris, & periculis multis certiſsimis, vt Chriſto illos lucrifaceret.

In proximum. Quoties enim veſtiendis pauperibus, ſe veſte pallioque exuit, aut ſua diſſcidit. Itaque à ſibi dantibus petere ſolebat licentiam data dandi, ſi pauperior occurriſſet. *Bonau. c. 8. vitæ.*

Ignoſce-

Ignoſcebat alijs multa, nihil ſibi.

Fratrem eſurientem, & fame propè tabeſcentem, nec veſci audentem, ad cibum prouocauit, concludens tandem apud ſuos: *ſit vobis charitas, non cibus in exemplum.* D. Bonau. in vita.

Pluries, cùm oneratis obuiaret, imbecilles humeros illorum oneribus ſupponebat. Bonau. cap. 8. vitæ.

Vt Sultanum, eiuſque Gentem, Chriſto lucraretur, paratus fuit ignibus ſeſe deuouere.

Vno verbo. Aeſtimare vultis (Auditores) quâ charitate Franciſcus homines complexus ſit? Dumtaxat videte, quemadmodum non dico in agnos, pecudes natura omnibus amabiliſsimas, ab illa ſua imbellia atque innocentia (Chriſtianis autem maximè à memoria Paſsionis Chriſti, qui *tamquàm agnus coram tondente ſe* amore noſtri *obmutuit*, interijt:) ſed in feras quoque immanes, adeoque lupos ipſos fuerit animatus. Nùnc enim fratres, nunc ſorores, omnes adpellabat, adſpectu communis Conditoris. *Bonau. cap. 8. vitæ.*

Agniculos iam iam iugulandos, & ſub cultris ſtantes aliquoties redemit. *Bonau. cap. 8.*

Agniculum recens natum à lue deuoratum, ingenti gemitu deplorauit, dicens: *Heu me, frater agnicule, animal innocens, Chriſtum hominibus repræſentans;* ac his diris voracem ſuem deuouit: *Maledicta ſit impia ſus, quæ te interfecit, nulluſque de eâ comedat homo vel beſtia.* Bonau. cap. 8.

Lepuſculum vinum ſibi apud Græcium dono datũ, *dulci allocutione commonitum, ne ſe iterùm capi permitteret, liberum abire permiſit.* Idem ibid.

Ego enim ſic ſentio (Auditores) qualis quiſque eſt erga animalcula, maxima innoxia & mitia, talem ferè erga homines eſſe; ſi ferus illic ac barbarus, ferum hic & barbarum quoque, & Mezentij neſcio quid ipſi-

spirare: si autem mitis & indulgens, in homines esse quam maximè.

Quàm ergò fuerit in homines pius & tener Franciſci animus, vel indè diſcas, quòd in pecudes etiàm minimè cicures & (vt sic dicâ) impias, tàm pius fuit.

In eius pectore, penè quasi in propriâ fornace, ardebat ignis charitatis.

Fuit fuit *in medio carbonum ignitorum* Franciſcus ignitiſsimus, & inter amantes amantiſsimus, tàm Dei, quàm proximi. *Ezech.* 28.

Pyropus quidam totâ vitâ fuit, & verus carbunculus.

Hoc ergò multiplici *ſigno Dei viui* fuit Franciſci noſtri legatio autorata.

* 2. *Inſtrumentum*, ad Officij exercitium. Hùc ferè eadem illa ſeruierunt, quæ autoramento fuêre.

Eadem frontibus, animiſque & actionibus omnium Chriſtianorum imprimere nitebatur, vt sic inſigniti, ſigillati, & diſtincti, ab ijs qui foris ſunt & pereunt, internoſcerentur, & ſeruarentur.

Glorificate ergò, *& portate Deum in corpore veſtro.*

III.

Multum D. Franciſco debere Eccleſiam, imò & Orbem vniuerſum.

At nunquid etiàm Franciſcus, inſtar Angeli huius quinti, mortalibus periclitantibus, aliquandò præſidio fuit?

Angeli enim huius quinti curam audis. *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus &c.* inquit.

Fuit, fuit, Auditores.

D.Franciſco *grates perſoluere dignas Non opis eſt noſtræ*, varijs ſanè nomibus, vt

1. *Eruditionis*;
2. *Patrocinij*;
3. *Supplementi*;
5. *Pacificationis*;
4. *Repræſentationis*;

* 1. *Eruditionis.*

Dijs, Parentibus, & Magiſtris non redditur æquiualens. Ariſt.

Cic.orat.pro Plancio. *Nemo eſt noſtrûm liberaliter educatus, cui non educatores, cui non Magiſtri ſui atque Doctores, cui non locus ille mutus, vbi ipſe altus aut doctus eſt, cum gratâ recordatione in mente verſetur.*

Ingenui, inquit ille, *eſt hominis, fateri, per quem dideris*, aut profeceris; item & reuereri.

Maximè verò Doctores Fidei, vitæ, Morum, & earum rerum, ſine quibus adiri non poteſt hæreditas ſempiterna, imò æterna calamitas incurritur.

At quis non libenter profiteatur, & dicat: Diue Franciſce, *notas mihi feciſti vias vitæ*, partim ipſe tu, partim tui, Verbo, Exemplo, Scripto, Lingua, Manu, Calamo?

Vias vitæ, ſæpiuerant iàm diù ſpinæ; vrticæ, viciæ, filices vrendæ & ſordes *vias Domini rectas peruerterant*, atque operuerant, vt vel omninò neſcirentur, vel non inirentur, niſi à paucis fortaſsè.

Via arcta, via Crucis, & veræ pœnitentiæ, *quæ rectà ducit ad vitam*, lugebat deſerta.

Viæ Sion lugent, eò quòd non ſint, qui veniant ad ſolemnitatem. Thren.1.

Errauerunt in ſolitudine in inaquoſo; viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt. pſal.106.

Errauerunt in inuio, & non via. ibid.

Alie-

Alienati sunt peccatores à vuluâ, errauerunt ab vtero legis Mosaicæ, legis Euangelicæ pondere grauidæ, id est, ab ea lege procùl deflexerunt ; vel potiùs ipso quo nati aut renati sunt die, id est, citò post, peccatis sese fœdauerunt, vias Dei rectas reliquerunt.

Scholas Crucis omnes clauserat, circa Francisci tempora, mundi huius Princeps, vt olim literarias Iulianus Apostata : Professores ipsos doctrinæ Crucis penè omnes abegerat, multos corruperat.

Pro scholis Crucis, pro Pœnitentiæ Academijs aut Stoicis porticibus, aperuerat hortos Epicuri florulentos, ganeas, lupanaria, seminaria, & omnigenæ Voluptatis Officinas.

Iterùm in Crucis loco, per nescio quos, ad tollendam Christi Domini passionis memoriam, non vt olim dumtaxat marmoream Veneris statuam, sed Veneris cultum, & ad præsepe Saluatoris, Adonidis, & ad locum Resurrectionis, Iouis simulacra erexerat. *Vide Breu. Rom. 3. Maij, festo Inuentionis sanctæ Crucis.*

Non modò licentia vitijs data, sed penè gloria, & merces, & vis quædam.

Laudabatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicebatur. psal.

Melior, qui nequior.

Pudebat, non esse impudentem. Vide August. libro 2. Conf. c. 9.

Repertoribus nouarum voluptatum, Petrociniis, & arbitris pretia constituta dixisses, vt olim à Xerxe Persarum Rege, adeò latè vitia omnia tùnc grassabantur. *Valer. Max. de Xerxe.*

Omnis caro corruperat viam suam. Gen.

Abolitam dixisses, & erasam prorsùs memoriam Dominicæ Passionis, eiusque imitationem damnatam, regiam tamen & veram ad vitam viam.

Crucem si quis ferebat, ligneam fortè tantùm, argenteam, aut auream ferebat, ad pompam, non illam mortificationis, ad pœnam & mulctam.

Ità se ferè mores tùnc habebant.

Fides verò, Albigensium hæresibus vexabatur.

Signa nostra non vidimus, iàm non est Propheta. psal. 73.

Denique, ità viuebatur, ità credebatur, vt rectà, certissimè, ac velocissimè ad æternam mortem curreretur.

In arenam ergò tandem missus à Deo Franciscus, cum socio Dominico, descendit: duo fulmina belli spiritalis; mores corruptissimos inuectiuis agitauerunt, probos commendauerunt, insseuerunt; Hæreseon monstra tota vi, duo isti Hercules, impugnarunt, expugnarunt, fidem orthodoxam adseruerunt: dixisses tandem, nouum mundum ab duobus illis viris conditum esse.

Sed inquis, parùm studuerat Franciscus.

At erat infusa Theologia plenus, adeò vt Senis Doctor quidam Theologus, auditis eius responsis diceret: *Verè Theologia sancti Patris istius puritate & contemplatione, tamquàm alis, in altum subuecta, est aquila volans: nostra verò scientia ventre graditur super terram.* Bonauentur. capit. II. vitæ eius.

Franciscum intùs silenter, citoque ille docuerat, qui Apostolos in die Pentecostes.

Sed & à suis, eiusdem æui, & posteris, in Domino *factum est istud* opus eruditionis & correctionis

ctionis mundi, *& est mirabile in oculis nostris.* psal.

Hæc mutatio, dexteræ Excelsi fuit in manu Franciſci, Dominici Ducum, & ipſorum commilitonum: *ne dicamus manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia.*

Bone Deus, quid hominis fuit, Alexander Alenſis, Franciſci in Chriſto filius, quid hominis S. Thomas Aquinas, Dominici?

Audiui aliquandò M. N. Balduinum Rythouium Sacræ Theolog. Duaci profeſſorem, publicè de pulpito indigitantem Alexandrum illum Alenſem, *Fontem & originem omnium ſcholaſticorum.*

Eumdem *Doctorem Doctorum* docti adpellant.

Alexandri de Halis doctrina quantæ ſit vbertatis, dici ſatis nequit, ait Ioan. Gerſon Canc. Pariſien. ep. quadam Lugdunum miſſa ad quemdam fratrem Minorem.

Sed ipſius Diui Thomæ Aquinatis potiùs cenſuram grauiſsimam de ipſo audiamus. Fertur enim S. Thomas, dùm quæreretur ab eo, *Quis eſſet optimus modus ſtudendi Sheologiæ?* reſpondiſſe: *Exercere ſe in vno Doctore præcipuè.* Dumque vltrà quæreretur, *Ecquis eſſet talis Doctor?* ſubieciſſe: *Alexander de Halis.* Ioannes Gerſon vbi ſup.

Teſtantur ſcripta eiuſdem S. Thomæ, maximè ſecundæ ſecundæ, quàm intimum ſibi fecerat & familiarem illum, quem laudabat, Doctorem Alexandrum. Idem ibid.

De plenitudine eius penè *omnes acceperunt.*

Vt Virgilius gemmas, ex Ennio, ſic Theologi poſteri ex Hallenſi noſtro collegerunt.

Vt Homerum quidam pingunt vomentem, cæteros verò Poetas omnes circum lambentes, & vomitum eius, quemque pro virili, resorbentes; sic Hallensem istum aliquis pictor possit, & plerosque multos posteros Theologos repræsentare, hunc primum fusè docentem & scribentem, posteros decerpentes.

Vt ex immenso Oceano flumina innumerabilia fluxerunt, sic ex isto Hallensi Theologi multi.

Vt de Poetis meritò affirmat quispiam, *nullos esse bonos, nisi qui Homerum imitantur*, & (*vt inquit Plato*) *qui* Ὁμηρίζουσιν, i. *Homerum sua Poesi referunt*; sic ego nullos Theologos magnos aut solidos, qui non Alexandrizent. *Franciscus Portius Cretensis, præfat. in Iliadis Homeri expositionem.*

Vt rectè Origenes à Nazianzeno dictus est, *cos omnium nostrum*; sic Alexander iste Hallensis dici meritò possit, *cos omnium scholasticorum*, excitator, & præitor.

Quid hominis etiàm Bonauentura? Quid Scotus ille cognomento subtilis? Aquilam vocare possis clarissimè videntem, quæ aliis vix apparent.

Quid hominis Robertus Licius in Concionibus? Maria portenta Ingeniorum.

Quid Lyranus, Oedipus ille Euangelicus, & interpres omnium Sphingis ænigmatum? vndè & illi *Doctoris liberalis* cognomentum.

Quid Alphonsus Castrius, fælix ille aduersus hæreses gladiator, faber ille Theologorum, vt Vulcanus Deorum, qui, vt Vulcanus Ioui fulmina, & Diis arma aduersus Gigantes, item Achilli & AEneæ, dicitur fabricasse; sic dici possit,

sit, maximis quibusque post ipsum scriptoribus, etiàm ipsi Bellarmino, aduersus hæreses, argumenta potissima ministrasse, & quasi manu ad illud bellum duxisse, ac formasse?

Dubitare possis, an plus, eiectis è Granatensi regno Mauris & Mahumetanis Rex Ferdinandus Hispaniæ suæ profuerit, cùm & Catholici cognomentum meruit; an Alphonsus hic noster toti Ecclesiæ, hæresibus, mole librorum aduersus ipsas erectâ, & argumentorum arietatione, expugnatis. *Michael Ritius libr. 3. Reg. Hispan. de Alphonso Rege.*

Licuerit Lyrano, & illi Alphonso, in eiusdem argumenti scriptores posteros iactare illud Samsonis: *Si non arâsset is in vitulâ mea, non inuenissetis propositionem.* Iudic. 14.

In socio verò Ordine, quid hominis Diuus Thomas? Sol Theologorum, flos Ordinis, fratrum in Christo nostrorum charissimorum, Dominicanorum, Angelus in medio Doctorum.

Ergò.

* 2. *Patrocinij.* Periissent iàm olim maiores nostri; non essemus, neque nos Oratores, neque vos Auditores; non staret amplius templum hoc, in quo hæc dicimus, sanè augustissimum; vobis nati liberi non essent, nisi & Franciscus & Dominicus, fratres Spiritus-sancti verè Gemini, & nobile par amicorum, interceßissent.

Id ex vita ipsius *Diui* Dominici audite. *Beatus Dominicus iterùm Romam profectus*, cùm egisset *apud Honorium Innocentij III. successorem, vt contra hostes Ecclesiæ, Prædicatorum Ordinem confirmaret; more suo in Ecclesia orans vir Dei, sedentem ad Patris dexteram Filium surgere vidit iratum,*

vt interficeret omnes peccatores terræ, & disperderet omnes operantes iniquitatem. Stabat verò in æthere aspectu terribilis, & contra mundum in maligno positum tres lanceas vibrabat: Vnam, quâ Superborum erectas ceruices traÿceret:* Alteram, quâ Cupidorum viscera configeret:* Tertiam, quâ carnis voluptatibus deditos confoderet.*

Cumque eius iræ nemo posset resistere, occurrit clementissima Mater eius, & pedes illius complectens, rogabat, vt parceret eis, quos suo sanguine redemisset, & Iustitiam Misericordiâ, temperaret. Cui Filius: *An non vides (inquit) quantæ mihi irrogentur iniuriæ? Iustitia mea tot mala amplius non patitur impunita.* Contrà Mater: *Tu, qui omnia, inquit, nôsti, benè perspectam habes viam, per quam illos ad te reducturus es. Habeo seruum fidelem, quem mittes in Mundum, vt verba tua annuntiet eis: sicque conuertentur ad te omnium Saluatorem. Habeo etiàm alium seruum, quem ei adhibebo adiutorem, vt similiter operetur.* (Illum autem fuisse Diuum Franciscum, indicauit ipse D. Dominicus, cùm postridiè eum anteà ignotum in templo inuenit, amplexibus & osculis sanctis excepit, & dixit: *Tu es socius meus, tu mecum pariter curres. Stemus simul, & nullus aduersarius vincet nos. Visionem quoque, quam iàm diximus, enarrauit ei, cuius seriem & notitiam per Sanctum Franciscum accepimus.* Ex vitâ Beati Dominici libro secundo cap. 1. apud Surium 4. Aug.

Ergone hinc adparet, nisi hi duo Diui, Mundo erudiendo, repurgandoque tanto studio incubuissent, vel Mundi machinam funditus ruituram, vel genus hominum tûnc fuisse internecione interiturum?

Lictoribus illis, seu quatuor Angelis, iàm virgas

gas, secures, cultrosque expedientibus, & clamantibus solemne suum *Agon*? tùm Franciscus, instar Angeli quinti, cum Beato Dominico fratre suo in Christo, opportunè exclamat: *Nolite nocere terræ, & mari &c. donec signemus seruos Dei nostri &c.* donec Mundum minimè mundum, imò ipso Augiæ stabulo immundiorem repurgemus; donec Crucem, quàm nunc sic omnes oderunt, amabilem reddamus, & ferendam offeramus; donec Charitatis iàm frigentis ignes excitemus; donec errantes rectâ fide imbuamus &c.

Q.d. *Domine, dimitte illam* (ficulneam) *& hoc anno, vsque dùm fodiam circa illam, & mittam stercora: & siquidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam.* Luc. 13.

In tempore iracundiæ factus est reconciliatio.

Quantum Estheri Reginæ magnæ debent Iudæi seruati ab excidio, cui erant ab Amane nullo suo merito destinati; tantum debent inopi Francisco, eiusque commilitoni Dominico, maiores nostri, erepti illi, quam peccatis meruerant, internecioni.

Quid dicam de amplissimo illo Iubilæo, seu Indulgentijs, Portiunculæ vulgò dictis, quas vniuersis, viuæ Christi vocis oraculo, impetrauit? *De eâ re est Bulla Benedicti XI. Assisii.*

Et quis scit, nisi hos *duo prætereat tales Idæa tulisset*
Terra viros,

Haberetque adhùc in Cœlo suos cum primis apud Deum intercessores; an non sæpè in ijsdem periculis nos quoque versaremur? Quis scit?

* 3. *Supplementi.* Vt enim & remigantibus, & in castris militantibus, seu prosperè, seu infœliciter

agant, ſemper grati vtilesque adueniunt, qui ſupplementa adducunt, ad iuſtum numerum explendum ſuccenturianda, ſeu ex tironibus, ſeu ex veteranis & ſtationarijs; ſic Franciſcus non potuit, nec poteſt etiàm nùnc, non chariſsimus & vtiliſsimus caſtris Chriſti fuiſſe & eſſe, id eſt, Eccleſiæ, qui ſemper ſupplementis illi adducendis ſtuduit, ac ſæpè ampliſsima adduxit, & nùnc quoque eadem præſtat.

Notiſsimum lippis & tonſoribns, ipſum aliquoties infideles adijſſe; primùm, ſexto conuerſionis ſuæ anno, deindè tertiodecimo. *Bonau. c. 9.*

Notum, fratres ab eo, ad Mahumetanos conuertendos, fuiſſe deſtinatos, orbemque partitum fuiſſe.

Paulò poſt mortem S. Franciſci anno ſalutis 1234. Gregorij IX. Pontificatus anno ſeptimo, Fratres Minores Aſiam peragrârunt, Saracenis, & Georgianis (qui hodiè ſunt Hyberi Iouio lib. 14. hiſt.) cæteriſque impijs nationibus Chriſtum euangelizantes. *Petr. Radulphus lib. 2. Seraph. Rel.*

Tartaros non ſemel adierunt, omnium primùm miſsi ab Innocente IV. anno Domini 1245. multis Chriſti fidem profeſsis, paulò pòſt plures illùc operarij deſtinati, monaſteria multa exſtructa.

B. Odoricus Franciſcanus tota ferè Europa peragrata, per Pontum Euxinum, venit Trapezuntem veterem, Græcorum vrbem, vndè ſe contulit ad Perſas, & Medos, vicinaſque regiones, quibus fidem Chriſti ardentiſsimè, magnoque fructu annuntiauit. Deindè venit ad Canſaiam, & Cathaſum, & oppidum Cambelech, vbi magnus ille Cham (quo nomine Tartarorum Imperator vocatur) regiam habet.

Bulgari

Bulgari labe hæreseos infecti, circiter annum Domini 1366. (vt scribit Antonin. hist. p. 3. tit. 24. cap. 10. §. 20.) opera FF. Minorum, in ouile Christi reducti sunt.

Eo ipso tempore, cùm à Rege Hungariæ (quæ Bulgariæ affinis est) quædam finitimæ Prouinciæ subactæ essent, destinati illuc Franciscani octo, non pluribus quam quinquaginta diebus ducenta hominum milia Christo pepererunt.

Noui Orbis conuersio, potissimum est Franciscanorum. Ipsi enim omnium primi prouinciam illam adgressi sunt, alij secuti sunt. Ipsi *ostium magnum* cæteris aperuerunt, ac strauerunt viam.

Ipsis debetur spiritualis illius *Excidij turritus honos.*

Insulas Fortunatas septem, quæ nùnc, à fertilitate cannarum saccariferarum, Cannariæ adpellantur, Fratres Minores circiter annum Domini 1450. cicurarunt, & Christi regno adiecerunt. S. Didacus ipse Laicus, eò missus Guardianus, magnas Impiorum reliquias conuertit.

Ad Cannas olim victi Romani ab Annibale; ibi verò ad Cannas quoque illas multi Annibales victi & subditi Christo à Fratribus Minoribus Romanè Catholicis.

Quæ regio in terris nostri non plena laboris? possit nùnc Franciscus exclamare. Virgil. AEneid.

Quid? ad inueniendum etiàm nouum Indorum Occiduorum orbem, qui antè ne de nomine quidem notus erat, Franciscani plurimum contulêre, primique in ipso Fidei Christianæ fundamenta iecerunt. Ipsi plantarunt, alij rigarunt; *Deus autem incrementum dedit.*

Franciscani duo, Columbi dictis parùm ad parentibus

tibus fidem fecerunt apud Hispaniæ Regem Ferdinandum. *R.P.F. Franc. Gonzag. hist. de orig. Seraph. relig. par. 4.*

Referam, ad maiorem fidem, externi scriptoris testimonium, Hieronymi scilicet Plati, scriptoris omnium, quos sciam è S. I. candidissimi, & maximè ingenui: *Primos omnium* (inquit) *qui tantam hanc prouinciam adgressi sunt, Franciscanos fuisse legimus. atque eosdem etiam in ijs regionibus inueniendis, cùm antè ne de nomine quidem audita essent, magnopere contulisse... Aliquot familiæ eius Patres, in Mexicana regna* (reuerso Columbo) *nauigârunt, annum circiter à Christo nato* 1463. *Atque eodem penè tempore ad Occidentalem* (Orientalem) *Indiam, Emanuelis Lusitani Regis auspicijs à Vasco Gamâ patefactam, anno videlicet* 1500. *missi sunt Euangelij causâ, ex eadem familiâ viri octo, tùm doctrina, tùm pietate præstantes.* Platus libro secundo de bono status Religiosi capite 30.

Archiepiscopus Cæsariensis, Christophorus à Capite-Fontium, Ordinis nostri quondam Generalis Minister, aliquid pleniùs dicit: *Ibi* (inquit) *multa regna, oppida, prouincias, & vrbes Christi imperio subiugarunt. idque antequàm sodalium nominis Iesu instituta Religio foret, quibus si primam illarum Gentium conuersionem quisquam adtribuere velit, summâ nostros alioscúe Mendicantes Religiosos, iniuriâ, debitam illis suffurando laudem, afficeret. Iam enim per quadraginta ad minus annos, antequàm quispiam illùc peruenisset Iesuita, Gentes illæ Christo nostri, verbi Dei falce metebant.* Capite-Fontanus, ep. ante Compendium Priuilegiorum FF. Minorum.

F. Martinus à Valentiâ, qui anno salutis 1524. cum

cum vndecim socijs instituti Franciscani, tanquàm Vicarius Summi Pontificis (vt scribit Surius) à Carolo V. Imp. missus fuerat in Mexicanam messem, sic indè scripsit ad R.P.F. Matthiam VVenssen Commissarium Generalem Cismontanum Ord. Francisci ep. quam dabat anno 1531. *Verè loquor, non hyperbolicè, plus quàm decies centena milia Indorum sunt à filijs vestris baptizata: quorum quisque, præsertim illi duodecim, qui missi sunt vnà mecum, plus quàm centum milia baptizauit &c.* Proh, Dei benedictionem.

Illuc *venimus, vidimus, Christus vicit.*

Plura cupienti dabit affatim vetus Amicus meus R.P. Henricus Sedulius, commentario suo ad vitam D. Francisci pag. 228. & seqq. multis.

Denique; quòd Mauri & Mahumetani toto regno Granatæ exuti atque expulsi sunt sub Ferdinando; pertinet magna eius gloriæ pars ad Franciscum Ximenem è Franciscano Cardinalem & Archiepiscopum Toletanum, qui ex parsimonia erga se penè immoderata, tantum vectigal collegit, vt indè illi bello penè solus sumptus omnes suffecerit: adparetque ipsum vehementem eius sacri belli hortatorem & incentorem fuisse, vel ex illo Hispanorum prouerbio de ipso (opinor:) *Poco os duelen Don Ximeno, estocadas en cuerpo ageno*, id est, parùm tibi dolent, aut parui facis vulnera aliena.

* 4. *Pacificationis.* Nàm is genius Ordinis nostri proprius videtur, ibi pacem ferere, vbi turbata sunt omnia.

Non referam illud adhùc calens Sixti quinti Pont. Max. Franciscani, in suam Italiam quietis beneficium.

Satis enim (opinor) nostis, quemadmodum Six-

tus

tus ille V. ante Pontificatum dictus Felix Perettius, Picenas, Altimontanus, nouissimè anno 1585. summus Pontifex salutatus, sicariis, qui totam Italiam anteà inuicti infestauerant, mirâ dexteritate exactis, & suo ipsorum quasi gladio deletis, toti Italię tranquillitatem ac securitatem tantam restituerit, vt iàm possit

Cantare auratus coram latrone viator.

Cadmæa quædam illic *victoria.*

Vniuscuiusque gladius tunc *versus ad proximum suum fuit.* 1. Regg.

——furit omnis turba, suoque
Marte cadunt subiti per mutua vulnera fratres. Oui. lib. 3. Metam.

Sed nec adhùc fumantem illam Veruini pacem, Belgio, imò toti Christianati, tàm necessariam, multis commemorabo.

Scitis enim ipsi plenissimè, quemadmodum Reuerendissimus P. F. Bonauentura à Calatagyrone, Generalis Ordinis nostri Pater, hoc anno 1598. 2. Maij, Philippum II. Hispan. & Henricum IIII. Gallorum Reges diuturnis bellis digladiatos, tãdem (aditis nouies aut decies Gallijs, non sine multis vitæ *periculis* etiàm *à falsis fratribus*) conciliârit, pacemque toto orbe fugientem, quasi capillis arreptam retraxerit, reduxerit.

(*Miror, amice lector, quendam Iacob. Gordonum in Chronologiâ suâ ad annum* 1598. *pag.* 483. *pacem illam Verninensem tractare, nec tamen vel Ordinis Franciscani, vel Pacificatoris ipsius, tanti in Ecclesia viri, vel verbulo meminisse; sed & commemorantem indutias Belgicas* 12. *annorum, Antuerpiæ* 14. *Aprilis* 1609. *sequestro R. P. F. Iohanne Neyeno, etiàm Minorita, peractas, eius quoque nomen omninò tacere pag.* 492. *Itaque paucula ista tibi sint supplementi loco, ad maiorem Dei & D. Francisci gloriam.*)

Malo

Malo vetuſtiora paulò, & minùs cognita producere.

Pax illa, quæ tandem inter iratiſsimos illos Leones duos, Carolum V. Imperat. & Franciſcum I. Gallorum Regem, quos non Principes, non Cardinales, non Pontifex ipſe Summus, non fuſi ſanguinis torrentes, non metus Turcarum conciliare potuerant, menſe Septembri 1544. eſt firmata; ecquorum quæſo magis, quam Franciſcani vnius interuentu, quo Confeſsionum auditore Imperator ipſe vtebatur, & Dominicani cuiuſdam, tùm Pariſijs Theologiæ candidati, eidem illi Franciſcano (ità ſcilicet ab initio ſe amant duo illi Ordines) amiciſsimi, inuenta eſt? *M. G. Paradinus lib. 4. hiſt. noſtri temp. ad annum* 1544.

Quis Hiſpaniæ tumultus, aduerſus Carolum V. Imperat. Ducibus Iohanne à Padillia, & quodam Brauo, excitatos ſerenauit, præter vnum Antonium à Gueuarra, Minoritam Hiſpanum, Cæſari ipſi à Conſilijs, à Concionibus, ab Annalibus, eumdemque Epiſcopum Mondonienſem, aditis ſepties, ſexdecim dierum ſpatiolo, perduellium caſtris? *Vide epp. aureas Gueuarræ in fine.*

Quis, niſi quidam Iacobus Marchianus, & ipſe Minorita, Budæ Hungaris Teutonibuſque rixantibus, ferroque iàm decernentibus, pacem mòx reddidit, armaque propè de manibus extorſit? Is enim tùnc interueniens, ſola Crucifixi Ieſu imagine, & blandis precibus armatus id præſtitit. *AEneas Syluius, hiſtoria de Europa cap.* 1.

Sub Gregorio X. an non Concilio Lugdunenſi, Græcorum hæreſes compoſitæ, & tota gens ipſorum (præſente Palæologo ſuo Imp.) ad Romanæ Sedis obedi-

obedientiam reducta, sequestris Franciscanis, scilicet Frat. Bona-Gratiâ Dalmatâ, & maximè D. Bonaventurâ Cardinale & Episcopo Albanensi, necnon socijs Episcopis Rhotomagensi & Tripolitano, etiàm Franciscanis? *Off. Ord. die 7. infra Oct. S. Bonau.*

Sunt scilicet Francisci filij, diuerso planè genio, ab ijs *qui bella volunt*, qui *totâ die constituunt prælia*; bella ex bellis serunt. Illi tela fabricant; filij Francisci nil nisi nent telas, & bonas paces texunt, *filij Pacis*, & *Principis Pacis* seduli ministri.

* 5. *Repræsentationis* exactissimæ Crucifixi Iesu, ab ipsius Iesu Christi manu.

Cœlatum diuini opus Alcimedontis. Virg. Bucol. Eclog. 3.

Si omnis imago Crucifixi, vel sculpta, vel picta, vel fusa à quocumque artifice, & ex quacumque tandem materiâ, Catholico cuicumque chara est, & veneranda; charis ijsdem veneranduscque ille erit, qui, quantus quantus fuit, viua Christi imago fuit, stigmatibus, moribus, & quidem à Christi manu & gratiâ?

Ille Crucis duræ, & Crucifixi politum speculum est, in quo Redemptor noster iterùm orbi monstrat sua vulnera, & ille vicissim ipsa suo Redemptori.

Ille fons illimis, & limpidus, in quo se Christus, & nos aliquo modo Christum possimus intueri.

Vt quondam Narcissum Narcisso fons *pellucidus* ità repræsentauit, vt suæ pulchritudinis amore ipse carperetur; ità Christum, Christi Franciscus, etiàm tacitus, sic admonet, vt suæ beneficium

Passi-

passionis magis magisque deamet, vt perire nolit, pro quibus talia passus, & stigmatis talibus compunctus est.

Non est ouum ouo tàm simile, aut Luna Lunæ, aut gutta guttæ, quàm Franciscus Crucifixo.

Quod de Iacobo dictum ob vultuũ similitudinem; *Qui videt eum, videt & Christum*; ratione etiam cuius tantæ similitudinis, creditur Iudas osculi signo vsus fuisse, ne alius pro alio caperetur; & quod Christus de se & Patre, dixit Philippo: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem*, ob substantiæ vnitatem, atque identitatem in vtroq; , id dixeris etiàm iure de Francisco, ratione scilicet æternæ huius figuræ stigmaticæ, & maximæ similitudinis vitæ.

Verè Franciscus, Christophorus quidam fuit, qui sic *glorificauit, & portauit Christum in corpore suo.*

Iure dixerit: *Viuo ego, iàm non ego, viuit verò in me Christus.*

Simia (vt sic dicam) Christi fuit ingeniosissima, & sanctus eius adulator: *vultum ex vultu* Domini nostri Iesu Christi *comparauit*, scilicet mores ex moribus, studia ex studiis &c.

Flet, si lachrymas adspexit amici. Iuuenal. Sat. 3.

Homo totus *factus ad imaginem, & similitudinem Christi.*

Nulla cera expressiùs sigillum vllum adpressum retulerit, quàm Christum Frãciscus noster à Christo stigmatis sigillatus.

Nec glacies, aut speculum vllum sic exprimit res sibi obiectas, vt Franciscus, & speciem, & totam penè vitam Crucifixi.

Ergò, si quiuis homo vel idcircò amandus, quià est *ad imaginem Dei*, quo modo non Diuus

Franciſcus valdè amabitur, qui præter illam communem omnibus imaginem Dei, priuata quoque aliqua ſanè admirabili diuinitus eſt inſignitus.

Parùm diligere mihi videtur Deum (dicam enim hoc audacter) quiſquis parùm amat Franciſcum. Nemo enim non amat, ac tantum non adorat cuiuſcumque vel perſonæ, vel rei, quam deamet, imaginem, imò veſtigium, adeò vt hinc primus ac ſummus quæſtus pictoribus, imò hinc origo veteris Idolatriæ.

Si non diligis fratrem, quem vides; quomodò diligis Deum, quem non vides? ait Apoſtolus: ego verò à ſimili: *ſi non diligis Franciſcum Cruciferum, quem vides; quomodò diligis Chriſtum Crucifixum, quem non vides?*

Ergò (Auditores &c.) hunc verum Ieſuitam, hunc Cruciferum: hunc militiæ Chriſti Aquiliferum, ſeu vexilliferum, hunc Cœli Cancellarium, hunc terreſtrem Angelum, hunc cœleſtem hominem, apud Deum tàm gratioſum, tàm potentem pergite colere, ardore, quo ſoletis, & ſanctam eius poſteritatem, quam tàm numeroſam in vrbe iſtâ veſtra alitis, hîc Conuentualium, hîc Obſeruantinorum ſeu Diſcalceatorum, hîc Capucinorum (vel amore tanti Patris) ſolito fauore complecti.

Quod vni ex minimis eius *feceritis*, illi & *Chriſto feceritis*. Viciſsim ille vos & veſtra tuebitur.

Ille pacem illam altam & diuturnam, in quâ nùnc, Dei beneficio ſanè ſingulari, *inter tot* bella in viciniâ, ſecuriſsimè degitis, aut æternam faciet; aut, ſi quandò lædetur (quod Deus auertat,) reſarciet.

Sed

Sed non sit satis Franciscum mirari vel amare, cognamini etiàm magna cõtentione eius vitam, quà cuique licet, imitari.

Imitatores mei estote, charissimi, sicut & ego Christi, inquit ille vniuersis quidem, sed maximè mihi, sed vobis (Patres ac fratres mei reuerendi) & Ordini vniuerso.

Ità viuamus nos, vt digni tanto Patre, & non degeneris filij, apud Deum & hominis censeamur; nemo nobis occinat:

At non ille, satum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoste fuit Priamo &c. Virg. 2. AEneid.

Quàm enim turpe fuit Iudæis sæpè iactare: *Patrem habemus Abraham*: aut, *filij Abrahæ sumus*: *opera* autem *Abrahæ non facere*; tàm dedecorosum nobis fuerit, Francisco Patre Sanctissimo gloriari, gerere autem animos omni pietate defunctos.

——— *Perit omnis in illo*
Gentis honos, cuius laus est in origine solâ. Ouid. vel potiùs Lucan. ecloga ad Pisonem.

Sic, sic viuat vnusquisque, vt dicere iure possit: *Dij mihi sunt testes, non degenerâsse propinquis.* Propert.

Ità puritati vitæ quisque nostrûm studeat, vt nemo nobis obganniat, *Patrem* quidem, vt Angelum, supraque hominem vixisse; filios verò, infra homines. *Patrem*, vt Seraphinum incredibili amore Dei & proximi totum arsisse; quosdam verò ex filijs omni glacie esse frigidiores. *Patrem*, aquilæ instar, oculos semper ad alta erexisse, in Deum fixisse; quosdam verò ex filiis vt pullos aquilarum degeneres; indè suos auertere, reflectere, nil nisi terram spectare; neque posse æterni Solis radios irrepercussis oculis

Intueri. *Patrem* fortiter mũdum, ac pompas calcâſſe, opes ſpreuiſſe; quoſdam verò ex filijs opibus inhiare, & mundo quoque ancillari vel adulari. *Patrem* virtute meritorum, ab alijs, vltionem iàm diuinitùs paratam, auertiſſe; quoſdam verò ex filijs, vel negligentia, vel (quod abſit) etiãm nequitiâ adtrahere. *Patrem* paces perfeciſſe; filios, bella vel ſerere, vel alere &c.

Sit, quæſo, ſit *qualis pater, talis filius.*

Nemini dantes vllam offenſionem, ità vitam inſtituamus; vt nemo dicere iure poſsit: *Vnus ædificans, & alius deſtruens*: aut; Pater ædificauit, filij deſtruxêre: Pater collegit, Filij diſpersêre &c.

Vel: Patres, exemplis optimis, & concionibus aures & corda fidelium ad ſe rapuerunt: Filij concionibus vix retinent. &c.

Vel illud: *quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus color optimus.* Thren.

Vel illud: Pater ſi iàm renaſcatur, filios ipſe ſuos non agnoſcat, imò abdicet, eiuret, & diris deuoueat, vt in vitâ ſolebat præſentes & futuros autores ſcandalorum.

Vos, per vos, per Patrem hunc veſtrum, per ſacra omnia obteſtor, date operam omnes & ſinguli, vt *gloria* tàm probi *Patris*, ſit *filius ſapiens*: efficiteque, vt his Comitijs tã ſolemnibus, Præſidente R.P. VVillotio viro tanto, ſi quid frigere videtis, iterùm ardere faciatis; ſi quid ſordeſcere, repurgetis; ſi quid veteris diſciplinæ labaſcere, erigatis; ſi quid vacillare, confirmetis. &c.

Hoc à vobis poſtulat, hoc ſperat opellulæ *huius* ſuæ precium, veſter, qui hæc dicit, Orator, hoc Cœtus iſte totus nobiliſsimus affectat, hoc denique Diuus Franciſcus vobis commendat, hoc Deus ipſe

ipse vobis imperat. DIXI.

Paleæ, & Micæ.

*1. *Franciscus* Assisinas videtur eius nominis primus fuisse, ab euentu sic dictus.

Nàm *pater eius Petrus Bernardinus* (alijs, Bernardo, genitiuo Bernardonis) *quòd ad Francos penetrauerat ob merces, id filio nomen indiderat.* Volaterr. lib. 2. Anthropol.

D. Bonau. in vitâ Franc. vocat D. Francisci patrem, *Petrum Bernardonem*, non Bernardinum, vt Volaterranus.

Debet ergò Gallis, seu Francis, charissimus esse Ordo D. Francisci, vtpotè cuius autor ab ipsis nomen deriuatum habuerit, & vicissim Ordini Francisci charissima esse ipsa Francia, quam, se nominans, nominat.

In Martyrol. Rom. 9. Martij fit mentio cuiusdam Franciscæ his verbis: *Romæ, B. Franciscæ viduæ, nobilitate generis, vitæ sanctitate, & miraculorum gratiâ celebris.*

Cùm Franciscus à matre Iohannes dictus esset, à patre peregrè reuerso Franciscus, quasi Francicus, dictus est, quod se in Franciâ versante natus esset, fortasse non tàm nomine quàm cognomento, quod posteà in nomen transierit.

Audiui qui diceret, etiàm Franciscum ità dictum, quòd Francicè, id est, Gallicè optimè loqueretur, credo, & delectaretur. Verisimile id facit

Responsorium, quod festo eius die cantamus, haustum ex vitâ eius, per D. Bonauent. *Dùm, seminudo corpore, laudes decantat Gallicè, Zelator nouæ legis; Latronibus in nemore respondet sic propheticè* ; *Præco sum Magni Regis* : Respons. quartum diei Festi.

Cæterùm, notandum, Agnomina & cognomenta extrinsecùs accidere tribus modis vt plurimùm. Aut ex animo, vt Superbus, Pius. Aut ex corpore, vt Crassus, Pulcher, Naso. Aut ex fortunâ, vt Africanus, Numantinus, Torquatus &c.

* 2. *Sixtus* IV. ex Franciscano Pontifex Max. concessit omnibus & singulis Christi fidelibus, Ecclesias & Oratoria F F. Minorum, in festo D. Francisci visitantibus centum annos Indulgentiæ, & totidem Quadragenas. Item in festis S S. Antonii Paduani? Ludouici Episcopi; Bernardini; S. Claræ, & Elisabethæ, à primis vesperis, & per totum diem ipsarum festiuitatum quinquaginta annos, & totidem Quadragenas.

Idem SIXTVS concessit omnibus celebrantibus festum B. Francisci, & verè pœnitentibus, quinquaginta annos Indulgentiæ, & totidem Quadragenas. Vbi nota (pie lector) indulgeri superius sacra loca fratrum visitantibus, hic verò festum celebrantibus ac verè pœnitentibus, etsi loca fratrum non visitent. *Habetur Romæ Bulla Papalis, hoc initio* : *Præclara Sanctorum merita &c.*

* 3. *Suprà*, vbi tantùm nominatus est R. P. Robertus de Licio noster, addi possit ex Volaterrano Anthropologiæ lib. 21. cap. de claris viris Ordinis Minorum. *Robertus ex Alecio Apuliæ oppido ...adolescēs admodùm concionari cœperat, tāta eius eloquentia*

quentiæ morumque admiratione, vt omnes in eadem arte, & pronuntiationem, & gestus eius imitari conarentur, proœmiandi, exclamandi, cõmiserandi, digrediendi, epilogandi. Nouus quasi Orator diuini verbi modum sæculo monstrauit. Trecentos persuadendo ad hunc Ordinem deduxit, vt ipse testabatur.

Item, ex Erasmo lib. 3. de ratione concionandi, mihi pag. 357. Aliquandò illi gloriari contigit, posse Audtoribus lachrymas excutere quoties vellet. Cumque Vicarius quidam de grege Obseruantium, vir eruditus, pius & grauis diceret: *Ecquibus tu excuteres lachrymas, nisi fortè pueris, aut mulierculis?* Tũm Robertus: *Tu igitur vir tantus, cras concioni meæ adesto eo loco consistens, quem tibi designabo, vt mihi sis in conspectu. Si tibi non excussero lachrymas, ego victus &c. si excussero, tu victus &c.*

Pactum, conuentumque est. Adfuit Vicarius, stetit vbi iussus fuit. Ibi Robertus quum multis modis amplificasset Dei erga homines charitatem ac beneficentiam; rursùs, hominum erga Deum ingratitudinem duritiemque, qui nullis inuitamentis emolliri possent ad pœnitentiam, atque amorem mutuum, fecit Apostrophen ad cor hominis, Dei nomine. O cor plusquàm ferreum, ô cor adamante durius, ferrum igne liquescit; adamas hircino sanguine vincitur: ego quum nihil non faciam, non possum ex te vel vnam extundere lachrymulam. Non desijt hanc vrgere apostrophen, magnis clamoribus, donec Vicario, erumperent lachrymæ. Proh miram hominis vim dicendi, quâ potuerit, etiàm summo studio reluctantem, & sibi cauentem, ad fletum cogere?

Idipsum narratur in quodam libro Ioco-seriorum, Francofurti apud Palthenium impresso 1603. Io-

coserio 404. pag. 359. qui & Erasmum citat. Autorù nomen ne quære doceri.

* 4. *Seipsum* quoque,& Ordinem suum Minimorum,aliquo modo debet Francisco Assisinati S.Franciscus Paulæ Calaber. Nàm *parentes* eius , *cùm diù prole caruissent , voto facto, B. Francisci precibus,eum impetrarunt*. Breu. Rom. die 2. Aprilis.

* 5. *Hunc* scripturæ locum : *Mihi mundus crucifixus est,& ego mundo* , egregiè ac piè admodùm explicat D. Bernardus serm. quodam de Quadragesimâ, cui tit. *De Peregrino , Mortuo &c.* in fine.

* 6. *P. Petrus* Ribadeneira lib. 3. vitæ B. Ignatij c. 17. sic de Minoribus Obseruantinis. *Vniuersus D. Francisci Minorum Ordo de obseruantia , Ecclesiæ & ipse lumen , ac ornamentum* ; gloriaturque de eius in Societatem publico fauore.

* 6. *Agnoscat vnusquisque ordinem suum , & quid dignum sit eo ordine, quem suscepit,intelligat , & ità libret actus suos , ità etiàm sermonem , incessum quoque ipsum,& habitum moderetur,vt cumOrdinis sui professione conueniat , ne audiat dici ad se à Deo : Quià propter vos nomen meum blasphematur inter gentes.*Orig.hom. 2. in Numeros.

* 7. *In frontibus* eorum. Neminem esse signandum in fronte, quià non debet facies hominis ad similitudinem Dei formata , fœdari. *Constitutio Constantini Imp. in L. 17.Cod. d. t.*

* 8. *M. Marulus.* libr. 3. Exempl. c. 8. *Quàm tu sapienter,Pater Francisce, cuidam nuditatem tuam hyemis tempore calumnianti, ac petenti, vt guttulam sibi sudoris veuderes;eam te Christo, non hominibus vendere respondisti ? O felix ille sic irrisæ nuditatis sudor , quem tu soli Christo dedicans , mercatus es regna cœlorum.*

* 9. *Anno Domini millesimo quingentesimo clarui[t] in Ita-*

in Italia, in ciuitate Ferrarienſi virgo quædam deuotiſſima, Dominicæ Paſſionis meditatrix feruentiſſima, nomine Lucia, ſoror profeſſa ſub tertia Regulâ ſancti Domin. Ord. Prædicator. ſtigmatibus crucifixi viſibiliter, & ſenſibiliter inſignita, quæ omni ſexta feria ſanguinem fluentem de ſe manifeſtè emittunt. Et licet præfata virgo continuum eorumdem ſtigmatum ſentiat dolorem, quartis tamen & ſextis amplius cruciatur. Hæc ſtigmata multi diri docti & clariſſimi, & viderunt & palparunt, qui teſtimonium miraculo perhibent, quorum teſtimonio nos contradicere nec volumus, ne debemus. Sic Antonius Dauroultius Catechiſmi ſui Hiſtor. Latini, tomo 1. ca. 1. tit. 32. exempl. 17. ex Ioh. Trithem. in Chron. Spanheimenſi, ſub an. Dom. 1500.

(***)

IN FESTO ANNVNTIATIONIS B. Mariæ Virginis, 25. Martij, & in Aduentu Domini, Feriâ 4. quatuor Temporum Decembris, sub Natalem IESV CHRISTI, Soræ-Castriæ, 1614.

THEMA. *Aue gratia plena: Dominus tecùm: benedicta tu in mulieribus.* Luc. 1.

TAntisper intermisso nostro, de Baptistæ vinculis, quotidiano tractatu, hodiè placet (Auditores &c.) de Euangelio festi hodierni, pauca pro eius inexhaustâ vbertate, dicere, & legationé Dei ad virginem per Angelum, legationi hominis ad Deum-Hominem, id est, Baptistæ ad Christum per discipulos duos, tantisper anteferre, & Matrem Dei, Baptistæ Hominis Dei, præponere. *Quod differtur, nõ aufertur.* Prou.

Dicendum ergò hodiè mihi
1. *De amplitudine huius legationis; & cùr Christo de Virgine, eaq; desponsata, nasci libuerit;*
2. *Cùr turbata hic virgo Maria;*
3. *Quomodò, & quandò inuenerit Maria gratiam, & in quem vsum.* AVE.

I.

De amplitudine huius legationis, & cùr Christo de virgine, eaque desponsata, nasci libuerit.

Num-

Numquàm hactenùs nec fuit, nec erit (opinor) legatio, neque publica, neque priuata, neque honoraria, hâc hodierna amplior atque auguſtior Auditores &c.)

Legatio ferè nobilis eſt, quà à
1. *Legante*;
2. *Legato*;
3. *Perſonâ, ad quam ſit legatio*;
4. *Legationis materiâ.*

* 1. *Legante*, ſeu termino à quo. Vt ſi Pontifex Maxim. ſit, Imperator, aut Rex qui Legatos deſtinat.

Quid Deo trino & vno ſublimius? Quid illo Triumuiratu, non tricorpore, ſed Triuultio auguſtius?

At *miſſus eſt Angelus* iſte *à Deo*, Patre ambiente Filio ſuo has humanas nuptias; Filio quaſi amatore ipſo; Spiritu-Sancto, quaſi conciliatore, & pronubo.

D. Antonius acceptis à Conſtantino Magno literis honorificis, ſuis Monachis id ſtupentibus, Magnus & hinc ipſe, ac propè ſeipſo maior, viſus eſt. At *quid adeò magnum, Regem ad hominem ſcribere?* (vt ipſe ſuis aiebat) id eſt, hominem ad hominem? Magnum verò omninò eſt, Deum Opt. Max. Regem Regum, ad hominem, ad virgunculam, vel ſcribere, vel legationem ſupplicem deſtinare, quod hîc factum.

Phocion quoque illuſtris habitus, ac meritò ſanè, quod ei ſcriberet Alexander, χαιρειν, ſaluere.

At quid adeò magnum, & hoc quoque, Regem ità ſcribere ad fortem virum?

Vt ibi eſſet impuritas aliqua fortunæ, Naturæ tamen paritas erat, & fortè qui fortunà erat inferior, virtute erat ſuperior. *Sapiens vno minor eſt Ioue.*

At hic qui legationem mittit Deus eſt, vndequaq; ea, ad quam mittit, infinitè ſuperior.

Finiti

Finiti ad infinitum nulla est proportio, ait Schola.

* 2. *Legato*, id est, medio, per quod.

Non, vt olim, missus est hîc Propheta aliquis vnus è multis, vt Moyses ad suos primùm, deindè ad Pharaonem; Nathan ad Dauidem, Ionas ad Niniuitas, Ieremias ad pop. Iudæorum &c. non, sed Angelus aliquis, imò Archangelus, ac supremus quidem in ordine Archangelorum, *iuxta Tho. p. 3. q. 30. art. 2. ad quartum.*

Cùr Angelus? propter
1. *Mandati naturam;*
2. *Mariæ ipsius conditionem;*
3. *Ordinis suauitatem;*
4. *Hostimentum.*

* 1. *Mandati* naturam. *Tanti mandati mysterium non hominis fuit, sed Angeli ore promendum.* Ambros. lib. 2. in Luc.

Non omnes possunt prælia flare tubâ. Mich. Verinus in distich.

Sumite materiam vestris qui scribitis (seu dicitis) *æquam*
Viribus, & versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri. Horat. in Arte.

Palladius de re rustica lib. 1. c. 6. *Modū tene, æstimatis facultatibus tuis, in assumptione culturæ, ne superatis viribus, excedēte mensura, turpiter deseras, quod arroganter assumis.*

Non ideò debet pelago se credere, si qua
Audet in exiguo ludere cymba lacu. Ouid. 2. Trist. ad Augustum.

Diuitis ingenij est, immania Cæsaris acta
Condere, materia ne superetur opus. Idem ibid.

Non sunt ingenij culpa *laudes Cæsaris deterendæ*, vt loquitur Horat.

Hac legatione, mysteria omnia & sacramēta regni Dei includebantur.

* Ge-

* *Generationes* duæ inenarrabiles Christi, diuina ex solo Patre, humana ex sola matre, eaque virgine, erant adtingendæ. A natura virgine, virgineus conceptus tractandus fuit. *Sancta Sanctis.*

* *Maximè* contraria erant simùl tractanda, hinc res nuptialis & generatio; illinc nihilominùs Virginis perpetua incorruptio. Orator ergò Naturæ dexterrimæ hûc erat necessarius, cuiusmodi sunt Angeli.

* *Deindè*, Angelos tangebat quoque hæc legatio, cùm, quà supplementa ruinæ suæ tangebat; tùm, quà meritis Christi præuisis ne ruerent, seruati fuerant, qui in gratia Dei perstiterant.

* ij. *Mariæ* ipsius conditionem, quià scilicet erat Virgo professione, Vestalis (vt sic dicam) & semper cubiculo clausa, & virorum adspectibus & colloquijs inassueta, Iosepho suo antè ignoto, neque forsitan colloquuto, despônsata, Angelorum colloquiis, hactenùs, & ministerijs vsa; vndè & Alma in Hebræo vocatur ab Isaia, ibi: *Ecce virgo concipiet* &c. quæ vox (teste Hieronymo) significat *abscondit am virginem*, id est, non solùm virginem, sed cum ἐπιτάσει virginem, quià non omnis virgo abscondita est, nec ab hominum fortuito separata conspectu, vt docet Hieronymus lib. 1. aduersus Iouinianum.

Alma, id est, Virgo secreta, & nimio parentum diligentia custodita.

Terruisset eam primo adspectu vir quilibet, vt columbam accipiter, imò vt ouium gregem, sonus tympani ex pelle lupina confecti.

Cognatio quædam est Angelorum Virginumque, & innoxia sympathia: Virorum autem cum virginibus, periculo proxima, Visu, Auditu, & vel solo Situ, si is proprior.

Vritur, *vritque videndo Fœmina.* Virg.

Si,

Si,Palladio teſte, *Græci iubent oliuam, cum plantatur, & legitur, à mundis pueris, atque virginibus operandum; credo, recordati, arbori huic præſulem eſſe caſtitatem;* Pallad. de ruſt. lib. 1. c. 6.

Si præcipiendum erat ijs,qui Iridem florem colligere vellent, vt ante omnia caſtè legerent; *Plinius lib. 20. c. 7.*

Si quis Oſtriaginem ſiue Parietariam herbam voluerit euellere,mundus, & ante ſolis ortum, legat, oportet; *Apuleius Platonicus lib. de viribus herbarum.*

Certè congruum quoque fuit, adeundo huic virginum omnium flori, huic oliuæ in domo Dei fructuoſiſsimæ colligendæ, eligendæ in matrem Dei, Angelum, neceſsitate naturæ virginem, deſtinari.

* iij. *Ordinis* ſuauitatem, ſecundum quem, mediantibus Angelis, diuina myſteria ad nos quoque perueniunt.

D. Dionyſ. Areop. c. 4. cœleſtis Hierarch. *Domini Ieſu benignitatis myſterium Angeli priùs edocti ſunt. Poſteà per ipſos ad nos cognitionis gratia tranſiuit.*

* iiij. *Hoſtimentum*, id eſt, vt tantum pro tanto ab Angelis homini penderetur, *vt vndè mors orietur, indè vita reſurgeret.*

Lex, Omnis res, ff. de regulis Iuris. *Omnis res, per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur.*

Malus genius, dialogo cum Euâ habito, in Mundū mortem importauerat; bonus genius, colloquio ſuo cum Mariâ, vitæ reparandæ prima iacere debuit fundamenta.

Angelus nequam, Euam adhuc virginem adloquens & lenocinans, nos in ruinam impulerat, magnâ ſua infamia: hîc Angelus bonus Mariam, virginem Dei nomine adloquutus, caſtè adblāditus, nos erexit. Rependium quoddam fuit, & tantum pro tanto.

Res

Res eadem vulnus, opemque tulit. Ouid.

Percutiam, & ego sanabo. Hoc dat salutem, quod necat. *Quæ nocent, docent.*

Ephes. 1. *Proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terris sunt.*

Ex Archangelis verò summus, aut ex summis aliquis missus est. Græcè Angelus est cum articulo, q.d. ille Magnus Angelus.

D. Greg. hom. 34. in Euang. *Qui summa nuntiant Archangeli vocantur. Hinc est quod ad Mariam virginem, non quilibet Angelus, sed Gabriel Archangelus mittitur. Ad hoc quippè ministerium, summum Angelum venire dignum fuerat, qui summum omnium nuntiabat.*

* 1. *A rei* nunciandæ magnitudine, Incarnationis scilicet Filij Dei, Nuptiarum Dei cum Homine, Noui operis Spiritus-Sancti.

* 2. *Ab rei* credendæ difficultate. Deus enim tùm erat futurus homo, & homo futurus Deus, idiomatum communicatione.

Virgo Deum paritura.

Citò, in instanti, perficienda illa vnio perfecti hominis, cum perfecto Deo. Dictum factum. Sine peccato, cum plenitudine scientiæ &c. cum nos dierum certis interuallis formemur, animemur. *Ante septimum mensem, haud vnquàm homo vitalis est.* Plinius lib. 7. c. 5.

Sic primò finxit Deus hominem de luto, deindè *inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Genes.

Maria autem verbo concepit filium, eodemque instanti perfectum hominem-Deum gessit: ac per aurem quidem, dicto illo suo *Fiat*, nō magis consensus, quàm voti & ingentis desiderij verbo.

D. *Bernard. serm. 2. Pentecost.* ait illàc (scilicet per aurem) antidotum, quà venenum.

Ennodius Episcop. Ticunēsis lib.1. Carm. Hymno X. de Maria. *Cùm sola Virgo degeret,*

Concepit aure filium:
Stupente factum corpore,
Turgescit aluus spiritu.
Quod lingua iecit, semen est,
In carne Verbum stringitur.
De matre cunctus noster est,
De Patre, nil distans Deus.

Quidni aure, cùm ore quoque ex vento equas, aliquo orbis loco, recurrente vere, concipere creditū sit?

Virgil.3.Georg. *Ore omnes versæ in Zephyrum stant rupibus altis, Exceptant que leues auras &c.* Vndè Lactant.lib.4.instit.c.12. *Quod si animalia quædam vento aut aura concipere solere omnibus notum est, cùr quispiam mirum putet, cum Spiritu Dei, cui facilè est quidquid velit, grauatam* (mel. grauidatam) *esse virginem dicimus?*

Quid? Etiàm insulam quandam grandem memorat Pomp. Mela, in qua tantùm fœminas esse narrāt, & quidem *sine coitu marium sua sponte fœcundas.* Mela lib.3.de situ orbis c.10.

Et Salomon in hoc sensu, dicens: *Infirmatus est vterus virginis, & accepit fretum, & grauata est, & facta est in multa miseratione mater virgo.* Apud Lactantium sup.

D. Basil. in sanctam Christi natiuitatem. *Etiàm hinc liquet, quòd, non pro communi natura, Domini caro condita sit, statim enim carne absolutus erat fœtus ille, non paulatim fingendo formatus, vt indicant verba: Non enim inquit, quod creatum est, sed quod genitum est &c.*

* 3. *A Summi amoris* opere, probatur vnùm è Seraphinis, id est, Angelis amore ardentibus mitti debuisse. Amo-

Amoris paterni ingentis fuit, vnigenitum Filium pro seruis morti obijcere.

Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.

Amoris excellentis fuit Filij in Patrem & nos, ibi obedire.

Exinaniuit semetipsum, factus obediens Patri, vsque ad mortem &c.

Ego sum vermis, & non homo.

Amoris magni quoque fuit Spiritus-Sancti in nos, opus tàm illustre condere, quod sciret profanatum, conculcatum, ac destructum propediem iri, nequitia Iudæorum maleuolorum: nihili tamen facere, oleum quasi & operam hic suam perditam, dum perditus homo sibi restitueretur.

Ardenter amantium sacri Triumuiratus personarum opus fuit ista Incarnatio.

Aliquis igitur è grege ardenter amantium, id est Seraphinorum, tractare negotium debuit.

Tractant fabrilia fabri.

Nauita de ventis, de tauris narrat arator.

* 4. *Quiâ fuit opus* meditationis & legatio pacificatoria, inter Deum & hominem, decuit, mediatorem eius ac paranymphum esse aliquem ex Angelis Deo coniunctissimis, vt sunt Seraphini. Est enim amor vnitiuus.

Facit vtraque vnum. Duo in carne vna.

* 5. *Quiâ opus nouum*, & Diabolo occultandum, debuit esse aliquis ex præcipuis Dei secretarijs, ac silentiarijs.

Nouum faciet Dominus super terram. Fœmina circumdabit virum.

Ecce virgo concipiet, & pariet filium, integra, sana, sine dolore, cum summa voluptate &c.

* 6. *Quiâ ad Mariam* creaturarum dignissimam

missum est, debuit etiam legatus esse ex Cœlitum nobilissimis.

Seruius in illud 11. AEneid. Centum Oratores &c. *Et ex numero, & ex nobilitate legatorum, intelligitur negotij magnitudo.*

Ad Imperatores, ad Pontifices, non communes tabellarij, sed Magnates Optimatesque destinantur.

Miserunt Iudæi ad Ioannem, Sacerdotes, & Leuitas ex Pharisæis. Ioan. 1.

Virg. 11. AEneid. *Centum Oratores primâ de gente Latinos*

Ire placet.

Plaut. in Amphytr. 4. *Delegit viros primorum principes: eos legat Telebois.*

Cic. 5. in Verrem. *Nobilem Andronem Centuripinum legarunt ad Apronium*, Centuripini.

Salluſt. in Iugurth. *Legantur in Africam maiores natu, nobiles amplis honoribus vsi.*

Ad Samaritanos *miserunt Apostoli Petrum & Ioannem.* Act.

Centurio misit ad Iesum Seniores Iudæorum. Luc. 7.

Ratio, quia dignitati personarum multum omnes natura tribuimus, etsi alioqui legati, Senatus faciem secum afferunt, autoritatem Reipub. *graueque est semper nomen Imperij, idque etiam in leui persona pertimescitur*, vt ait Cicero contra Rullum.

Certamen (credo) erat inter Angelos, ecquis tàm lætam, tàm honorificam obiret legationem, dicentibus singulis: *Ecce ego, mitte me &c.*

Vnus tamen Gabriel delectus est, etiàm iàm olim dictus nomine mysterijs & Legationi huic valdè congruenti.

* j. *Gabriel* enim idem quod *Vir Deus. Geber* enim

Vix

Vir, *El*, Deus. De Deo Homine agendum erat.

* ij. *Gabriel*, id est, *Vir meus Deus.* Spiritus-sanctus hodiè Virgini Mariæ velut prò marito futurus erat, ei obumbrando, grauidando, incarnationem operando &c.

Eius rei ergò is nuntius opportunus fuit, qui nomine cum ipsâ re conueniebat.

Spiritus-Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Luc. 1.

Vt terra, Cœli Solisque quasi incubatu, nihil non generat, etiàm quædam animalia, nulla sexuum copulatione; sic Maria Christum genuit, Spiritu-sancto obumbrante, *cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia est.* D. Leo.

Omnia quæcumque voluit, fecit.

* iij. *Gabriel*, id est, *fortitudo Dei*, non solùm, quòd in eò Angelo creando Deus vsus esset summâ fortitudine, quo sensu opus insigne pictoris, dicitur ars & ingenium eius esse; sed etiàm quod Incarnatio Filij Dei ex virgine quam nuntiaturus erat, fieri non posset alio brachio aut fortitudine, quàm Dei solius. *Digitus Dei est hic.* Exod.

Iohannes Reuchlin Phorcensis libro tertio de arte Cabalistica, mihi pag. 855. *Gabriel fortiore virtute quàm Michael, quoniàm de eo legitur in Daniele duplex virtus volando volans. De Michael autem solum quòd venit in adiutorium, quare inter intelligentias Gabriel philosophicè virtus reputatur intellectûs agentis, & Michael virtus intellectus passibilis. Ità scribit Rabbi Leui Ben Gersom, qui à Latinis nominatur Magister Leo de Banolis.*

* *Item*; quòd is, de quo ad virginem erat

sermonem habiturus, esset *virtus Dei*, *quæ vocatur magna*. Act. 8.

Gnate, mea vires, mea magna potentia, solus
Gnate Patris summi. Virg. 1. Aeneid.

Vel quia Christus erat gesturus fortia, & exarmaturus fortem illumarmatum Cacum, totius generis humani terrorem.

Erat Dominus mortem moriendo superaturus, & trophæo Crucis, de diabolo, mortis principe triumphaturus. D. Aug. tract. 50. in Ioannem.

D. Greg. homil. 34. in Euang. *Ad Mariam Gabriel mittitur, qui Dei fortitudo nominatur. Illum quippè nuntiare veniebat, qui, ad debellandas aereas potestates, humilis apparere dignatus est.*

Fortitudo vtrobique, cùm in debellandis illis potestatibus, tùm in sui tantâ humiliatione, ac fortalsis maior fuit priore posterior.

Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit
Mœnia.

Melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium. Prou. 16.

* 3. *Personâ*, ad quam, seu termino ad quem. *Missus est Angelus ad Virginem, cuius nomen Maria.* Luc. 1. Et *de domo Dauid*, haud dubiè, quia sponsus eius Ioseph us ex eadem domo dicitur. *Luc.* 1.

Lege enim Mosaicâ cautum erat, vt coniuges ambo ex eadem domo ac familiâ essent.

Tria autem dicit textus ad personæ huius commendationem,
1. *Virginitatem*, ibi: Missus est ad Virginem. Virgines enim vbique & semper, etiàm Romæ Vestiales olim, magno in honore;
2. *Nomen illustre*; ibi: Nomen Virginis Maria. i. Domina;
3. *Nobili-*

3. *Nobilitatem generis*; ibi: de domo Dauid.

Diceres profectò, in Maria exornanda, & Fortunâ, propter nobilitatem ex Ducibus, Regibus ac Sacerdotibus in eam deriuatâ: cum Naturâ, propter immensam corporis eius pulchritudinem humana maiorem; & virtutem, propter tot in ea animi dotes rarissimas: & cum tribus illis rerum humanarum Dominabus vulgò creditis, ipsum Deum Opt. Max. propter amplitudinem gratiæ iustificantis, contendisse & certasse, eccui omnium potissimum potioris beneficij gratia, pro modo potentiæ cuiusque, Virgo teneretur, aut quis plenioribus aut pluribus ipsam muneribus, manuque largiore cumularet: ità in vna ista mera creatura omnia summa fuerunt.

Quemadmodum, Gregorij sensu, *Omnis creatura aliquid habet homo: & iuxta aliquid, omnis creatura est homo*: ità Virgo Maria, omnium Sanctorum cuiuscumque sæculi, epitome & breuiarium quoddam fuit absolutissimum. *Gregor. homili. 29. in Euang.*

Cumularunt vberrimè certè eam & Natura, & Gratia, & ità quælibet officio suo est functa, vt non facilè dicas, eccui plus illa debeat nomine liberalitatis.

Pandoram vocare possis, sed vtiliorem illa, quam fingit Hesiodus fuisse mulierem primam à Vulcano Iouis iussu fabricatam, quàm Dij singuli donis suis ornauerint. A Pallade enim, accepisse donum Sapientiæ; à Venere, Formam seu pulchritudinem; ab Apolline, Musicen; à Mercurio, eloquentiam &c. Vndè & dicam fuisse *Pandoram*, quasi dicas *omnium donum*, vel ab omnibus donatam, vel om-

nium rerum genere dotatum. Nam vt Pandora sit virgo Maria; nulla tamen pyxide ad Epimetheum allatâ, generi humano obfuit, vt illa; sed pyxide beatiore humanitatis Christi mundo illatâ, mundum bonis impleuit, vt illa malis.

D. Hierony, vel Sophronius, vel quiuis alius apud Hierony. ser. de Assumpt. *Cæteris per partes præstatur, Mariæ verò simùl se tota infudit plenitudo gratiæ.*

Diuisiones gratiarum sunt, & talentorum Domini in cæteros, sic vt *non* sint *omnium omnia,* sed vni duo, alteri quinque &c. conferantur; sed in Mariam istam penè nihil non congestum est.

Quam studiosum fuisse ferunt Zeusim, Heracleotem pictorem, in pingendâ perfectissimè Helenâ, vt apud Crotoniatas in suo Iunonis templo, inter tot egregias picturas, locaretur; tàm fuit, imò longè studiosior Deus dotandæ omnibus rebus illustribus virginis Mariæ, aliquando in matrem Dei eligendæ, & Trinitati in cœlo; vt decet Cœlitum Terrigenarumque Reginam, assessuræ. Alibi sparsa, in eam vnam congessit, vt in breuiarium.

Audiamus, ex ipso Cicerone, pictoris huius in vnâ tabula perficienda diligentiam.

Cic. lib. 2. de Inuent. initio. *Vt excellentem muliebris formæ pulchritudinem muta in se imago contineret, Helenæ se pingere simulacrum velle dixit. Quod Crotoniatæ, qui eum muliebri in corpore pingendo plu-*

do plurimum alijs præstare sæpè accepissent, libenter audierunt. putauerunt enim eum, si quo in genere plurimùm posset, in eo magnoperè elaborasset, egregium sibi opus in fano Iunonis relicturum.

Neque tùm eos illa opinio fefellit. Nàm Zeusis ilicò quæsiuit ab his, quasnam virgines formosas haberent. Illi autem statim hominem duxerunt in palæstram, atque ei pueros ostenderunt multos, magna præditos dignitate ... Cum puerorum igitur formas & corpora magno hic opere miraretur: Horum, inquiunt illi, sorores sunt apud nos virgines. Quare qua sint illæ dignitate, potes ex his suspicari. Præbete igitur mihi, quæso, inquit, ex istis virginibus formosissimas, dum pingo id quod pollicitus sum vobis: vt mutum in simulachrum ex animali exemplo veritas transferatur. Tùnc Crotoniatæ, publico de consilio, virgines vnum in locum conduxerunt, & pictori quàm vellet eligendi potestatem dederunt. Ille autem quinque delegit, quarum nomina multi poetæ memoriæ tradiderunt, quòd eius essent iudicio probatæ, qui verissimum pulchritudinis habere iudicium debuisset. Neque enim putauit omnia quæ quæreret ad venustatem, vno in corpore se reperire posse, ideò quòd nihil simplici in genere omni ex parte perfectum natura expoliuit. Itaque tanquàm cæteris non sit habitura quod largiatur, si vni cuncta concesserit, aliud alij commodi aliquo adiuncto incommodo muneratur.

Deus bone, Quam formosum esse debuit hoc Helenæ simulacrum, tot formosissimarum virginũ compendium, Helena (opinor) muta, illa Croto-

niatarum muta, Helena Menelai? loquente & viuente debuit esse formosior, & noui alicuius belli Troiani autor.

Sic Deus Opt. Max. recensitis quasi omnibus, quæ in Angelis, quæ in hominibus, quæ in ista, quæ in illa olim laudata muliere, præclarissima fuerunt, similia, altiore tamen gradu in Mariam Virginem, matrem Dei mòx futuram, maxima prodigalitate congesit.

Benedictionem omnium gentium dedit illi.

Non est inuenta similis illi.

Fundamenta eius in montibus sanctis. psal. id est, minimæ quæque gratiæ, & virtutes Mariæ, sunt maiores maximis quibusq; gratiis aliorum Sanctorum, etiam maximorum.

Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei, aiebat ille. 3. *Reg.* 12.

Vt homo quiuis, pulchri huius magnique mundi quoddam est Compendium, vndè & Microcosmum iure vocant; ità Maria omnium virorum fœminarumq; illustrium quædam epitome dici possit, seu Anacephalæosis.

Vt Aristotelis libri Rhetoricorum, ex omnium scriptorum libris, vnum in locum conductis, confecti, necessariò absolutissimi esse debuerunt: ità Maria, creaturarum omnium quædam quinta quasi essentia perfectissima. *Cic lib. 2. de Inuent.*

Vt Sociorum Beati Ignatij Loyolæ institutum oportuit esse perfectissimum, quòd selectissima quæque aliorum antè ipsos ordinum sibi adsciscere potuerunt; sic Mariæ Virgini, ex meris omnium creaturarum perfectionibus illustrissimis confectæ, nihil videtur deesse potuisse, non si vel Momus censor accersatur.

Vt raros libros in bibliotheca Vaticana; vt in

Ambro-

Ambrosio Calepino & pleno Dictionario quæuis vocabula ; sic in Maria virtutum ac donorum illustrium omne genus inuenias.

Vt aliquandò dictum : *nemo sciuit, quod Hieronymus ignorauit*: ità nemo virtute vlla claruit, quæ in Mariâ non fuit.

Sanctitas certè & puritas in ipsâ tanta fuit, quanta maior sub Deo nequit intelligi. *Beatus Anselmus.*

Tantæ verò illa Maiestatis fuit, ac dignitatis &c. vt sanctus Dionysius Areopagita, quum ad eâm iàm baptisatus, cum aliis plerisque visendam venisset, stupens dixerit : *Nisi se Fides iàm aliter docuisset, ipseque diuinitatem Christi, docente Paulo, cognouisset; se Virginem illam pro Deo habiturum.* Vide Dionys. Carthusian. comment. libr. de diuinis nominibus c. 3. art. 16.

Virginitas eius, cum maternitate tamen, non sit vel Angelorũ virginitati cessura. Nàm *& in Angelis suis Deus reperit prauitatem.* Iob.

Et Apostatæ Angeli, Tertulliano ac Cypriano, generationis Gigantum fuere suspecti, etsi falsò; certè Incubos se & succubos concubinos multis exhibent.

Somnia de quacumque libet virtute, creaturæ tamen conueniente, & in Maria ista reperies.

Vno Angeli verbo absoluam : Est *gratia plena* : Est *benedicta in mulieribus.* Phœnix creaturæ.

* 4. *Legationis materiâ.* De Incarnatione Dei, & ex Virgine quidem, etsi iàm desponsatâ, integraque etiàm generando permansura, tractandum erat.

Nuntianda erant maximè { 1. *Noua*, 2. *Publica*, 3. *Læta*.

* 1. *Noua*, omninò noua, recentissima, hactenus inaudita; Homo, Deus futurus: Deus, homo nascitu-rus: Virgo paritura: Nupta fœcunda & mater, virgo tamen mansura, mendace iàm futuro illo nostrate prouerbio, quo dicitur, *Nullam matrem, virginem esse*: sed *nec nutricem vllam*, quæ scilicet lactentem lactet lacte suo. Maria enim & Mater & virgo, & natum suum ipsa lactauit *vbere de cælo pleno*.

Nec primam similem visa est, nec habere sequentem, quidquid Ouidius dicat, imò nugetur, de Channa pisce lib. de Piscibus: *Ex se Concipiens Channe gemina fraudata parente est*.

Et lib. 5. fast. vbi ait:

Sancta Iouem Iuno, natâ sine matre Minerua,
Officio doluit non eguisse suo.

Et pòst pauca.

Si pater est factus, neglecto coniugis vsu
*Iuppiter, & solus *numen vtrumque tenet* (* fortè mel. nomen.)

Cùr ego desperem fieri sine coniuge mater?
Et parere intacto dummodò casta viro?

Et paulò pòst.

Quod petis, Oleniis, inquam, tibi missus ab aris
Flos dabit: est hortis vnicus ille meis.
Qui dabat hoc, dixit, Sterilem quoque tange iuuencam,
Mater erit. tetigi, nec mora mater erat.
Protinàs hærentem decerpsit pollice florem:
Tangitur, & tacto concipit illa sinu.

Nec Pomponij Melæ dictis superiùs assentior.

AEgerrimè ipsi Virgilio de equabus suis.

Plutarchus ad Censorem remittendus, vbi recitat

hos

hos versus:

Quandò (pro quandoquidem) *volucrem fœminam venti quoque*

Fetu replet meatus in partu tamen . . . tom. 3. Moralium lib. 8. sympos. q. 1. in fine.

Quomodo enim nouum foret, Mariam virginem parere, si illa vsquàm, aut vmquàm fuissent, vel essent?

Quomodò sine exemplo illa Mater & Virgo, si vera illa exempla, maximè de flore illo Iunonio?

Et tamen Propheta vocat modum pariendi Mariæ nouum. *Nouum faciet Dominus super terram &c.*

Nisi fortè, in animantibus brutis ista ità esse Deus voluerit, vt exemplo esse possent, talem generationem sine viri copulâ in vna Maria virgine, contra Hæreticos incredulos probaturis.

AEquè falsa est fabula Poetarum de Cæculo illo Vulcani filio credito, matrem scilicet eius, cùm igni assideret, & scintilla ignis in gremium eius delata esset, ex illa grauidam fuisse, atque ità credi voluisse, expletisque legitimis mensibus puerum peperisse, Cęculum idcircò appellatum, quòd minores haberet orbes oculorum.

Nouum, nouum fuit, ac sine exemplo, Mariæ cum virginitate, & sine viri copulâ puerperium.

Nouum etiàm, mòx mòx integratum Mariæ filium.

Nouum, aure fuisse conceptum.

Nouum, impręgnatam nihil doluisse, vixisse sine grauedine grauidam, cùm mòx Elisabetham adire in *montana* potuerit *cum festinatione*, & trimestri seruire.

Nàm

Nàm aliàs *à conceptu decimo die dolores capitis, oculorum vertigines tenebræque, fastidium in cibis, redundatio stomachi, indices hominis inchoati.* Plin. libro 7. cap. 6.

Nouum, sine dolore, sine obstetrice peperisse, refixâ illâ lege: *In dolore paries filios tuos &c.* genesis 3.

* ij. *Publica*, tangentia Cœlestes, Deum, Angelos: Terrestres, nos; Inferos, & Subterraneos in Limbo, imò & illos ipsos, qui *in Inferno inferiori*, ne nouis damnatorum accessionibus magis premantur.

Epuloni enim graue futurum, fratres suos quinque venire in eadem loca tormentorum secùm. *Luc.* 16.

Huius vnius mali tolerabilior sine socio: quàm cum socio, est perpessio.

Euangelizo vobis gaudium magnũ (ait Angelus Pastoribus) *quod erit omni populo*, Cælestium, Terrestrium, & Infernorum.

* iij. *Læta.* De pace sc. inter Deum & homines firmandâ.

Quoniam confirmata est super nos misericordia eius &c. psal.

Imò de nuptijs filij Dei cum natura humana, in vtero quasi thalamo Virginis contrahendis, ac sic consummandis, vt nunquam dissoluantur, aut diuortium patiantur.

Vidistis, quantum lætitiæ fuit, ex Pacibus perfectis nuper cum Gallo: quantùm vel ex indutijs, vel pace sequestra cum Hollandis, vtroque opere humilium Franciscanorum, hoc Neyeni, illo Calatagyronæ.

Ex nuptijs quoque Ludouici xiii. Gallorum Regis, cum Infante Hispaniæ; & sororis eius cum futuro

turo Hisp. Rege pactis, &, vt speramus, propediem consummandis, concepta gaudia vix capit orbis Christianus.

Iucundissima sunt Pacis & nuptiarum nomina, maximè inter hostes inueteratos.

Haud bellum à nuncias, prouerbium lætissimum.

Et: *Aureorum nuntius verborum*. ex Comœdia.

Euangelia euãgelia vera sunt ista de Pace & nuptijs Dei cum homine; liberalissimis euangeliis, & muneribus honorariis amplissimis, dignissima. O Gabriel Archangele, & vere Euangele, tibi *grates persoluere dignas*

Non opis est nostræ. Virgil. 4. AEneid.

Cur verò ex virgine nascendum? Dicam. Deo soli vltima hæc & tàm nobilis productio debebatur.

Vtque omnis producendi hominis modus tandem aliquandò daretur, & isto opus fuit, cùm iampridem reliquos omnes vel vidissemus, vel legissemus.

*j. *Sine Patre, & sine matre*; hic modus antè omnes & semel dumtaxat fuit, in Adamo scilicet.

Melchisedech quidem dicitur *sine Patre ac sine matre* ab Apostolo, sed impropriè.

* *Ideò* scilicet imprimis quòd parẽtes eius in scriptura sacra nulli memorentur, ac conuenientissimè quidem, quoniàm figura Christi is fuit, qui natus est, Deus sine Matre, Homo sine Patre.

* *Secundò*; quòd Regem & Sacerdotem Altissimi, sic, Deo vni deuotum esse, & obliuisci domum patris sui, & suos religiosi instar oporteat, vt nullis cha-

charitatibus, aut propinquitatis affectibus, vel iustitia, vel cultus Dei claudicet.

Sed Adam, vnus ac solus, hominum sine patre & matre in terris visus est.

Nàm de animalculis quibusdam non disputo, vt de Channa pisce, de quo supra ex Ouidio dixi, de apiculis virginibus & matribus, vnde est illud Mantuani: *Et calices apis innuba pascit apertos.* & Phœnice &c.

* ij. *Ex patre sine matre.* Sic Euà ex dormientis Adæ costa exsecta emersit. Scies ex ossibus ortam, si durum eius caput, & semper sonantem linguam adtendes; vt hominem è luto, si videas quàm sit tractabilis, & parùm loquax.

Sic Filium Dei credimus *ex Patre natum ante omnia sæcula.* Symbol. Nic.

Eò fortè Poetæ illi spectarunt, qui Mineruam sapientiæ, & bonarum omnium artium Deam, ex Iouis cerebro, sine matre, procreatam fabulantur.

* iij *Ex patre, & matre*, qui modus est omnium vulgatissimus, cùm scilicet ex duobus tres fiunt. *Erunt duo in carne vnâ* generanda. *Genes.*

Ibi maximè elucet illud quod dicitur: MVTVVM AVXILIVM: vndè & de Eua procreanda agens Deus, aiebat: *Faciamus ei adiutorium simile sibi.* Genes.

Hîc *vnus homo, nullus homo*, tàm vir, quàm mulier. Hîc æquam curant vterque partem.

* iiij. *Ex matre, sine patre.* Hoc vni Christo seruabatur, de Mariâ solâ & innuba nascituro, *Spiritus* tamen Sancti opificio.

Non est autem natus ex Viro virgine, cùm æquè potuisset; cùm ne duos patres habere idem vnus

nus diceretur, natus scilicet ante sæcula patre Deo secundum diuinitatem: tùm, quià iàm indè ab initio sæculi, fœcunditas solius viri Euam quasi parientis adparuerat.

* v. *Nec ex Patre, nec ex Matre*, sed ore & verbo virili, tamen, Sacerdotum scilicet, cùm in altari panem & vinum consecrant, & ipsum eundem Christum quotidiè mundo quasi renasci faciunt, Dei ipsius autoramento: qui modus etiàm frequentissimus, & tamen semper æquè admirandus.

Ex iàm desponsatâ autem nascitur non inconsultè: studio scilicet, quà

1. *Famæ Mariæ,*
2. *Vitæ eiusdem conseruandæ;*
4. *Auxilij vtrique commodi;*
5. *Secreti tantæ molis negotij.*

* 1. *Famæ Mariæ. Fortassè, ne diceretur, quòd conceperat ex adulterio,* ait Ambrosius libro 2. in Luc. initiò.

Iosephus vulgò pro patre habitus est, & passim dictus: & quidem faber opificio, opportunissimè, vt cui in diuinis faber orbis pater esset, eidem secundum hominē, notissimus suæ vrbis faber, pater quoque prætenderetur.

* 2. *Vitæ eiusdem. Ne lapidaretur à Iudæis, vt adultera.* Diuus Hieronymus libro 1. comment. in cap. 1. Matth.

Non enim tunc temporis, vti nùnc, satis erat pudorem publicum pati à lapsu illo, sed legis Mosaicæ fato ineluctabili, etiam mors toleranda. *Obruere ista solet manifestos pœna nocentes.*

Notis-

Notiſsimum ex Suſannæ hiſtoriâ, & illâ, quam Chriſtus abſoluit.

O ſi lex illa nunc reuocaretur. *An maneret* multis locis *lapis ſuper lapidem?* Pauiendarum, & depauiendarum platearum fortaſſe nullus eſſet finis. Latomiæ ipſæ alicubi exhaurirentur. Coctili etiàm lapide opus eſſet (credo) adeò, proh dolor, apud quoſdam *maledictum, adulterium &c. inundauerunt.* Sed hæc aliàs.

* 3. *Genealogiæ. Vt per generationem Ioſeph, origo Mariæ* (& Chriſti) *monſtraretur.* Diu. Hieronym. ibid.

Nàm vxorum & maritorum idem tùnc genus & origo, non modò ab eadem gente aut populo, ſed ab eâdem familiâ.

* 4. *Auxilij. Vt in AEgyptum fugiens haberet ſolatium.* D. Hieronymus ibid.

Vnus homo, nullus homo.

Non eſt bonum hominem eſſe ſolum. Geneſ. 2.

Eccl. 4. *Væ ſoli: quià cùm ceciderit, non habet ſubleuantem ſe.*

Ibid. *Melius eſt duos eſſe ſimùl, quàm vnum: habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ: ſi vnus ceciderit, ab altero fulcietur.*

Et ſi dormierint duo, foouebuntur mutuò: vnus quomodò caleſiet?

Et ſi quiſpiam præualuerit contra vnum, duo reſiſtent ei.

Quin etiàm *nullius boni ſine ſocio iucunda eſt poſſeſſio.* Seneca epiſt. 6. lib. 1.

D. Bernard. homil. 2. ſuper. Miſſus eſt. *Conſtituit eum Dominus ſuæ Matris ſolatium, ſuæ carnis nutritium.*

Homo homini Deus. Diſponebat & hoc Deus, vt cætera omnia, *ſuauiter.*

* *Secreti*

* *Secreti &c. Martyr Ignatius etiàm quartam addit causam: vt partus eius cælaretur Diabolo, dùm eum putat, non de virgine, sed de vxore generatum.* D. Hierony. ibid.

D. Bernardus homil. 2. super Missus est. Vocat eum, *solum in terris magni consilij coadiutorem fidelissimum.*

Codrus iste, si fuisset hostibus notus, non esse occisus; itaque nec populus eius redemptus.

D. Leo sermon. 10. de Passio. Domini. *Si enim crudelis & superbus inimicus consilium misericordiæ Dei nôsse potuisset: Iudæorum animos mansuetudine potiùs temperare, quàm iniustis odijs studuisset accendere, ne omniũ captiuorum amitteret seruitutem, dùm nihil sibi debentis persequitur libertatem.*

Diuus Gregorius Nazianzenus oratio. 39. in sancta lumina.

Quoniam ille vitij parens & effector, ideò se inuicto quodam robore præditum esse existimabat, quià nos Diuinitatis sæpè obiecta, tamquam illecebra quadam, in fraudem induxerat, ea de causa ipse quoque prætextu carnis inescatur; vt dùm quasi in Adamum impetum facit, in Deum incurrat, atque ità nouus Adamus pristinæ saluti atque incolumitati veterem adserat, sententiaque aduersus carnem pronuntiata rescindatur, morte nimirùm à carne obpressa atque extincta.

Diuus Bernardus homilia secunda super Missus est.

Oportebat à principe mundi aliquamdiù cælari diuini consilij sacramentum: non quòd Deus, si palàm opus suum facere vellet, impediri posse ab illo metueret: sed quià ipse qui non solum potenter, sed etiàm sapien-

ter, quæcumque voluit, fecit: sicut in omnibus operibus suis quasdam rerum vel temporum congruentias, propter ordinis pulchritudinem, seruare consueuit: ita in hoc quoque magnifico opere suo, nostræ videlicet Reparationis, non tantùm potentiam, sed & prudentiam ostendere voluit. Et quamquam illud aliter quomodo vellet, perficere potuisset; placuit ei tamen eò potiùs & modo & ordine hominem sibi reconciliare, quo nouerat cecidisse: vt sicut Diabolus priùs seduxit fœminã, & postmodùm virum per fœminam vicit: ità prius à fœmina Virgine seduceretur: & post à viro Christo apertè debellaretur: quatenus malitiæ fraudi dùm ars pietatis illuderet, ac maligni fortitudinem Christi virtus contereret, diabolo Deus & prudentior adpareret, & fortior.

Dæmonem, qui laruatus vicerat, à Deo quoque quasi laruato vinci oportebat.

Cautelæ caput est (ait Vegetius) *vt ad quæ loca vel quibus itineribus, sit profecturus exercitus, ignoretur. Tutissimum namque in expeditionibus creditur, facienda nesciri. Ob hoc veteres, Minotauri signum in legionibus habuerunt; vt quemadmodum ille in intimo & secretissimo Labyrintho abditus perhibetur; ità Ducis consilium semper esset occultum. Securum iter agitur, quod agendum hostes minimè suspicantur.* Veget. lib. 3. de re milit. c. 6.

Romani idcircò aram Deo Conso consiliorum præsidi (vt tùm falso credebant) dedicatam subterraneam & absconditam habebant. *Plutarchus tom. 1. vit. in Romulo.*

Platoni visa res non solum sacra Consilium, sed secreto digna.

Sacramentum Regis abscondere bonum est. Tob.

Hinc

Hinc Scriptura aliquandò vocat *mysteria regni*: acutiores nûnc atq; argutiores Cabalam regni, Reip. aut Collegij vocant.

Est autem *Cabala symbolica Theologia.* Vide libros tres Ioannis Reuchlini de Arte Cabalisticâ.

Cautè & Cabalistè scilicet gerendum fuit totum redemptionis humanæ mysteriû, maximè quòd iâm pridem Satanas illud per semen mulieris perficiendum ore Dei didicisset. *genes.* 3.

Progeniem sed enim Troiano à sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arceis.
Hinc populum latè Regem, belloque superbum,
Venturum excidio Libyæ: sic voluere Parcas.
Id metuens &c. Virgil. 1. AEneid.

II.

Cùr hic turbata Virgo Maria.

Turbata est in sermone.

Turbationis huius Mariæ, causæ variæ & multæ reddi possent quidem, nisi verba textus ad duas maximè omnes reuocarent, ad Sermonem scilicet, eiusque qualitatem.

Causarû ergò harû, quædam
- 1. *Probabiles*
  - 1. *Legationis magnitudo;*
  - 2. *Forma virilis Legati,*
  - 3. *Splendor.*
- 2. *Certissimæ*
  - 1. *Sermo Angeli,*
  - 2. *Qualitas sermonis.*

* 1. *Legationis* magnitudo, quòd Angelus nomine Dei, de tanto negotio tantæ maternitatis, & tali modo, illæsa sc. virginitate futuræ, propè supplex eloquerentur.

D. Athanasius in vitâ S. Antonii Abbatis. *Timere non solùm ex mali imminentis consideratione, sed etiàm ex magnarum rerum adspectu incutitur.*

Excessus inter personas repertus, sufficit ad terrendum fortissimos quosque, seu amicos, seu inimicos.

Luc. 24. Viso Domino rediuiuo, *conturbati & conterriti sunt discipuli.*

Ibid. *Sed & mulieres terruerunt nos dicentes, se visiones Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere.*

Demosthenem, & alios clariss. Oratores, obmutuisse accepimus, attonitos Regum præsentium maiestate.

* 2. *Formâ* virilis legati.

Vt agna lupi, sic viri adspectu vera virgo terretur.

D. Hierony. lib. 2. ep. ep. 17. edit. Canisii ad Lætam. *Mariam Gabrel solam in cubiculo suo reperit, & ideò forsitan timore perterrita est, quia virum, quem non solebat, adspexit.*

Idem lib. 2. ep. 19. edit. Canis. ad Eustochium, Virginem Romanam & nobilem. *Ad Mariam cum Gabriel Angelus in viri specie descendisset, dicens, Aue gratia plena, Dominus tecum; consternata & conterrita, respondere non potuit. Nunquàm enim a viro fuerat salutata. Denique nuntium discit, & loquitur: & quæ hominem formidabat, cum Angelo fabulatur intrepida.*

Principio Gabriel forti, puróque reluxit
Corpore, ait Sibylla lib. 8. Oraculorum.

Hinc

Hinc Gabriel, idem quod *Vir Deus*, vti superiùs aiebam.

D. Ambros. lib. 2. in Luc. *Trepidare virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, omnes viri affatus vereri. Discant mulieres propositum pudoris imitari. Sola in penetralibus, quam nemo virorum videret, solus Angelus reperiret: sola sine comite, sola sine teste, ne quo degenere deprauaretur affatu, ab Angelo salutatur.*

D. Bernard. serm. 3. sup. Missus est. *Solent virgines, quæ verè virgines sunt, semper & pauidæ, & numquàm esse securæ: &, vt caueant timenda, etiàm tuta pertimescunt.*

Omnia tuta timent, tàm ipsum videre, quàm videri, quorum magna vis in vtramque partem.

Hinc Laconicæ telæ illæ & tenues; hinc pepla & flammeola virginum & castarum matronarum: hinc vela monialium & Deo consecratarum, quæ plagas vocari propriè putat Nomenclator æui nostri doctissimus, verbo, *Plaga*.

Alexander ab Alexand. lib. 6. genial. dierum, capit. 8. Bonam Deam, quam veteres Faunam, siue Fatuam, siue Sentam dixêre, scribit Varro, tantæ pudicitiæ fuisse, vt nemo illam, dùm vixit, præter virum, mas viderit, nec nomen eius audierit, propter quod illi in operto mulieres sacrificabant, & Bonam Deam appellabant.

Memini alicubi legisse, Turcam vnum quempiam, totis octodecim aut circiter annis, quibus ei nuru, sua conuixerat, non semel vultum eius reuelatum vidisse, neque videre affectasse. Nostræ, *spectatum veniunt; veniunt, spectentur vt ipsæ.* Ouid.

* j. *Timuit* Maria, vel Angelum, ſpecie viri.

* ij. *Timuit* deindè quoque, quià ſolus cum ſola loquebatur.

* 3. *Splendor* maximus. *Expaueſcit Virgo de lumine*, cantat Eccleſia.

Sed, Angelos alias ſæpè viderat (inquis.) Fateor libens, eoque libentius, quòd digna fuit Domina mea miniſterio perpetuo Angelorum.

Anteà, *de Angeli manibus eſcam accipere ſolebat* (ait Beatus Hieronymus, in vita ipſius, certè referente noſtro Bonauentura, c. 3. meditationum, de vita Saluatoris.

Beatus Hieronymus ibid. apud Bonauentur. ibid. *Eſca, quam de manibus Angeli recipiebat, ipſa reficiebatur: quam autem à Pontificibus templi accipiebat, pauperibus erogabat. Quotidiè videbatur ei Angelus loqui, & quaſi chariſſimæ obtemperare ei.*

Quidni? Nàm & ipſe Dominus Angelorum Ieſus Chriſtus, viſus cum noſtro Sancto Antonio Paduano, Mariæ ſeruulo, in cellula colluſiſſe, *Chronica Ord. D. Franciſci.*

Reſponderi ergò poſsit.

* j. *Fuiſſe* alium ab illo nutritio, hunc Legatum.

* ij. *Item*; forma longè glorioſiore, quàm ſoleret, ad Legationis Maieſtatem, nùnc apparuiſſe.

* iij. *Item*; ſolitos quidem hactenùs Angelos illi miniſtrare, ſed ſpecie virginum, aut adoleſcentularum fortaſſe, ne virili adſpectui adſueſceret, nùnc verò iſtum virili apparuiſſe, itaque meritò eam terruiſſe, quæ dicere poſſet: *Virum non cognoſco*: non amplexu, non viſu.

* Certiſ-

*Certissimæ turbationis causæ, duæ { 1. *Sermo Angeli*; 2. *Qualitas sermonis*.

*1. *Sermo Angeli. Turbata est in sermone*. Fortasse alias ei tacitus ministrauerat.

*2. *Qualitas sermonis*, quę attenditur secundum { 1. *Gestum*; 2. *Tempus*; 3. *Materiam*.

*1. *Gestum*, quià vel inclinatus, vel valdè reuerenter coram Dominâ suâ stetit, *vt habet Bonauentu. capit. 4. medit. at. vitæ Christi*. vel fortè (quod magis reor) etiàm genibus flexis eam salutauit, quod alias non solebat, vt electam iàm, designatàm, & declaratam Angelorum Dominam futuram, ipsorumque velut reparatricem ab hoc puerperio Filij Dei.

Certè Legatum Philippi III. Hispp. Regis in Galliam missum, ad Regis Gallorum filiolam iàm Hispaniæ Principis sponsam, ferunt eum flexo vel vtroque, vel saltem altero, poplite adloquutum, vt Hispaniarum Reginam futuram, & Dominam suam.

Non insolens, designitos iam Consules, aut Episcopos, sic honorare, vt iàm creatos & inuestitos.

Is ergò tàm augustus salutandi modus, virginem, adhùc prædestinationis huius suæ ignaram, terruit.

Secùm haud dubiè dicebat virgo humillima:

Haud equidem tali me dignor honore.

Virg. 1. Aeneid.

Potiùs, Angelum sic à me misellâ oportet honorari &c.

*2. *Tempus*. Mutata tùnc scilicet hora familiaritatis Angelicæ. Tàm manè scilicet, circa quintam matutinam, aut circiter (vt à nonnullis creditur) venisse stupebat eum, qui aliàs venire non soleret ante nonam. Hinc illæ campanæ pulsus ternus hora quinta apud Catholicos.

Et (vt quidam scribunt) cùm illud Isaiæ legeret Virgo: *Ecce virgo concipiet &c*, & ipsa secum ter quaterque beatam illam matrem diceret, gratia plenam, & benedictam in mulieribus &c. quæ hûc destinaretur: optaretque se in ea tempora reseruari, quibus ista contingerent, vt posset illi tàm beatæ matri officiosè seruire, & ancillari &c.

O quàm te memorem, Virgo. Beatus venter, qui te portabit. &c.

Nàm etsi aliàs quotidiè Angeli ministrarent ei, tamen id ferè solebat fieri aliquādiu post nonam. Post nonā enim animum ad orandum adpellebat B. Virgo, neque ab ea oratione desistebat, donec ei Angelus adparebat, de cuius manibus escam accipere solebat. *Bonau. c. 3. mediat. vitæ Christi, ex D. Hieronimo de vitâ ipsius & ait.*

Turbata ergò est nunc *Maria in sermone* non simpliciter, sed illo intempestiuo; quasi diceret secum B. Virgo: Cur hodie tàm mane iste præter consuetudinem? Vndè ista tàm insolens festinatio? Quæ causa tanta præuentionis huius? &c.

Alias non solebat *suscitare, neque euigilare facere dilectam*, ab orationis quiete suauissima, *donec ipsa vellet*. Cant.

Et fortè aliàs ante hûc diē, tacitus, & silentio multo, acreuerētiæ pleno, illi sanctæ clathratæ ac muratę Sanctimoniali, ne dicam Amathæ Vestali, ministrabat, vt silentij virtutem, non vltimam in religiosis, maximè virgunculis, sensim colere disceret.

* 3. *Materiam*, quæ tota laudibus, & encomiis *eius* ampliſsimis constat: & hoc magis consonat *textui* dicenti: *Quæ cùm audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat* (seu, vt vertit Arias Mōtanus, ratiocinabatur)

batur)*qualis*,& quàm augusta,*esset ista salutatio*(gratia plena,benedicta in mulieribus &cæt.)

D.Bonauent.in Meditat.vitæ Christi c.4.*Non enim consueuerat sic eam salutare. In quâ salutatione cùm audiret se commendari de tribus,tamquàm humilis Domina, debuit, seu potuit se turbare. Commendabatur enim, quod erat gratia plena: quòd Dominus erat secùm: & quòd erat super omnes mulieres benedicta. Et humilis non potest sine turbatione & rubore sui commendationem audire. Turbata enim fuit,ex verecundia honesta, & virtuosa.*

Philippus Bergomas lib.de claris mulieribus, tit. de Maria virgine.*Virgo,quànquàm Angelicos diu anteà nouisset vultus,& lumen cœleste sibi insuetum non esset, etquidem Angelica visione minimè territa, sed neque ipsa luminis visione stupefacta, verùm in solo eius sermone conturbata, cogitare cœpit, qualis ista salutatio esse posset, quidue portenderet, vel quem finem esset habitura.*

Auebat intelligere tantarum,& tot simul laudum vim ac sententiam.

Sermonem ergò talem,non faciem talem, autem splendorem Angeli timuit.

Et turbatus non tàm animus eius erat, quàm placidus,& albulus virgineæ faciei eius color, rubore roseo ac verecundo eius locum subitò quasi per vim occupante.

Nostrum illud(*Quæ cùm audisset*) Erasmus vertit: *Illa verò cùm vidisset, turbata est super oratione eius.*

Arias verò Mont.sic:*Illa verò videns,perturbata est &c.*rectè,cũ Græcè sit ἐπὶ λόγῳ: sed commodius, ad significandam turbationis Mariæ causam præcipuam, noster interpres,dicens: *Quæ cum audisset:*

etsi alioqui videndi verbum etiàm audire significet, vt ibi : *Populus videbat voces.* Exod.

Certè laudes tàm immensæ fuerunt , quas de se , & ad se dictas virgo audiebat , vt quemuis , etiàm mediocriter modestum , rubore afficere possent.

Angelus Caninius in commentario de locis Hebraicis capite duodecimo . *In salutatione Angeli* , inquit , *legitur* κεχαριτωμένη σὺ ἐν γυναιξί *quod verbum ipse Euangelista fabricatus est , cum apud Græcum authorem nullum extet . Nec enim vllum erat verbum , quod responderet Syriaco participio .. ... RACHIMTA, quod eam significat , quæ gratiosissima & acceptissima est*, à gratiarum scilicet circumfluentia , vti nummosum vocant à nummorum copia. Cæterùm nota ex Theodoro Marcilio hic, probam esse vocem κεχαριτωμένη, neque à Luca fuisse fabricatam. Habetur & Eccli. capit. 18. ἀνθρωπος κεχαριτωμένος *homo gratiosus.*

Erasmus vertit. *Aue gratiosa , Dominus tecum.*

Castalion vertit: *Salue accepta, cui Dominus adest, quæque est mulierum fortunatissima.*

Idem , annotat. in hunc locum , ait: *Salue accepta) scilicet Deo.*

Est enim idem quod paulo declaratur εὗρες χάριν παρὰ τῷ θεῷ, *Inuenisti gratiam apud Deum: Hoc est, accepta , gratáque Deo es , eumque habes propitium . qui Hebraismus frequenter occurrit in veteri fœdere.*

Vt idem esse possit ; aliquid tamen plenius hîc dicit Angelus ; nempè etiàm *esse omnibus Spiritus-Sancti gratijs repletam* , vt loquitur Diuus Athanasius sermone de Sanctissimâ Deipara Virgine.

Tres

Tres sanè Mariæ laudes amplissimæ hic
1. *Gratissimam esse indistinctè;*
2. *Domino vti fautore;*
3. *Præferri toti sexui suo.*

* 1. *Gratissimam* esse indistinctè, id est, Deo per gratiam iustificantem; hominibus verò vel virtutibus, vel morum elegantiis &c.

*j. *Timuit* dolos, & confidentiæ ac philautiæ seminarium, si Deo gratissima tùnc dicebatur.

Q.d. *Nemo scit, an amore, an odio dignus sit.*

Hoc maximum secretorum Dei est, & occultissimum regni eius sacramentum.

Solus Diuinæ essentiæ Triumuiratus intimi huius priuatique consilii est conscius. Hæc Cabala Dei solius est.

Nôrat artes *Sathanæ, transfigurantis se in Angelum lucis.*

* ij. *Si hominibus*; timuit ne meræ insidiæ essent pudicitiæ suæ. Gratiosi enim olim Romæ dicti, quibus aura popularis adspiraret.

Aut hæc in nostros fabricata est machina muros,
Aut aliquis latet error. Equo ne credite, Teucri,
Quid quid id est, timeo Danaos, & dona ferentes.
Virgil. 2. Aeneid.

Timuit, ne fortè de gratiis sæculi, elegantiis, & vrbanitatibus loqueretur ille, instar scilicet amatoris, amasiæ gratiam eblanditurientis, non verò de graiiis cœlestibus, quibus quisque Deo placet.

Etsi quod Tertullianus, & eius diligens lector Diuus Cyprianus, memorant ex Genesi malè intellecta, Angelos Apostatas olim abusos mulieribus, indeque Gigantes genuisse; non illa

illa quidem credidit, sed potius cũ Abbate Sereno (apud Cassianum collat. 8. c. 21.) tenuit, ibi per Angelorum seu filiorum Dei, cum filiabus hominum commistionem, significari, tandem inita à posteris Seth Iusti, cum posteris Caini Impij matrimonia, quasi nunc dicas Catholicos hæreticis coniugatos; tamen non ignorauit, Syluanos, Faunos, & Panes, id est, Incubos, improbos sæpè esse mulieribus, & concubitores. Verita igitur & aliquid tale.

Doctissima quoque, norat, vocem *gratiæ* nonnunquam Venereè capi.

Robertus enim Constantinus, in suo Supplemento: *Gratiosus*, inquit, *etiam obscœnè, vt officiosus Senecæ, qui alterius libidini obsequitur, quod* χαρίεις *Græcis.*

Asconius Pædianus in 2. Verrinam (vbi Cicero: *cum filio blando & gratioso:*) *gratia verò quæ potest in adolescentibus, sine infamiâ? Gratia enim amicorum copiam modò dicit.*

Idem Robertus ibid. verbo *Officiosus. Officiosus de Pathico & obscœno.*

Seneca Controuersiarum 4. in proœmio. *Memini illum (cùm libertum reum defenderet, cui obijciebatur, quòd Patroni concubinus fuisset) dixisse: Impudicitia in ingenuo crimen est, in seruo necessitas, in liberto officium. Res in iocos abijt, non facis mihi officium: & multùm ille & hic in officijs versatur: Ex eo impudici & obscœni aliquamdiu officiosi vocitati sunt.* Vide χαρίεις.

Plutarch. lib. qui Eroticus seu Amatorius inscribitur, tom. 3. Moral. sic ait: *Probabile est, mulierum & virorum amorem, naturæ operâ vtentem, per amicitiam, ad gratiam peruenire. Quod enim (Protogenes) mulier viro obsequium præstat, gratia fuit ab antiquis dictum. quo sensu Pindarus dixit, Vulcanum è Iunone sine gratijs natum: & quæ nondùm tempestiua nuptijs esset,*

eam

eam sic compellat Sappho.

Videre mihi parua esse puella, & gratiarum expers.

Timuit ergo Virgo tàm prudentissima & diuinitùs doctissima, quàm pudicissima, ne amphibologiâ vocis sibi illudere Angelus conaretur.

Probate spiritus, si ex Deo sunt.

Vt *qui nihil scit, de nullo dubitat*, ità scientissimus quisque, dubiorum & Mæandrorum est fæcundissimus, & metuentissimus.

Cautâ vulpe, & perito ac veterano belli Duce quid suspicacius, aut formidolosius?

Experti metuunt.

Dubitauit, de quâ Gratiâ ille diceret, an de
1. *Gratuita*, seu
2. *Gratam Deo faciente.*
1. *Corporali,*
2. *Spirituali,*
3. *Cœlesti.*

* j. *Corporali*, vt de formâ, de statura, de colore, pallore, rubore; de canore, de incessu &c.

Namque haud tibi vultus Mortalis: nec vox hominem sonat: ô Dea certè. Virg. 1. Aen.

* ij. *Spiritali*, vt de ingenio, de facundia, de peritia Musices &c. textura &c.

Timuit ne Sirenem vellet dicere: aut sororem Musarum, blandiendo &c.

* iij. *Cœlesti*, vt de scientia diuinitùs per miraculũ infusa, quòd ante annos, & supra homines docta, quodquot verba, tot oracula eructaret &c.

* iiij. *An gratam* Deo facientem, vt est Charitas perfecta &c.

Tamen quomodocumque *laudabant*, eam velut *flagellabat*, vtpotè humillimam.

* 2. *Domino Deo* vti fautore. *Dominus tecum* est.

* 3. *Præferri toti sexui.* Phœnix scilicet. Fastuosa planè commendatio.

Secundum versionem nostram, ambigua quoque est

est laus ista nouissima.

* j. *Nàm primò benedicta tu in mulieribus*, sic intelligi possit, quod à solis mulieribus, non etiàm à viris, aut nõ pariter, benedicenda sit, quæ laus angusta satis, nec nimis augusta videretur.

* ij. *Quod omnium* fœminarum sit laudatissima; ac beatissima.

Quià cæteris per partes præstatur; Mariæ verò simul se tota infudit plenitudo gratiæ. Sophron. serm. de Assumpt. Beatæ Mariæ.

Vt Zeusis in vnam illam suæ Helenæ tabulam famosissimam, omnium formosarum contraxit dignitates & pulchritudines, sic Deus omnium fœminarum dotes ac virtutes in Mariam, vt Rachelis pulchritudinem; Lię fœcunditatem; Iudithę magnanimitatem; Estheris eloquentiam &c.

Imò illa vna sola plura habet, quàm fœminæ simul omnes.

Nàm, vestram fidem, ecquæ vnquam vna eademque fuit mater simul & Virgo?

Et vt fuerit, aut esse possit, aliqua talis (ità fingamus animo:) ecquæ vnquàm fuit, aut erit Mater Dei & Hominis vnico partu?

Vt grauidari vento fœminas aliquas Pomp. Melæ concedamus: ecquæ vnquam *concepit de Spiritu-Sancto*, vt ista? *Vide primam nostram Naufragij tabulam, concione in festo Annuntiationis B. Mariæ pag. 63. 64. &c. vbi latè exponitur hoc: Benedicta tu in mulieribus.*

* *ij. Quod etsi* daretur (quod dari tamen non potest) omne fœmineum genus esse maledictum, nullam bonam, castam, fortem inueniri (*Mulierem fortem quis inueniet &c?*) hæc tamen in medio omnium mulierum constituta, benedicta, quouis etiàm iniquissimo iudice, censenda sit.

III. *Quo-*

III.

Quomodò, & quandò inuenerit Maria gratiam; & in quem vsum.

D. *Bonau. capit.* 3. *medit. vitæ Christi*, introducit virginem Mariam ità de se loquentem, cùm adhùc in templo habitaret. *Petebam mihi gratiam, & virtutes.* Et iterùm. *Filia, tu credis, quòd omnem gratiam, quam habui, habuerim sine labore. Non est ità. Imò nullam gratiam, donum, aut virtutem à Deo habui, nisi magno labore, continua oratione, ardenti desiderio, profundâ deuotione, multis lachrymis, & multâ afflictione, dicendo, faciendo, & cogitando semper sibi placita, sicut sciebam & poteram, excepta gratia, qua sanctificata fui in vtero matris.*

Labor improbus omnia vicit. Virg.

Prou. *Dij laboribus omnia vendunt.*

Emite absque argento, ait Propheta.

Extorsit virgo hanc quasi clauam de manu Herculis. Rapuit vel è sinu Iouis.

Tune es quæsita per omnes
Nata mihi terras? Tu non inuenta, reperta es? aiebat Inachus pater, filiæ suæ Io, post longam disquisitionem repertæ. *Ouid. lib.* 1. *Metam.* q. d. te ego non inueni casu oblatam, sed diu & anxiè quæsitam.

Notanda enim differentia solemnis à doctis, non modo Grammaticis, sed etiam Theologis, posita, inter ista duo verba (*Inuenire, & Reperire*) cuius fusè meminit Alex. ab Alex. lib. 1. gen. dierum cap. 21.

* 1. D. *August.* lib.... de Trinit. c. 10. *Si verbi originē retractemus, quid aliud resonat, nisi quià inuenire, est in id venire quod quæritur? Propterea, qua quasi vltrò in*

men-

mentem veniunt, non vsitatè dicuntur inuenta, quamuis cognita dici possint, quià non in ea quærendo tendebamus, vt in ea veniremus, hoc est ea inuenire mus &c.

Laurent. Valla, Grammaticorum scrupulosissimus ac religiosissimus, lib. 5. eleg. c. 2. *Est excogitare & inuenire consilij; reperire verò fortunæ, vt Ouid. Tu non inuenta, reperta es. Sed iam vsus obtinuit, vt idem sit reperio, quod inuenio.*

Ibid. in epitome eiusdem cap. *Nanciscì, est quasi labore ac conatu inuenire, aut etiam aliter.*

Ioan. Roboamus Rauerinus ità Carmine expressit: *Cogito cum ex, animi est: Fortunæ sit, reperire:*
Inuenio tamen in multis importat vtrumque.
Inueni Germana viam. Virgil. 4. AEn.

Iacob. Micyllus annotat. marginali ad illud Ouidij: *Tu non inuenta, rep.* ait:
Inuenimus quæsita, reperimus casu oblata. Ità Grammatici. Sed Turneb. &c.

* 2. *Contra* est, quod ponitur in quadam epitome eiusdem libri & capitis elegantiarum Vallæ. *Reperio*, inquit, *quià venit à pario, videtur ex naturâ studium & laborem poscere: vndè rarò, vbi à casu inuenire significet, reperitur. Sunt autem, qui inuenire dicant rem nouam, reperire priùs habitam, à qua differentia natura vocabulorum non abhorret.*

D. Aug. lib. 9. Trinit. c. 12. *Inquisitio est appetitus inueniendi, quod idem valet, si dicas, reperiendi. Quæ autem reperiuntur, quasi pariuntur, vnde proli similia sunt, vbi nisi in ipsa notitia? Ibi enim quasi expressa formantur.*

Alexander ab Alex. lib. 1. genial. dierum c. 11. *Reperire, est cum labore aliquid quæsitum assequi; deductum ex re & pario. parere enim est cum labore quærere, vndè pecunia parta, cum labore quæsita dicitur: imò eundem Ouidium.... eodem versu significantius contra*

demon-

demonstrare: *Tu non inuenta, sed reperta es, inquit, quasi ego te non casu & fortuna nactus sum: sed studio & labore quæsitam reperi. Quod & alio versu eumdem exploratius significare aiebat: Exanimesque artus primò, mòx ossa requirens.*

Reperit ossa tamen; & alia ibi multa, ex Q. Curtio, & Suetonio; vbi etiam contra Vallam probatur, *nanciscì id frequentius notare, rem scilicet fortè oblatam, datâ occasione assequi, & habere*; esieque illud verbum sub casu & fortunâ.

* 3. *Turnebus autem lib. 4. cap. 17.* non inuentam interpretatur non inuenibilem, hoc sensu: Te, quæ in iuuencam mutata es, reperi inueniri non posse, cum speciem formamque puellæ amiseris: Vel: etsi te quæsiui per omnes terras, ità tandem tamen te in buculâ reperi, vt non inuenerim natam meam.

Ergò cùm vertant quidam *Inuenisti gratiam* (vt vulgatus interpres, & Arias Montanus, & Andr. Osiander;) alij *nacta es gratiam* (vt Vatablus & Erasmus:) alij, (vt Biblia quædam Latino-Gallica Lugdunensia) *es ingratiâ apud Deum*, & tantam viri docti constituant inter *Inuenire, Reperire, & Nanciscì* differentiam, atque inter gratiam, & gratiam; operę pretium sit disquirere, de quâ tandem gratiâ hîc sit sermo; & quomodò vel *inuenisse*, vel *reperisse* vel *nacta esse* hanc vel illam dici possit Maria Virgo.

Est igitur gratia quædam
- 1. *Prima*, quæ est liberatio à peccato, iustificatio, seu sanctificatio;
- 2. *Secunda*, quæ est augmentum primæ, & quasi superpodium, quod debetur cuicunque Iusto ex quolibet actu;
- 3. *Incarnationis*, non quidem vt eam velit Deus, sed vt eam nùnc, & sic, re ipsâ exhibeat.

Est etiàm triplex meritum;
1. *De Condigno*, quod est actus elicitus ab aliquo iàm iusto, & existente in charitate, à charitate, cui debetur præmium, legis rigore. Dicit enim duo, *Dignitatem*, ex parte hominis; *Legem*, ex parte Dei;
2. *De Congruo*, quod est actus liberè elicitus, cui respondet præmiũ vi legis & pacti. In quo *indignitas* adparet, ex parte hominis; sed *Lex*, ex parte Dei;
3. *De Digno*, quod est actus elicitus ab existente in gratiâ, cui tamen præmium ex rigore legis non respondet, vt quandò Iustus orat pro Peccatore; vel Comprehensor & Beatus, pro Viatore, & exauditur; tùnc alteri meretur de digno: quià licèt ei insit dignitas; non tamen adest vlla lex. Nàm diuina lex est, vnumquemq; audiri orantem pro se, non pro alio.

* 1. *Primam gratiam*, id est iustificationem, vel præseruationem ab originali, vel sanctificationem in vtero, nullo trium modorum meruit Maria. quià actus sunt suppositorum: & à nihilo nihil fit. *Inuenit* ergò & *nacta est* eam *gratiam apud Deum*, id est quasi casu & fortuna, (vt superius loquitur Alexander ab Alex.) incurrit quodammodò, & incidit *in eam*; non *reperit*, id est, labore nullo aut studio vllo sibi comparauit. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.*

Accidit illa quasi dormienti (vt est in prouer.) de eà ne

ea ne per ſomnium quidem Maria cogitauit, neque adfectauit, ſed nec potuit.

* 2. *Secundam* autem, & quaſi ſuperpondium, meruit primo modo de Condigno ſc. Non *inuenit*, non *nacta eſt eam gratiam* caſu, ſed *reperit*, id eſt ſtudio multo, labore improbo, votis, & exercitijs illis, quæ ſuprà poſuit D. Bonauentura, penè extorſit.

Ità (inquam) *reperit*; ſi tamen reperio, quià venit à pario, natura ſua ſtudium dicit & laborem, vt ponit D. Auguſtinus, Alexander ab Alexand. & Vallæ epitomita.

* 3. *Tertiam* Incarnationis, non quidem volitæ (vt ſchola loquitur) ſed acceleratæ, & re exhibitæ meruit *de congruo*. Etiàm *reperit*, id eſt, laboribus, clamoribus ad Deum, & cultu heroico virtutum.

D. Bonauenturæ ſenſo, Patres veteris teſtamenti nullo modo Incarnationem meruerunt, vt quæ omnis meriti ipſa ſit principium; ſed *de congruo* meruerunt, vt eſſet tali tempore; Abraham, vt de ſuo ſemine, B. autem Virgo, meruit in ſe fieri, ante Incarnationem quidem *de congruo*; ſed in aduentu Spiritus-Sãcti, *de digno*. Id *reperit* ſumma vi meritorum. *Dignus eſt, vt hoc illi præſtes*, aiunt illi, de Centurione ſupplice pro puero infirmo.

Imò meliùs dicamus vtrumque: & *Inueniſſe* eam, ſeu *nactam eſſe*, & *Reperiſſe* gratiàm Incarnationis.

* j. *Reperiſſe* quidem, & quaſi *emiſſe* (vt loquitur Iſaias) quià ab ortu ſuo nihil non fecerit eorũ, quibus apud Deum, & à Deo, eam gratiam oportuerat promereri.

Nacta quoque *eſt gratiam*, ſi nanciſci eſt *quaſi conatu & labore inuenire*.

* ij. *Inueniſſe* verò, quià nunquàm tanta ſibi ſperabat, vt cui ſcilicet ſatis erat, vel cuicumque hùc delectæ humillimè ancillari, & in ea tempora reſeruari,

quibus id posset. *Tuus, ô Regina, quid optes,*

Explorare, labor: me iussa capessere fas est, aiebat illa de se, & illa futurâ, cum de Incarnationis negotio secum seriò cogitaret. *Virg.* 1. *Aeneid.*

*1. *Inuenit*, quià nec sperauit, nec adspirauit.

Non adspirauit, inquam? imò contrarijs itineribus iens, in id venit, incidit, offendit, incurrit in id fœlicitatis. *Inuentus sum à non quærentibus me.*

Nàm cum certatim cæteræ virgines Iudaicæ nuberent, viduæ iterumque iterumque nuptias adirent, omnes numerosæ prolis studio, si fortè sic Messiam generarent; Maria Virgo Virginitatem vna ac prima vouet, quâ viâ fieri matres non solent.

* 2. *Inuenit*, si rectè quorumdam sensu *Inuenire* dicitur, qui rem nouam: *Reperire* verò, qui rem antè habitam nanciscitur. *Epitome cap. 2. lib. 5. elegantiarum Vallæ.*

Quid enim magis nouum, quàm virginem parere, & quidem vnico partu Deum & Hominem?

Nec Mariæ id vmquam aliàs antè acciderat, nec pòst iterum accidet, neque vlli alteri.

** 3. *Inuenit* illud Maria, vt viator bursam benè nũmatam, imò *Inuenit* & *Reperit* simul, vt fossor in suo agro thesaurum, aut poculum Philippis, & Henricis aureis plenum, vt ille apud Plautum

Senex auarus, vix sibi credens Euclio
Domi suæ defossum multis cum opibus
Aulam (seu ollam) *inuenit*. Plautus in Aulul. in Arg.

Nàm vt agri fossor, etsi tàm laborat & sudat, quàm auri scrutator in aurifodinâ, non tamen aurum quærens, neque infectum in venis, neque signatum in poculis; sed nihilominus inuenit aliquandò illud & recoctius, melius, & ad vsum paratius, quàm ille: sic Maria *Reperit* Incarnationis gratiam, quâ egregiè sudauit,

dauit, & laborauit in conciliando sibi ac demerendo Deo, non tamen eò collimans, quò cæteræ fœminæ tùnc nuptæ, vt scilicet Messiæ mater esset; *Inuenit* tamen, quâ in id beneficij incidit quasi casu & fortunâ, quod non quærebat, quod nullæ aliæ iterumque iterumque nubendo, pariendoque, neque *inuenire*, neque *reperire*, neque *nancisci* potuerunt. Tamdiu fodit & sudauit, donec casu peruenit ad cor Dei Patris, ibique inuenit.

Citiùs se matrem Dei esse mirata est, quàm de ea re vel semel pro se cogitasset.

Tu non inuenta, reperta es, de ea gratia vsurpare meritò posit Maria.

* 4. *Inuenit* quoque & *reperit* gratiam omnem præuenientem, qua fieret digna conceptu & partu Filii Dei, gratior indè Deo, quàm vlla creatura Deo suo, vel homo homini cuicumque. Nàm formulis inuentæ gratiæ pleni sunt S. Scripturæ libri.

Si inueni gratiam apud te, ait suo Iosepho Iacob pater. *genes.* 47.

Si inueni gratiam apud vos, ait Iosephus Proceribus Pharaonis. *Gene.* 50.

Sic libri eiusdem *c.* 17. 53. 43.

Inueniam gratiam in conspectu tuo, ait Laban Iacobo & genero suo. *genes.* 30.

Vndè mihi hoc, vt inueniam gratiam ante oculos tuos, & nosse me dignareris peregrinam mulierem? Ruth. 2.

Vtinam inueniat ancilla tua gratiam in oculis tuis, ait Anna ad Heli. 1. *Regg.* 1

Quid Mariæ nunc restat? audietis;

1. *Inuentis aliquid addere*; Faciet, quia facilè est, iuxta prou.
2. *Inuenta seruare. Non minor est virtus, quàm quærere parta tueri &c.* Ouid. de Arte. Fecit. Plerique nostrum non item.

3. *Inuentis benè vti.* Nemo melius Maria.
4. *Inuenta vel reddere* possessoribus aut hæredibus, vel saltem communicare liberaliter.

Orig. sup. Leuit. homil. 4. *Multi sine peccato putant esse, si alienum, quòd inuenerint, teneāt, & dicunt: Deus mihi dedit, cui habeo reddere? Discant ergò, peccatum hoc esse simile rapinæ, si quis inuenta non reddat.*

D. Aug. de verb. Apost. *Quod inuenisti, & non reddidisti, rapuisti: quantū potuisti, fecisti. Quià non plus potuisti: ideò nō plus fecisti. Qui alienū negat, si potuit, tollit.*

Idem ep. ad Macedonium. *Non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

Incuriosi maiores nostri Adam & Eua, gratiam Dei in horto voluptatis amiserunt. Tu Maria *inuenisti eam apud Deum* in sinu Patris.

Ijs ergò, & nobis eorum hæredibus, si non eam reddere, certè liberalissimè communicare, te fas & iura volunt. Inueneris tibi, ac primis possessoribus.

Esto, *inueneris* vnà & *repereris*, id est tàm virtute, quàm fortuna: Virtutis etiàm fuerit rectè vti.

Non ergò in ruinam miserorum (vt quondam impius ille Aman, & alij multi:) sed vt pia Esther, in eorum auxilium ac præsidium vtere gratia, qua apud Regem vniuersi Deum vales, ô Regina mundi Maria.

Aman, inuenta gratia apud Regem Assuerum, & iàm Rex ipse magis, quàm Assuerus ipse; misellam gentem Iudæorum & captiuam, apud Regem calumniando, falsoque accusando, tantum non perdidit, extorto à Rege decreto maximè ferali; contrà pia Esther, inuenta quoque apud eundem Regem ac maritum suū gratia, tàm sapienter & opportunè est vsa, vt eundem pop. suum morti eripuerit, atque in Amanis

nis caput omnia retorserit. *Scelus in Autorem redit.* Senec. Trag. *Hoc age*, sic age, *Diua potens Dei.*

Vtamur & nos (Auditores) ista opportunitate; ad Mariam lætam & diuitem hoc inuento, recurramus.

Eam amemus, deamemus &c.

Nemò ferè virorum magnorum hactenus fuit, qui nõ eam habuerit semper charissimam, & patronam. Omnes Magni & Boni, clientes eius.

D. Ignatius martyr. D. Franciscus, D. Bonauent. D. Bernardinus &c.

D. Franciscus cùm tota vita eam religiosissimè coluisset, tandem in eius æde cor suum sepeliri, voluit.

P. Marcus Vlyssiponensis Annalium Ord. D. Francisci lib. 2. c. 72. D. Franciscus adhùc in viuis positus semper optarat corpus suum vilissimo vrbis Assisij loco sepeliri, excepto corde suo, quod esse in templo Dominæ nostræ Angelorum percupierat, sicut viuens illic per affectum illud affixum habuerat... & est communis opinio, cor eius in sacello vno S. Mariæ Angelorum requiescere, vbi magna reuerentia ferunt adseruari.

Sic eam nos posteri colamus, sic oremus:

D. Bernard. ser. 1. de Assumptione B. Mariæ. *Sit pietatis tuæ, ipsam quam apud Deum gratiam inuenisti, notam facere mundo, reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adiutorium, & liberationem sanctis tuis precibus obtinendo.*

Paleæ & Micæ.

* 1. D. Gregor. Nazianz. orat. 29. quæ est in laudem Cypriani. *Iustina* (solicitata ad libidinem per

Cyprianum, lenone Dæmone) *virginem Mariam supplex obsecrans, vt periclitanti virgini auxilium ferret, ieiunij atq; humi cubitationis pharmaco sese communit: partim vt formæ venustatem tamquàm insidiosam obscuraret, sicque flammæ materiam subtraheret, ac libidinis facem absumeret: partim vt humilitate sua proprium* (mel. propitium) *sibi Deum & exorabilem redderet. Neque enim vlla re perindè, atque corporis animique afflictatione cõciliatur Deus: lachrimisq; misericordia vicissim rependi solet... Fidem hic amor conciliat, ac dùm procus virginis nuptias ambit, à Christo ipse despondetur, atque extincta libidinis flamma, veritatis flamma suscitatur.*

* 2. *Quod dictum* est suprà, credi à nonnullis, B. Mariam manè ab Angelo salutatam, dictum volo, salua D. Bonauenturæ nostri sententia, de quo sic legitur: *Idem etiàm pijssimus cultor gloriosæ Virginis matris Iesu instituit, vt fratres populum hortarentur ad salutandam eamdem signo campanæ, quod post Completorium datur; quòd creditum sit, eamdem eâ horâ ab Angelo salutatam.* Off. Ord. Minorum, ex Octauiani de Martinis Suessani, Iuris vtr. Doctoris, & Aduocati palatij Apostolici, oratione in vitam D. Bonauenturæ.

* 3. *Scotus noster* in 4. sent. dist. 30. quæst. 2. quærit. Fueritne verum, inter Virginem sacram, & Ioseph, matrimonium? Respondet adfirmatiuè. Rationes, cùr fuerit antè cõiugata, habet ibidẽ. Vide; Pulchræ sũt. Non probat illam: Vt partus eius cælaretur Diabolo. Excusat tamen.

* 4. *Inuenisti* gratiam &c. Concionator quidam doctissimus, Hispanicè hîc dixit, quæ sequuntur (vt quidem ego vertere Latinè potui, ex Hispanico inuento apud nostrum Philippum Diez, in eius Summa, pag. 54. edit. Nutij 1600. in quà desiderem esse omnia Latinè versa, quæ illic author Hispanicè, vtpotè

& ipse

& ipse Hispanus, profert plurima, multùm remorātia, quamlibet alioqui doctos lectores. Ignosce Lector, si quid erro in versione huius particulæ.) *Sunt tres differentiæ rerum inuentarum* (ait ille Concionator Hispanus.) *Vnæ inueniuntur, quas nemo hominum amisit, & harum nulla restitutio necessaria. Verbi causâ: aliquis piscatur è flumine libero, aut venatur in monte non vetito. Quidquid ibi inuenit, quiâ nemo perdidit, non tenetur vlli restituere. Alteræ inueniuntur, quas aliquis perdidit, sed iàm habitans tàm procùl aut absens, vt ei restitui non possit; ac tùm pauperibus dandæ sunt. Tertiæ reperiuntur, quarum dominus qui amisit, scitur, & tali loco est, vt commodè restitui ei possit. Tū qui eas inuenit, restituere tenetur eidem omninò ipsi, qui perdidit, quoniàm dicit Augustinus* (si quid inuenisti, & non reddidisti, rapuisti.) *Vides hic tres differentias rerum inuentarum, secundum quas omnes dici aliquo modo potest sanctissima virgo Maria apud Deum gratiam inuenisse. Inuenit primum, vnum gratiæ genus, quam nemo perdidit, & hæc fuit gratia, qua mater Dei facta est, vt Angeli indè stupeant, Dæmones tremant, cùm vident, meram puramque fœminam posse verè dicere: Ego sum Mater Dei. Hanc gratiam nemo perdidit, nemo inuenit, nulla fœmina alia ab ista inuenire meruit. Quandoquidem ergò illa inuenit quod nemo perdidit, nemini restituere tenetur, sibi eam habeat & seruet, prosit, & fœlix faustumque sit illi.*

Altera gratia, quam inuenit Maria, fuit aliquo modo ea gratia, quàm Angeli perdiderunt, quoniàm diuino suo fauore & humilitate, vndè illi exciderunt, & quidem multo maiore, hanc diuinā Imperatricem Deus honorauit, vt potè quæ numquàm ab ea gratia exciderit, qua diuinitùs imbuta fuit. Vndè fit, vt ea gratia, quàm Angeli perdiderunt, non possit eis restitui, propter nimiam eorum à nobis distantiam. Quoniam, vt dixit Abrahamus

diuiti auaro (Magnum est chaos inter nos, & vos) *interuallum atque impedimentum inter damnatos & beatos tale est, vt nec mála, nec mœstitiæ damnatorũ, transire posſint ad beatos, neque gaudia, & fauores beatorum, transmitti ad damnatos. Quandoquidem ergò ijs, qui amisêre, restitui non potest, æquum est, vt pauperibus erogetur, nos verò pauperes illi sumus. Et verò certè etiàm aliquo modo possumus affirmare, cœlestem Virginem lege teneri, vt nobis restituat gratiam, quam ab Angelis amissam inuenit. Quod tale est, ac si diceremus, quòd quià Deus maioribus eam beneficijs affecit, quàm Angelos ipsos, & deindè reperit quoque id, quod Angeli desertores perdiderunt, sensu iàm dicto, nos maiore fauore prosequi debet, ac diligentiùs patrocinari, quoniàm magni paruiqúe à Deo creati sunt, vt parui & clientes obedienter magnis seruiant, magni verò, magnificè paruis & clientibus faueant.*

Tertia gratia, illa fuit, quam Adamus perdidit, in quo eam perdente, eamdem nos quoque ipsi omnes amisimus. Eam gratiam & diuinum fauorem etiàm inuenit Regina Cœlorum, neque deindè vnquàm gratia & fauore excidit: quo in sui creatione diuinitùs imbuta est. Cùm ergo eam inuenerit, neque ignoret, à quo amissa sit, id est, à nobis ipsis, & eo adhùc loco agamus, vbi restituere eam posſit, eam nobis restituere iure tenetur. Qua tota ratiocinatione significari volumus, quòd quià Deus tàm singularibus beneficijs, totqúe gratijs sanctissimam Virginem Mariam Dominam nostram affecit, ipsa obligatior indè est, vt nobis patrocinetur, ac nobis continuò Dei iram deprecetur. Hæc ille, vti vertere potuimns.

* 5. *Ecce ancilla Domini fiat &c.* Consensus hic Mariæ fuit in maternitatem oblatam, post quem Conceptio Christi ità subitò facta est, vt hæc quatuor in eodem instanti fuerint, sc. *Conuersio* sanguinis illius materialis, in partes corporis Christi: *Formatio* perfectis-

fectiſsima membrorum organicorum: *Animatio* corporis organici: *Et aſſumptio* corporis animati in diuinæ perſonæ vnitatem. In alijs autem hoc ità ſucceſſiuè contingit, vt maſculi conceptus non perficiatur vſque ad quadrageſimum diem, vt docet Ariſt. lib. 9. animalium; Fœminæ autem vſque ad nonageſimum, vel ſecundum alios, vſque ad octogeſimum.

In benedicta & ſtupenda Chriſti conceptione, materia à Virgine miniſtrata, mòx mòx formam & figuram humani corporis accepit, & anima in vnitatem diuinæ perſonæ aſſumpta.

Sed ais: Quid ergò eſt, quod Auguſtinus ait, numerum templi conuenire corpori Chriſti? Gloſſ. Auguſt. *Sicut templum quadraginta ſex annis ædificatum eſt: ſic corpus Chriſti in vtero Virginis quadraginta ſex diebus fuit formatum.*

Reſpondetur, quod licet ab inſtanti conceptionis Chriſti corpus fuerit ritè formatum, & omnibus membris ac lineamentis conſtans; tamen adeò exile fuit, vt huiuſmodi lineamenta in eo non apparerent vſque ad quadrageſimum ſextum diem: & ideò quà augmentum ſpectatur, rectè dicit Auguſtinus, formatum ſpatio quadraginta ſex dierum, id eſt incrementum iuſtum ac ſpectabile accepiſſe.

Duplex ſcilicet eſt notanda perfectio, Vna exiſtẽtiæ; Altera, Apparentiæ. Primam habuit Chriſti corpus in ipſo Conceptionis inſtanti; Alteram, non niſi quadrageſimo ſexto poſt illam die, quo ſenſu rectè loquutus eſt Auguſtinus.

Mòx vt arboris flores in nodos abierunt, poma perfecta ſunt, perfectione exiſtentiæ; & poma non ſunt, perfectione apparentiæ.

Et notandum, Iudæos cùm dicunt; *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc*, Ioan. 2. loqui de templo per Zorobabelem inſtaurato, non de conſtructo

ſtructo ab ipſo Salomone. Nàm illud ægrè 20. annis completum eſt. 2. *Paralip.* 8. 3. *Regg.* 9.

Vt Adamus non per interualla creatus & perfectus fuit; ſic nec Chriſtus.

Vt per Typographiæ nouam artem, vna pagina, & folij extenſi facies, omnibus literis magnis ſeu capitalibus, & paruis; item Italiço; & Romano charactere ſimul, vnico preli ductu aut tractu, ſignatur atque imprimitur; cùm alioqui ſoleat ſcribi ſingillatim, & literatim, temporis tractu diuturno; ſic, etſi lapſu temporis alternante, ſolerent homines in veteris matrum generari, Chriſti tamen generatio in ventre Virginis ſic fuit, vt vno inſtanti totus compingeretur.

Item; vt quædam per teporem, deinde per caloris 1. 2. 3. & 4. gradus accenduntur, ſed tamen nouo inuento, per puluerem tormentarium, mons ligneus mox incendi, & in fauillam redigi poſsit; ità hic &c.

* 6. *Ecce* ancilla &c. Rariſsimum quid, *humilitas honorata*. Bern. ſer. 4. ſup. Miſſus eſt. *Cæſarius lib. 4. miraculorum c. 5.* exemplũ habet Diaboli nõ timentis Monachum virginem quidem, ſed ſuperbum, vbi & addit: *Nec Deo placet, nec Diabolus timet ſine humilitate virginitatem, cùm tamen Deo placeat, & Diabolus timeat ſine virginitate humilitatem.*

BREVIS IN CHRISTI NATALEM, ad Monachos San-Hubertinos in Arduenna, Oratio, vt à F. Philip. Bosquiero, nondùm Sacerdote scripta olim fuit (ab alio tamen habita:) sic edita, vt adpareat, proficeritne deindè Autor, an defecerit.

FAMILIARIS ILLA EST ET VSITATA omnium consuetudo ciuitatum, (Patres & Domini mei venerandi) vt tympanorũ sonis, aut buccinæ auditis clangoribus, quam primum vndecumque collecta iuuentus, omnisque ætas circumfusa ruat, intellectura præconum legationẽ; quamquam vsu venire compertum est, lituorum mũdi huius & tubarum sonos, Regum inter se aut Ducum, aut prouinciarum sanguinolentas discordias, intestina bella, & *littora littoribus contraria, fluctibus vndas* vt plurimùm denuntiare. Hoc nimirùm nostro malo, tempestate hac turbulentâ, & ciuilibus flagrante dissidiis, experti, loquimur, tot prouinciarum inter se visis dimicationibus, tot agris nostro sanguine cruentatis, tot spoliatis, desolatisq; olim florentissimis ciuitatibus, quarum nondùm vulnera coierunt. Quæ cum ità sit, ea tamen est huius mundi hominum auiditas dicam? an dementia? vt ad primum litui tympaniq; strepitum, vndique ruant ad audiendum circumfusi. Quò magis eorum animos, quos de procellosis mundi fluctibus, de *loco horroris, & vasta soli-*

ſolitudinis eductos, Deus monaſteriis, velut quietiſſima tuti portus ſtatione, recepit, inflammari oportet, ad audiendum non iàm lituos, non claſsica, non tympana, non aſperos tubarum ſonos, ciuilis belli prę-cones, ſed pacificam illam vocem ſuauemque concentū, quem Regis æterni ſymphoniaci, cęleſtis ſcilicet Angelorum chorus nato Domino præcinuit, *gloriam Deo, pacem hominibus*, ſummæque illius Maieſtatis in carne natiuitatem, formam Dei ſeruili diploide circumamictam, noſtraque opertam infirmitate, vt ſecures inimici noſtris ceruicibus imminentes auertat, veniſſe denuntians.

Equidem multos veſtrûm ſcio (Patres, & Domini mei) his retrò diebus elapſis, quibus, pro noſtri ingenij tenuitate (quod ſentio quàm ſit exiguum) quæ Dominus dedit, ſimus eloquuti, diem hûc Chriſti Ieſu natalem, multis ſuſpirijs, multis gemitibus, affectaſſe, multoties, cum Synagogæ patribus, inclamâſſe ad Patrem: *Mitte Domine quem miſſurus es. Deſcendat ſuper nos miſericordia tua. Emitte, Domine, agnum Dominatorem terræ. Aperiatur terra, & germinet Saluatorem*, & tantæ pacis, tantique doni ſitientiſsimos, ad Filium, iterumque iterumque ingeminantes, ſuſpiraſſe: *Aperi cœlos tuos, & deſcende, viſita nos in ſalutari tuo.* Multos (inquam) veſtrûm ſcio, hæc non oſcitanter inclamaſſe, his declaraſſe, quantis deſideriorum æſtibus, quibus intus ignibus torrerẽtur, vt viderent *diem Domini* non *amaram* quidem illam, *diem iræ & calamitatis*, *diem*, de qua Propheta, *tenebrarum & caliginis*, *diem nubis & turbinis*, ſed diem pacis & lętitiæ, in quo *gloria in altiſſimis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis* nũtiatur.

Exultaſtis (vt opinor) cùm Abraham, vt videretis *diem Domini; craſtina* autem *die ſcietis, quià viſitauit*

nos

nos Dominus oriens ex alto , facturus redemptionem plebis suæ, videbitis (inquam) & cum Abrahamo gaudebit cor vestrum, si quemadmodum filij huius sæculi assolent in suis, ad pacificam Angelorum musicen, Leuita personante, animos, vultus, oculos, & ora conuertatis.

Sed quoniam id audisse Christiano cuicumque parum fuerit, quin potius fortasse damnosum , nisi venienti regiæ Maiestati exeamus in occursum , dona nostra conferentes; peto à vobis , vt me de Regis excipiendi ratione, cùm breuitate , cuius ego sum amantissimus, differentem, vt soletis, placidè audiatis. Spero enim fore, vt, etsi Tullianæ maiestatis grauitatem, aut Demosthenicum splẽdorem oratio hæc nostra non speret, sed magis , paupertati. Regis venientis accommodata, humilitate verborum humi repat; spero (inquam) id fore, vt sicut carnis infirmitate velata latebat diuina maiestas , sub nostra quoque dicendi egestate, vtilitas summa , *functeque honoris & honestatis,* delitescant.

In Iudicij contentione (inquit Cyprianus) *pro Rostris, opulenta facundia volubili ambitione iactetur; cùm de Domino & de Deo vox est; vocis pura syncerit as, non eloquentiæ viribus nititur, ad fidei argumenta , sed rebus. Denique accipite non diserta, sed fortia, nec ad audientiæ popularis illecebram culto sermone fucata, sed ad diuinam indulgẽtiam prædicandam rudi veritate simplicia.* Aggrediar enim facultate, quâ valeo , illo auspice, cui preces nostras per Mariam offeremus.

AVE.

I.

Quis vbique mœror ante Christum natum; quæ, illo nato lætitia.

Hactenus, à primo mundi nascẽtis exordio (Venerandi Patres) & quæ in terris, & quæ subterraneis locis condebantur, & quæ in cœlis erant, luctus ingens, mœror continuus afflictabat; hactenùs orbis totus, hactenùs cœli & terra, mirabili inauditoque perculsa dolore luxerunt.

Primum quidem, quo *dolore cordis tactum intrinsecus* Patrem suspicamur; quo mœrore confectum filium? quàm *inenarrabilibus gemitibus* Spiritum-Sanctum planxisse? quo dolore, quo vulnere perculsas Angelorum acies opinamur? Totam quidem Trinitatem, quod plasma suum, quòd *opus manuum suarum*, dolo serpentis antiqui, tanto iniquitatis pondere videret esse prostratum, vt ad regnaque parueerat, non modò non posset attolli, sed etiàm de sublimi illo deliciarum hortulo fuerit exturbandum? Illos verò (beatas dico Principatuum, Potestatum & Dominationum cohortes) quòd naturam nostram, quam implendo fratrum suorum numero, lapsorumque ruinis restaurandis conditam didicerant, inimicæ stirpis laqueo viderent irretitam? Nos verò, primasque Synagogæ, & Ecclesiæ columnas, Abelem candidati martyrum exercitus ducem; Seth trucidati Abelis successorem, cùm Enos filio, qui *primus inuocâsse nomen Domini* legitur; Noacum, Abrahamum, Iacob, & Moysen, cùm cæteris, hactenùs ad aduentum vsque Regis huius, continuo planctu, inauditoque dolore, tàm miserum casum luxisse, quis nesciat, & maximè protoparentes nostros, vt qui viderent *vnius ob noxam*

xam, &(vt ità dicam)*ob furias Aiacis Oilei* perditos nepotes,& *quicquid Reges ipsi deliraſſent, Achiuos*, hoc eſt, totam filiorum poſteritatem, *plecti*, & æternos irarum ignes, iaculatamque mortis ſententiam pro ſe ſuſtinere? Tota, inquam(Patres mei)tota terra, tota cum Angelis ſuis hactenùs Trinitas ſancta idcircò dolebat, & vehementer angebatur, hactenùs nil niſi fletus,planctus,gemitusque ſonabant.

Nunc verò,conuerſis rebus in melius, & Domino viſitante terram, & Sole miſericordiæ ſuæ terris illapſo, naſcente nimirùm Ieſu Chriſto, gaudet & lætatur omnis cum Conditore creatura. *Nemo* namque (vt inquit Leo) *ab huius alacritatis participatione ſecernitur, vna cunctis lætitiæ communis eſt ratio, quia Deus noſter peccati mortiſque deſtructor, ſicut nullum à reatu liberum reperit, it à liberandis omnibus venit. Exultet Sanctus*(inquit ille)*quia propinquat ad palmam; gaudeat peccator, quia inuitatur ad veniam;animetur Gentilis, quia vocatur ad vitam.* Iàm verus Iſraelita, ſub onere virtutum, ſudoribus æſtuans, iàm athleta Chriſtianus *portans iugum Domini abadoleſcentia ſuâ*, fortiter currat,vt comprehendi,iàm ſperet ſuæ fortitudinis brauium:Iam peccator ſuarum pondere preſſus iniquitatum, oculos in cœlum attollat;iam tenebrarum luctuſque diſcuſsâ caligine,lucem exultationis aſpiciat; iàm gaudeat, reducto in vaginam iuſtitiæ diuinique furoris gladio; iàm Gentilis, idololatriæ deſertis erroribus,intueatur Solem iuſtitiæ, denique ſexus omnis,ætas omnis exultet;Iuſtus, certus de præmio; peccator,de venia; Gentilis, de cognita veritate.

Nàm & ipſa Angelorum beata corona, concentibus ſuis, vim ſuæ lætitiæ meritò profitetur, videns cœleſtem Hieruſalem ex omnibus mundi gentibus fabricandam, reſtaurandas lapſorum ruinas, & ſuæ

ſymphoniæ ſocios homines præparari ; *venit* enim *ſaluum facere*, venit Rex noſter *quærere* , per deſerta vallium mundi huius, *& ſaluare, quod perierat*. Ipſi paſtorum greges medius fidius(vt mihi videtur)erectis in cœlum vultibus , lætitiam quoque ſuam, in hac natiuitate teſtari geſtiunt, & ad ipſos Angelorũ cantus exultare. Equidem ſi belli Ducibus,cum auxiliaribus copijs, pro ſalute patriæ,ex inſperato hoſti occurrentibus , ſumma exultatione , ſummo gaudio penè diffluunt ciues , accepta ab eis libertate; qua cordis lætitia nobis exultandum, audito Regis aduẽtu,qui ſuis,non militum vulneribus;ſuo,non ciuium ſuorum profuſo ſanguine ; non ſtrictis gladijs, ſed protenſis in cruce brachiis,cum hoſte generis noſtri, ſingulari certamine, victor futurus dimicabit? Profectò, ſi graue eſt ſeruitutis iugum in libertate natis; in eius maximè natiuitate gaudendum , & quaſi tripudiandum Chriſtianis eſſe videtur , qui à corpore pariter & Spiritu immaniſsimæ iugum auferet ſeruitutis.

Quibus verò armis,qua caſside, quo thorace, quibus cæſtibus, hoſtem ſit aggreſſurus , an veræ noſtræ carnis diploide circumtectus,an ſub toto homine latitans,*fortis ille armatus,vaſa* prædonis *direpturus* ſit, dicerẽ copiosè, niſi mihi fidei veſtræ comperta iampridẽ eſſet integritas. Neque .n. ignoro, varios varia capitis ſui diliramenta venditaſſe; ſcio priſcorũ hæreticorum ſomnia;ſcio(referentibus Auguſtino , & Tertulliano)Cerdonem , cum ſuo Marcione , commentum fuiſſe,non totam veramq; hominis à Verbo aſſumptam fuiſſe ſubſtantiam ; neque natum ex fœmina;non verè vulnera nobis ſalutifera,mortemque vitalem,in vero corpore , ſuſcepiſſe ; ſed fantaſtica omnia, ſimulatam carnem , ſimulatam quoque fuiſſe paſsionem.

Scio

Scio, Manichæos cum Priſcilliano (referente Leone) fantaſticum Chriſti corpus ſomniaſſe; Apellem, elementarem illi, non de matre ſumptam, carnem (referente Euſebio) tribuiſſe.

Scio, Proclianitas thoraca huic noſtro Regi, ad hoc duellum maximè neceſſarium, carnem nempè noſtram, detraxiſſe.

Scio (referente Caſsiano) Manichæũ, cõminiſci, nihil Regem noſtrum, in quo vulneraretur, habuiſſe.

Scio (referente Leone) ab Apollinari, anima ſpoliatum.

Scio, Ebionem, Carpocratem, Cerinthum, dignum patella operculum, Diuinitatis, in cuius fortitudine præliaretur, coniunctione ſpoliaſſe.

Hæc, inquam, cæteraque id genus, hæreticorum priſca commenta non ignoro, quæ hic copioſè à me refelli poſſent, ſi mihi cum ſomniatoribus illis ſermo nũceſſet; aut, ſi quos feralibus iſtorum ſibilis hic contactos opinarer. Nàm tàm sũt multitudine innumerabilis Patrũ, Conciliorũque acies; tàm frequentes ſcripturarum copiæ pro nobis; tàm pleni ſapientum libri; tàm numeroſus rationum cuneus, iſtis expugnandis erroribus; vt propemodùm nihil magis videatur optandum, quam hac de re cum illis decertare. Sed quoniam hoc in veſtro conſeſſu, huius mali contagione ſaucium neminem ſuſpicamur, quin potiùs diuinæ gratiæ beneficio, omnes, armatis animis contra peſtes iſtas, contra hydræ feralis capita; erectos ſtare confidimus; & ne gaudii, quod ex noui ac pacifici Regis natiuitate capiendum eſt, magnitudo, pugnando & decertando minuatur, plauſibiliora (ſicut promiſimus) proſequemur, quandoquidem (teſte Chryſoſt.) & *paſtores, quãdiù noxia beſtia nõ infeſtat, ſub ilicem aut populum porrecti, fiſtula canũt, ſinentes oues liberè pro ſuo arbitratu paſcere*, dùm ipſi (vt inquit

Poeta)*recubantes sub tegmine fagi*, *Syluestrem tenui musam meditantur auenâ*; parati tamen saxis & fustibus luporum insidias propulsare, si quid vel leuissimi tumultus audierint. Itaque hos sequuti, dimissis gaudii nostri perturbatoribus hæreticis, cum Angelis, cum tota Trinitate, gaudeamus. *Non enim locus esse debet tristitiæ* (inquit Leo) *bi natalis est vitæ.*

II.

Quo apparatu Dominus excipiendus.

Veruntamen illud (vt initiò monuisse me recordor) se dulò est à nobis vestigandum, quibus donis, quibus muneribus, Regem hunc, quaue beneuolentia complectemur. Nunquid duce stella, in Palęstinam cum Magis, ex Oriente.....

Desunt hic (Lector) circiter paginæ duæ, passæ naufragium, quas etsi supplere Autori haud difficilè fuit; noluit tamen, ne senilia sua, pro iuuenilibus, venditaret.

.... in qua nimirum *manducamus panem doloris, panem lachrymarum.* Cur enim templa diuino cultui dedicata domos panis non vocemus? Nàm & Iacob lapidem erectum in titulum, oleoque delibutum, verè domum Dei esse testatur, *verè*, inquiens, *Dominus est in loco isto; & non est hic aliud, nisi domus Dei.* Et Dominus templum augustum, ingens Salomonis, vocat *domum suam*, ait enim: *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Templum ergò domus est. Cuius domus? Eius, qui de se dixit: *Ego sum panis vitæ, ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi*; &: *Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.* Templum itaque domus (testante Iacob patriarcha, & autore Domino) dicitur, *domus* (inquam) *Dei*, domus panis, quià domus Christi, qui se panem vocitauit, vnde meritò Bethlehem templũ Dei vocabitur, in quo, sine peregrinationibus, fas est Regi occurrere, *videre verbum quod factum est* inter

manus

manus Sacerdotum, accidentibus, tanquàm *pannis, inuolutum*, *reclinatum* in altaris *præsepio*, *cum Mariâ matre eius*, quam à filij latere, sicut nec Angelos (testante Chrysostomo) in altaris horrore plenis mysterijs, nequaquam abesse certa fide tenendum est; cui, tanquàm in cunis vagienti, etiàm cum Magis Orientalibus munera nostra deferamus. Neque enim sine muneribus, sine donis Rex tantus excipiendus est, cum scriptum sit: *Non apparebis in conspectu meo vacuus*, præsertim, cùm non, tanquàm exactor, ex sanguine & suorum miserijs, magnam sibi opum vim cumulaturus adueniat, sed mansuetus, sed prodigus, & supra modum liberalis, pro libertate nostra, sanguinem profusurus. Quid ergò? Nunquid eos, qui pro Christo *reliquerunt omnia, & sequuti sunt eum*, qui calcata mundi *concupiscentiâ, & superbiâ vitæ*, relictisque Sodomis, ascenderunt in montem, qui manus aratro admouerunt, retrospicere hic cohortamur? Absit (Patres.) *vouete* (inquit scriptura) *& reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius affertis munera.* Nàm etsi *vagit* puer *inter arcta conditus præsepia*; quanquàm panniculis semilaceris inuoluitur; non tamen quam dedimus fidem Domino, vel sacramenta professionis, quibus spontè deuincti sumus, violari præcipimus, & tamen *aurum, thus, & myrrham* suademus *offerre.* Neque nobis ex Assyrijs aut Indicis mercibus quidquam, aut ex Tagi fluminis arenis (quas aureas esse à multis traditum est) aut de messibus Sabæis aliquid asportandum. Quid ergò? Sicut Magi Orientales *de thesauris suis mysticas Domino munerum species obtulerunt*, ità (inquit Leo) *quæ Deo sunt digna, promamus.* Thus & myrrhã cum auro deferimus, si intellectum captiuamus in obsequium Christi, nec ambitiosa perscrutatione vestigemus, quæ simplicis fidei luminibus præcipiuntur intuen-

da. *Thus, myrrham, & aurum,* offerimus, quæ (si Hieronymo, si Iuuenco Presbyteris, si Leoni Pōtifici maximo credimus) diuinitatem, humanitatem, & Regiam simul in vno maiestatem signauerunt, illa (inquam) *de thesauris nostris,* simul *offerimus,* si, abiurato Manichæorum errore, humanitatem in Christo veram credimus: si desertis Ebionis, Carpocratis, & Corinthi somnijs, Diuinitatem, regiamque maiestatem in Christo confitemur; offerimus (inquam) non singuli singula, sicut hæretici, sed singuli simul omnia, si Regem, si Hominem verum, si Deum verum, vnum eundemque Christum, cum Ecclesia prædicamus.

Hæc sunt (Patres) quæ à nobis Rex noster efflagitat. Nàm (vt dixi) quanquàm pannis inuoluitur, quāquàm nudus iacet, & frigoris asperitate palpitet pectusculum, quanquàm non in mollibus delicatioris lectuli plumis vagiat; clamat tamen ille, & dicit:

Nec mi aurum posconec mi pretium dederitis: mei enim sunt cardines terræ, mare & plenitudinem eius manus istæ fundauerunt, sed *præbe* (inquit) *mihi cor tuum;* præbe, credendo; præbe, diligendo; *bonorum nostrorum* ille *non eget.* Hoc vnum, hoc solum est, quod *Dominus requirit à nobis* (ait Micheas) vtique *facere iudicium, atque iustitiam, & solicitè ambulare cum illo.*

Quæ cum ità sint in facultate nostra, vt nemo paupertate, nemo valetudine vel infirmitate excusari queat, cùm *Domini iugum* sit suaue, cùm *ratio* (iuxta philosophum) *deprecetur ad optima;* & *virtus* (secundum Damascenū) sit *secundū naturā* videlicet rationi consentanea; imò (si Tullio, si Augustino, si Basilio, duobus maximis Ecclesiæ luminibus, credimus) *semina quædam virtutum nobis connata & concreta sint;* sitque illud vulgari, non sine causâ, tritum pro-

prouerbio, *malos, malè agendo, magis quàm cum virtute lenè ac beatè viuentes laborare*; quid est, cùr Regem hunc debitis muneribus, debitâ benevolentiâ prosequamur? Quid est, cùm non ab Oriente sit in Palæstinam peregrinandum, vt in Bethlehem nato Regi occurramus, sed domus ista panis viui parietibus domesticis includatur; cùm nihil eorum, quæ fortassis onerosa cupidis & auaris viderentur, postulet, nihil auri materialis, nihil thuris, nihil myrrhæ, cuius *procul & de vltimis finibus pretium*; nihil, quod sæculi cupiditas auara miratur, efflagitet, sed tantum fidem, tantùm promptam animi voluntatem; quid est, cùr non occurramus? cùr non gaudeamus? cùr non debitis muneribus honoremus? Gaudeamus (fratres) & Angelorum concentibus nostri cordis carmina misceamus, curramus obuiam Regi, *nō in curribus, non in equis*, sed fide curramus, bonorum operum gressibus obuiemus, & sequamur vestigia eius, illi *myrrham primam*, illi thus Sabæum, illi purum & examinatum aurum fidei simplicis offeramus, vt veniens in regnum suum, nos, *qui confessi sumus eum coram hominibus, confiteatur coram patre suo*, Qui viuit, & regnat &c.

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM HISCE tabulis naufragij contentarum.

A.

Adami scientia multis argumentis probatur. 304
Adamus vt ostendat ignorantiam suam. 311
Acroama Alexandri magni. 50.
Æacus Iouis filius creditus. 137
Alexandri magni beneuolentia in Phocionem 136
Alexander Alensis fons scholasticorum. 501
An Apostoli vna tãtum lingua fuerint locuti. 213
Ante Christum natum vbique mœror erat. 576
Anthonij Paduani, & S. Vincentii Ferrarii priuilegium. 214.
Angelus vnde dicatur. 438
Angeli aliquando ministrarũt eucharistiam hominib 237
Apostoli ante diem pentecostes Spiritum S. receperunt & quando. 145
Apostoli in die pentecostes receperũt Spiritum S. visibiliter, plenè, stabiliter 213
Apostoli sua reliquerunt duplici studio. 117
Apostoli quantum & qua intẽtione omnia reliquerint. 89
Arbor scientiæ boni & mali cur sic cognominata 305
Archimedis industria. 353
Atalantæ Virginis descriptio. 295.
Auesnæ Hannoniæ B. Virginis patrocinio seruatæ. 418
A ventre tripudium. 82
Aureum pomum àdiscordia ad Pelei nuptias illatum. 81
Autor septem habuit auditorũ millia in vna concione. 398

B.

Beati in Deo vt in speculo & si & alia cernunt. 230
Beata virgo dubitabat de qua gratia Angelus loqueretur. 557.
Bion dicebat diuitias esse neruos actionum. 116
Boni patris officium. 384
Boni per arbores significantur. 414.
Bonæ Deæ pudicitia. 549
Breuis autoris ad monachos S. Huberti in Arduẽna oratio. 553.

C.

Christiani olim anthropophagi, cerberi, seu carnivori

uori olim ab Ethnicis dicebantur. 348
Christianorum corruptela & inconstantia. 4
Christus in specie peregrini discipulis apparuit. 16
Christus quibus peregrinis se medium inferat 40
Christus aliquando priuatis personis ministrauit Eucharistiam. 237
Christus pauperes beatos prædicat. 361
Christus paupertatem dilexit. 362.
Cinis omnes omninò æquat. 9
Cœna Dei cur magna dicatur. 226.
Cœna hæc quid significet. 232
Cœna eucharistica magna 233
Cœna cur dicatur & non prandium. 243
Cœna hæc omnium maxima. 244
Conuiuium M. Anthonij & Cleopatræ. 234
Corui sunt auari. 377
Crates philosophus opes mersit in mare. 257
Cur in Deo sperare debeamus. 386.

D.

DÆmones quaternario numero significãtur. 403
Democritus Philosophus sẽper ridebat. 1
Demosthenis in corrigendo linguæ defectu inuentio. 192
Descriptio cuiusdam picturæ Valencenis visæ. 69
Detractio fugiendæ. 53
Deus cur Opt. Max. dicatur. 223.
Diuitiæ cur relinquendæ 67
Diuitiæ qua sint intentione relinquendæ. 117
Diuitiæ quæ mala adferant. 75
Diuitiæ cur spinæ vocentur 85
Diuitiæ natura sua malæ non sunt. 103
Diuitibus difficile est intrare in regnum cœlorum 365
D. Franciscus, Angelus dici potest. 437
D. Franciscus vt à voluptatis incendio liberaretur corpus in niuem immersit. 454
D. Francis. excelluit in factis & dictis. 458
D. Francisci patria. 461
D. Francisci sepultura. 470
D. Franciscus cordium habuit notitiam. 688.
D. Franciscus Christũ imitatus 494.
D. Francisco multum debet ecclesia. 497
D. Franciscus voluit cor suum in ædeB. Virginis sepeliri. 567
Domicella vnde dicta. 207
Duo discipuli euntes in Emaus imperfectionibus laborabãt. 25.
Duorum discipulorum perfectiones 34
Dux Ioyeusius Capucinus arma induit, & bello confecto in monasterium redit. 114

E.

Ecclesia Christianos dupliciter à corrupte la reuocat. 5
Elephanti proprietates. 297
Epulum caninum vt fieri solet 385
Epitaphiũ viri cuiusdam qui Similis dicebatur, 267
Error sæpè in vocum pronunciatione cõmittitur 164
Eucharistiæ sacramentum nũc est pro fructu arboris scientiæ boni & mali. 331
Eucharistia sola sine alio cibo multis vixere diebus. 331
Euangelii cursus quibus modis sistatur. 406
Ex desponsata Virgine Christus nascitur & quare. 543

F.

Festi dies celeberrimi apud Iudæos. 168
Fide prisca & moribus antiquis viuendum. 345
Franciscus & Dominicus nobile par amicorum 503
Franciscus sæpe pacem inter Principes conciliauit. ibid.

G.

Gabriel, quid significet. 531
Gratiarum distinctio. 561
Gryphes auri custodes 68

H

Hæretici Albigenses vnde dicti. 469
Hæretici 'dæmonis' imitatores. 330
Hæc verba: hoc est corpus meum; hic est calix meus, vicerunt Lutherum. 346
Heraclitus Philosophus semper flebat. 3
Hercules vno spiritu stadium effecit: 18
Hora tertia datus est Apostolis Spiritus Sanctus. 219
Horologia quædam stupenda. 352.

I

Ignis proprietates. 173
Ignis pro Deo habitus. 175
Igni assimilatur diuina natura. 177
Igni comparatur persona Spiritus S. ibid.
Ignis quos effectus designet in Apostolis 186
Illud Petri: Ecce nos reliquimus omnia, quomodo sit intelligendum. 95
Illud: accepit Discipulus in suam, quomodo intelligi debeat. 101
Indulgentiæ à Sixto 4. Christi fidelibus in festo S. Francisci concessæ. 518
In ignis specie apparuit Spiritus S. & cur. 179
In igne Deus sæpe apparuit 176
In quibus peccarit, qui in euangelio dixit: Villam emi. 753

Inuenire & reperire quomodo differant. 559
Ipra patrocinio B. Virginis defensa. 418
Iudas fur erat & loculos habebat. 368
Iustitiæ quanta vis. 210

L.

LAus conuiuii Assueri. 131
Laus D. Francisci. 394
Laus R. P. F. Panigarolæ Franciscani. 246
Legationis nobilitas vnde? 523
Leodii quatuor hominũ millia calamo victitant. 434
Leuitis olim non fuit hæreditas 146.
Lex Draconis Athenienſium legislatoris. 299
Lingua quos habeat effectus. 173.
Linguarum numerus quantus ſit. 298
Linguas multas multi loquuntur. 201
Lucas fuit Clophæ ſocius eũdo in Emaus ſecũdum aliquos. 61.
Lucilij de ſcriptis ſuis ſentẽtia. 400.

M.

MAnichæus dicebat creaturas ex ſe eſſe malas. 114.
Memorabile de Mauritio Pariſienſi Epiſcopo. 111
Memorabile de Valentiniano Imperatore. 112
Mirabile de S Franciſco. 383
Miracula S. Franciſci. 472
Milites ſignis amicos diſtinguunt. 426
Monachus quando ad ſeculum redire poſſit. 167
Monaſteria obſeruantiæ regularis ſtudioſa neceſſariis abundant. 384.
Moneta aurea argenteaq; plateatim ſparſa. 160
Mundus iſte viſibilis vt punctum eſt. 253

N.

NOmen Ieſu Nazareni ambiguum. 30
Non icitur fulmine laurus. 417
Noſſe Dei probare eſt & eligere, neſcire reprobare. 292
Noui orbis conuerſio potiſſimũ attribuitur Frãciſcanis. 507
Numerus ſeptenarius omnem ſignat perfectionem. 170

O.

OMer facit anagrãma Gallicè Rome. 134
Octogenariæ mammæ lactis copiam effundunt. 589
Omnes ſenſus in ſacramento Euchariſtiæ deficiunt. 339
Omnis poteſtas impatiens conſortis. 223

Ope-

Omnis potestas impatiens consortis. 223
Operarum operosissima opera regia. 264
Oraculum sapientum : sequere Deum. 120

P.

Paraclet us exponitur. 159
Paracletus vt scribi debeat. 164.
Pauonis natura. 9
Perfectio duplex. 571
Philippi Melanchtonis de Sacramento Eucharistiæ sententia. 348
Pictura veritas. 21
Pomum discordiæ. 294
Pomum cur etiam malum vocetur. 296
Præparatio Apostolorum ad Spiritum S. accipiendum. 203.
Pro Deo multi haberi voluerũt. 318.
Proprietas Castoris 284
Prouidentia Dei. 367
Prouidentia Dei ergà suos. 382

Q.

Qualitas sermonis circa quæ attendenda. 551
Quid sit regnũ Dei & iustitia eius. 277
Quid quatuor venti præẽdant. 405.
Quindecim linguarum dona acceperunt Apostoli. 195
Qui linguas non habentes fuerint locuti. 218
Quando B. Virgo gratiam inuenerit. 559
Quomodo illud intelligatur: nisi abiero non veniet. 152

R.

Receſſus Christi duplex. 144
Reges inter magna versãtur pericula. 275
Regnum Dei primò quærendũ. 364.
Religio vocatur status perfectionis & cur? 97
R. Pater Robertus de Licio, poterat quando volebat lachrymas excutere. 519
Rusticus hospes Caroli V. 48

S.

Sanctus Audomarus Apostolus fuit & Monachus. 66
S. Audomarus, reliquit omnia amore Christi. 125
Signum Dei viui quod. 409
Signum illud in B. Francisco quod fuerit. 478
Signũ Dei viui quotuplex. 425
Signum Dei viui de quo B. Ioãnes quid sit. 426
Sollicitudo anxia rerum terrenarum prohibetur. 365
Spiritus S. cur in die pentecostes cũ triplici specie fuerit missus. 167
Spiritus S. cur quinquagesimo post ascensionem die fuerit missus. ibid. & 70.
Spiritus S. cur missus trina specie. 172
Spiritus S. quid sit operatus in Apo-

Apostolis. 192
Stellarum magnitudo. 253
Stigmatici qui dicantur. 481
Stigmatibus Christi qui fuerint insigniti. *ibid.*

T.

TAruennæ vrbis descriptio. 64
Terminus Ethnicorum Deus. 270.
Triplex lignorum genus in paradiso. 353
Triplex laus B. Virginis. 532. & 555.
Triplex meritum. 562
Turbationis B. Mariæ in annũciatione causa. 547
Turcarũ legati mirantur Christianorum inconstantiã. 4
Tyranni potentissimi. 562

V.

VAllis aurea cur sic dicta. 127.
Ventorum quanta vis sit. 172
Vestales virgines quæ fuerint. 175.
Vir vnde dictus. 31
Virtus in rebus humanis est principale bonum. 327
Vmbria patria S. Francisci. 461.
Vox Elohim est æquiuoca. 310

FINIS INDICIS.

Festivale
Boskieri

Th
3307